DANIELIS BERCKRINGERI INSTITUTIONES ETHICÆ, SIVE DE MORIBUS.



TRAIECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ GISBERTI à ZYLL,
CIↃ IↃ C LXIII.



MANIPULUS EXCERPTORUM,

E X

ANTONII MONTECATINI FERRARIENSIS PRÆFATIONE,

I N

Politica, sive Civiles Libros Aristotelis.

I. *Quòd Politica non sit pars Iuris Romani, sive Iurisprudentia Romana.*

QUia secùs omnes regiones & gentes, quæ Romano Jure non utuntur (sunt verò istæ multò plures, quàm quæ utuntur, atque inter eas nonnullæ artibus moribus legibus politissimæ,) omnes, quæ imposterum non utentur, omnes, quæ hactenus non sunt usæ, denique ante hoc jus conditum omninò omnes, caruerint, cariturae sint, careant Politicâ omni, omniquè civili ratione, nec civiles so-

cietates ullas, quæ ſine civili ratione prorſus eſſe non poſſunt, habeant, habuerint, aut habituræ ſint.

II. *Quòd eadem Politica non ſit pars Iuris Cujuſvis, ſive Iuriſprudentiæ Communis.*

Quia, dum Juriſconſulti aſſeverant, non differre Politicen à Juriſprudentiâ, innumeras Politicas faciant, cùm una ſola eſſe Politice ſimpliciter debeat, quanquam multæ formæ ſint civilium ſocietatum ac Rerumpublicarum, quemadmodum una ſola ſimpliciter ſit Medicina, licet multæ ſint rationes medendi, variatæ locis, temporibus, ætatibus, temperaturis.

III. *Quòd Iuriſprudentia potiùs ſit pars Politices fuſè accepta.*

Cùm enim tres ſint partes Rerumpublicarum, magiſtratus, conſilia, & judicia, pro his tribus partibus in tres partes ſimiliter diſtribui Politicen, quarum una attineat propriè ad ſummum magiſtratum, νομοθετικὴ Græcis, legiſlatoria ſive legumlatrix Latinis,

altera

altera ad consilium, βουλευτικὴ Græcis, consiliaria sive senatoria Latinis, tertia δικαστικὴ Græcis, judiciaria sive justitiaria Latinis, atque hanc esse ipsissimam Jurisprudentiam.

IV. *Quòd eadem Iurisprudentia ministra non pars sit eminentis atque eximiæ Politicæ, quæ κατ' ἀντονομασίαν Politice nominatur.*

Quia, ut servus ad domini, minister ad architecti, formulam & præscriptum agunt, nullâ ab ipsis petitâ præceptorum ratione, sic judiciaria agat ad præscriptum & formulam consiliariæ ac legumlatricis, ita se habens ad duas superiores, ex quibus jungitur princeps ac dominans Politice, sicut se habet nauclerus ad navim, quem dat dominus navis, non ut dominum tamen.

V. *Quòd eadem Iurisprudentia non sit sola vera & non simulata Philosophia.*

Num enim, inquit, simulata naturalis, divina, mathematica, & civilis tantummodò vera? An hujus civilis

Phi-

Philoſophiæ vera eſt ſola illa pars; quam tractant Juriſconſulti, ſimulata altera, unde hæc manavit, putà, moralis familiaris & civilis?

Hæc & alia complura ille, præfabundus in τὰ Πολιτικὰ Ariſtotelis.

INSTI-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, LIBRI PRIMI, QUI EST, Περὶ Τῆς Εὐδαιμονολογίας, DE Vitæ Beatæ Regimine,

CAPUT I.

Philosophiæ definitio nominalis Pythagoræ, realis sive essentialis Aristotelis, accidentalis Luciani & Ramistarum.

PHILOSOPHIA *in genere, si nomen sive nominalitatem ejus spectes, definitionem*, inquam, ὀνοματώδη, nihil aliud est, quàm amor desiderium & studium sapientiæ, quæ definitio, aut descriptio veriùs, sumpta ex vocis impositione, non rei dispositione, tum quia, si Philosophia reâpse foret amor & studium sapientiæ, tum verò juvenis, amator ac studiosus sapientiæ, eôpse esset Philosophus, tum

quia Philoſophia πρώτως καὶ κυρίως primariò & principaliter, ſignificat habitum intellectus, amor autem in appetitu, tum quia aliud ſtudiũ rei, aliud ipſa res, quemadmodũ aliud v. g. avaritia, quæ eſt ſtudium pecuniæ, aliud ipſa pecunia, cùm illa cupiat, hæc concupiſcatur, illa quærat, hæc quæratur.

2. *Sin rem ſive realitatem, ejuſvè accidentia, definitionem. inquam, partim* οὐσιώδη, hoc ὑπολήψεως τρόπῳ, concipiendi modo, Philoſophia ſecundum Ariſtotelem fuerit, ἕξις τῶν ἐπιστητῶν καὶ πρακτῶν, habitus eorum, quæ ſub ſcientiam & actionem cadunt, *partim* ἐπουσιώδη, hoc poſteriori ὑπολήψεως τρόπῳ, concipiendi modo, eadem Philoſophia, ſecundum Lucianum & Raméos, fuerit ſyſtema ſive ſyntagma ſcientiarum & prudentiarum, quarum definitionum altera ἀρχέτυπος καὶ ἐνδιάθετος, conſiderans Philoſophiam in mente artificis, tanquam exemplar primigenium mente conceptum, altera ἔκτυπος, conſiderans eandem extra mentem artificis in libris, tanquam exemplar ſecundigenium, proximè accedens ad fidẽ primigenii. Philoſophiam dogmaticam & ſyſtematicã voces licet differitatis cauſâ, ut ſic diſtinguatur à Philoſophiâ habituali.

CAPUT II.

Philoſophiæ diviſio dichotomica ſecundum Peripateticos, in Theoreticam & Practicam.

§. 1. *Par-*

§. 1. *Partes Philosophiæ secundum Peripateticos duæ sunt, Theoretica & Practica.*

2. Quam dichotomiam Peripateticorum laudant rationes. I. Quia membra ejus sunt verè dividentia, hoc est, contradivisa. Quamvis enim nulla sit pars Philosophiæ, in quâ non theoria copuletur cum praxi aliquâ, cùm τὸ πρακτικὸν sit quasi quoddam ἀποτέλεσμα τοῦ θεωρητικοῦ, tamen propriè illa Philosophia est & dicitur Theoretica, quæ, etsi practicam aliquam habeat adjunctam notitiam, præcipuè tamen functiones suas exercet in theoriâ, & contrà illa practica, quæ quamvis theoricam aliquam notitiam familiarem sibi habeat, tamen præcipuè operationes suas exerit in praxi, ipsamquè adeò, quam habet, Theoriam, ordinat ad praxin, tanquam finem ultimum, à quo sumenda differentia disciplinarum. II. Quia hæc divisio suo diviso est condivisa. Omnia siquidem in Philosophiâ sunt gemina, geminum subjectum, geminum objectum, geminus finis. Geminum subjectum. Philosophia namque Theoretica residet in intellectu speculativo, cujus ἴδιον ἔργον, proprium opus & munus, res absolutè simpliciterquè cognoscere, ut res sunt, hoc est, quatenus habent essentiam definitione explicabilem, bonitate aut malitiâ morali nullo modo consideratâ, Philosophia contrà

trà Practica resider in intellectu activo, cujus ἴδιον ἔργον, res cognoscere sub differentiâ morali, hoc est, quatenus bonæ vel malæ sunt. Geminum objectum. Philosophia namque Theoretica occupatur circa objectum contemplabile, hoc est, circa res, sempiternas, & à naturalibus ac necessariis causis fluentes, id est, tam eas, quæ semper eodem modo sunt, nec fiunt, quàm eas, quæ fiunt quidem, sed à naturâ per necessarias causas eodem modo operante, at Philosophia Practica circa objectum operabile, hoc est, circa ea, quæ nostro arbitrio sunt subjecta, cujusmodi sunt res humanæ contingentes, quas agere, aut non agere, sic vel aliter agere, in nostrâ est manu ac potestate. Geminus finis. Philosophia namque Theoretica contemplatur, ut contempletur, solius veritatis desiderio, in eâquè rerum contemplatione sistit & acquiescit, quoniam eas agere nequit, enimverò Philosophia Practica contemplatur, ut agat.

CAPUT III.

Definitio Philosophiæ Theoreticæ, cum relegatione ejus ad superius disciplinarum auditorium, quod Scientiarum: Item Practicæ, cum religatione ejus ad inferius disciplinarum auditorium, quod Prudentiarum, quæ docendæ post scientias.

§. I. *Phi-*

§. I. PHilosophia Theoretica, si in mente artificis eam consideres secundum Peripateticos, quorum filum & funem ferè ducimus, est ἕξις τῶν ἐπιστητῶν, habitus eorum, quæ sub scientiam cadunt, sin in manu & libris cum Lucianicis, tunc verò est systema sive syntagma trium disciplinarum theoreticarum, Metaphysicæ, inquam, Physicæ, & Mathematicæ, dirigens intellectum contemplativum in cognitione rerum scibilium, ut, quantum in hâc vitâ fieri potest, homo naturæ consiliatricis & auxiliatricis viribus benè speculetur.

2. Dirigit quidem eum intellectum quoque etiam Logica, sed ministerialiter, non magistraliter, neque ut pars Philosophiæ presſè acceptæ, sed ut instrumentum adminiculans, perficiens intellectum hominis in intellectione suâ, quò habeat expeditam viam cognoscendi per regulas huic rei commensuratas, quæ inserviunt omni cognitioni.

3. Verùm de Philosophiâ Theoreticâ Philosophus Theoreticus viderit scilicet, ad cujus curam & curiam illa pertinet.

4. *Philosophia Practica*, si in mente artificis eam consideres secundum eosdem, est ἕξις τῶν πρακτῶν, habitus eorum, quæ sub actionem cadunt, sin in manu & libris cum Lucianicis, systema sive syntagma trium disciplinarum Practicarum, Ethicæ,

inquam, Oeconomicæ, & Politicæ, dirigens intellectum activum in regimine rerum agibilium, ut, quantum in hâc vitâ fieri potest, homo naturæ consiliatricis & auxiliatricis viribus benè agat.

CAPUT IV.

Quod Philosophia Practica Genus Subjectum, Objectum, Finis, & quotuplex?

§. 1. QVòd si Philosophia Practica consideretur priori modo, id est, ut habitus, in mente Philosophi Practici, partim doctrinâ, partim usu introductus, *hoc considerandi modo Prudentia sanè fuerit*, tum quia est habitus cum rectâ ratione activus, circa ea, quæ bona sunt & mala, quorum illa suadet, dum informat rationem ut agat ea, hæc dissuadet, dum informat eandem rationem, ut ea fugiat, tum quia reverà occupatur proximè circa res, quæ se aliter habere possunt, dequè quibus consultatio datur, sive in universali, abstrahendo ab omnibus particularibus circumstantiis, quid sit agendum in universum, quæ Prudentia Superior audit in scholis, sive in particulari, quid nunc & tunc, hîc & illic, talibus circumstantiis positis, sit agendum, quæ Prudentia Inferior cluit in iisdem, tum quia aliâs nulla in artium universitate extaret disciplina, cujus genus esset prudentia, id quod contra ingenium & naturam habituum,

tuum intellectualium, qui non sunt nuda nomina sine rebus, sed certas signant disciplinas, & verò etiam Philosophus malè verò arceret juvenes ab auditorio Practico eo nomine, quòd vulgus juvenum destituatur communiter prudentiâ: *Non Ars*, semel, quia prudentia non est habitus factivus, sed activus, iterum, quia non occupatur circà τὰ ποιητὰ factibilia, sed circa τὰ πρακτὰ agibilia, demùm, quia ejus operatio non est ποίησις factio, quæ transit in opus externum, avulsum à moralitate, atque in aliquid extra ipsum operantem, cujusmodi sunt, pingere, fabricari, suere, verùm actio immanens, quæ tota manet in operante, eumquè perficit, ut amare, irasci, atque hoc ejus genus essentiale & internum.

2. *Sin posteriori modo consideretur*, id est, ut methodus manuscripta, à mente Philosophi Practici producta in tabulis & membranis, *hoc considerandi modo Ars sanè fuerit*, hoc est, ordo certarum propositionum exercitatione cognitarum, ad finem aliquem utilem in vitâ, rerum, inquam, homogenearum, per generalissimum subalterna & specialissima, comprehensio & ordinatio, atque hoc ejus genus fuerit accidentale & externum.

3. *Subjectum Philosophiæ Practicæ, vel Inhæsionis est, vel Operationis. Inhæsionis est Homo*, quatenus Philosophia Practica conside-

ratur ut introducta in eum, tanquam in subjectum ut quod, animamvè & facultates ejus, tanquam in subjectum ut quo. Dum enim hominis animus recipit habitum Philosophiæ Practicæ, & illi subsistentiam largitur, næ ille rectè subjectum inhæsionis dicitur. *Subjectum Operationis est idem Homo*, quatenus Philosophia Practica consideratur ut introducenda in eum. Dum enim animus ejus à Philosophiâ Practicâ domi elaboratur, illiquè velut materia substernitur, næ rectè subjectum operationis vocatur, ad eum modum, quo Medicus, quatenus habitum medicinę in mente possidet, ut sic subjectum inhæsionis medicinæ audit, quatenus verò semetipsum curat per habitum illum, ut sic subjectum operationis.

4. *Vt ita subjectum adæquationis, tum ratione inhæsionis, tum ratione operationis, sit Homo secundum Animam, subjectum verò perfectionis certæ illius subjecti totalis & adæquati partes, persuade, Intellectus Practicus, Voluntas atque Appetitus Sensitivus.*

5. *Intellectum Practicum esse Philosophiæ Practicæ subjectum, arguitur hinc.* I Quia omnis qualitas primò perficit illud subjectum, in quo est; Atqui prudentia est in intellectu Practico, tanquam in subjecto, & hæc ipsa habitus, Philosophiæ Practicæ ἀντίστροφος reciprocus: Ergò! II. Quia

species.

species cum naturâ generis consentire debet: Atqui tres sunt species Prudentiæ, Ethica, Oeconomica, & Politica, & hæ omnes intellectum Practicum perficiunt, tanquam subjectum suum: Ergò & Philosophia Practica!

6. *Voluntatem hinc, atque Appetitum Sensitivum, esse subjectum Philosophiæ Practicæ, arguitur inde*, quia tam voluntas, quàm appetitus sensitivus, defectibus moralibus laborant: Quare perfectionis Philosophicæ indigent, illa in eligendo, & exequendo, hic in refrenando moderandoquè affectus, sicut intellectus Practicus in deliberando, & judicando sive disponendo: Non propriè & proximè Theoreticæ: Ergò Practicæ!

7. *Objectum Philosophiæ Practicæ* cum præcisione non sunt propriè actiones hominis, homini naturales secundum substantiam operis, ut intelligere, operari, cùm multæ ex illis non sint humanæ, ut quæ non sint in hominis potestate, nec etiam actiones hominis casuales, quę fortè fortunâ fiunt, nec ob finem, in quem per se ab agente dirigantur, sed actiones humanæ honestæ, quæ materiale ejus, ut à rectâ ratione in ultimum dirigibiles finem, quod formale, neutiquam verò actiones inhonestæ, ut quæ indirigibiles in ultimum finem, quibus de ideò non per se agitur in Philoso-

losophiâ Practicâ, cùm hæc non doceat eas operari, qui finis in habitibus Practicis, verùm per accidens, ad eum modum, quemadmodum Physica agit de herbis noxiis, Logica de operationibus intellectus pravis, non ut illarum doceat ποίησιν, sed ut dedoceat, adeoquè reductivè ad rectas.

8. *Finis Philosophiæ Practicæ, vel Essentialis est, vel Accidentalis*, ille directus & principalis, hic indirectus & minùs principalis, qui vulgò nominatur usus.

9. *Finis Philosophiæ Practicæ Essentialis adhuc duplex, Internus & Externus. Internus* est, informare hominem bonis moribus: *Externus*, eundem beare civiliter, ex quibus ille tempore prior, hic dignitate.

10. *Finis Philosophiæ Practicæ Accidentalis multiplex esse potest, sed nominatissimi, quòd studium hoc necessarium futuro, & Theologo, & Iurisconsulto: Theologo*, non quidem necessitate absolutâ, cùm Theologia non accipiat principia sua ab aliis scientiis, tanquam superioribus, sed his utatur, tanquam inferioribus, verùm necessitate expedientiæ, quia Philosophia Practica Theologiæ conscecraneo perutilis, tum ratione subjecti cognoscentis, quod præparat. tanquam instrumentũ Theologiæ, ut principalis, tum ratione objecti cognoscendi, quod illustrat adminiculativè: *Iurisconsulto*, quia Iurisprudentia principia sua cõmunia hospitaliter accipit

ab

ab Ethico, tanquam rivulos à fonte, istorsum Ethicæ subordinata, non subordinatione essentiali & intrinsecâ, tum quia non idem quoad rem habet objectum, ut disciplinæ subordinantes & subordinatæ essentialiter, nec principia ejus, tanquam subalternatæ, sunt conclusiones subalternantis, principia v. g. propria Juridica conclusiones Ethicæ, tum quia saltem quomodolibet Jurisprudentia addisci potest absque Ethicâ, cùm disciplinarum subordinatarum essentialiter ea sit natura, ut nequeant addisci absque subordinantibus, eò quòd hæ illarum contineant elementa, verùm accidentali extrinsecâ, coordinata potiùs, quàm subordinata intrinsecè, licet interim hoc stante ne intelligi quidem possit, quid sit Jurisprudentia, nisi priùs ex Ethicâ præceperis, quid sit prudentia, cujus illa est species.

Caput V.

Quis Philosophiæ Practicæ Idoneus Auditor? Et, an nominatim Iuvenes?

§. 1. S*Cilicet Discipulus Philosophiæ Practicæ, universè vel Theoreticus est, vel Practicus, & uterque, vel Bonus, vel Malus.*

2. *Bonus Philosophiæ Practicæ Discipulus Theoreticus* est, qui rerum naturæ competentes admittit conclusiones, neque in ar-

gumento probabili & dialectico necessariam atque apodicticam exigit demonstrationem, acquiescens ἐν τῷ ὅτι veritatum moralium.

3. *Malus Philosophiæ Practicæ Discipulus Theoreticus est*, qui non distinguens propriam à peregrinâ tractationem, in argumento probabili ac dialectico, necessariam atque apodicticam exigit demonstrationem, non acquiescens ἐν τῷ ὅτι veritatum moralium, sed imperitè urgens τὸ διότι, similis ei, qui motis disciplinarum terminis, à Mathematico πιθανολογίαν & probabilia exigit, cùm debeat exigere ἀκριβολογίαν & demonstrantia, eò quòd demonstrationes Mathematicæ certissimæ sint, ut quæ constent ex necessariis, immediatis, & caussis conclusionis, atque à materiâ recedant, quæ contingentiæ causa est, à Rhetore verò ἀκριβολογίαν & demonstrantia, cùm debeat exigere πιθανολογίαν & probabilia, eò quod Rhetores exemplis ferè atque enthymematibus familiariter utantur, à verisimilibus aut persuadibilibus ductis.

4. *Bonus Philosophiæ Practicæ Discipulus Practicus est*, qui Theoriam Practicam, hoc est, præcepta ipsa Practica, ad usum ultrò transfert, τὸ ὅτι per ἐθισμὸν assecutus: *Malus contrà*, similis oratori, qui scit & dicit consona legibus, sed non facit,

cit, eunnchoquè, qui profitetur alios generare, ipse interim sterilis est, & generabundus potiùs, quàm generativus.

5. *Vterque Discipulus Philosophiæ Practicæ, tam Theoreticus, quàm Practicus, isque Bonus, vel Primarius est, vel Secundarius*: *Primarius*, qui omnia præcepta Practica, quæ docentur in scholâ Practicâ, statim & assequi potest & exequi: *Secundarius*, qui nec assequi statim, nec exequi, aliquousque tamen progreditur, & illic, & istic.

6. *Prioris curiæ discipulus non potest esse juvenis κατὰ τὴν ἡλικίαν sive ætate communiter*, tum quia imperitus est actionum vitæ, nisi præcoci sit sapientiâ, & mento tantùm talis, non etiam mente, annis, non animo, tum quia κατὰ πάθος ferè vivit talis juvenis, non λόγον: Sed nec juvenis κατὰ τὸ ἦθος, sive juvenis moribus, sicut nec senex, morum inconstantiâ ac levitate juvenis, sive senex quidem, sed juveniliter, quia bonum discipulum Practicum decet, non tantùm benè compositum habere animum, ut rectum ferre possit de auditu judicium, sed etiam eorum studiosum executorem esse, quæ audit; quorum neutrum locum habet in juvene moribus. *Posterioris verò curiæ discipulus, juvenis κατὰ τὴν ἡλικίαν*, si nihil accedat, esse potest, quia plerique

plerique juvenum sunt φιλομαθεῖς, ζητητικοὶ, φιλήκοοι, μιμητικοὶ natura suâ, non intelligunt omnia, at quædam intelligunt, non omnia continuò ad usum transferre possunt, at olim transferent, infirmi sunt, infirmis autem non neganda medicina. Quæ causa, cur Aristoteles Nicomacho filio suo doctrinam morum, Cicero item filio suo doctrinam de officiis inscripserint.

7. Nec silentio transmittendum, quòd Aristoteles duplicem dicatur habuisse περίπατον, matutinum, in quo selectis quibusdam auditoribus Physica & Logica tradebat, & vespertinum, in quo juvenes sine delectu Rhetoricam & res civiles docebat, cur, si ὄνοι asini sunt ad hanc lyram? Quin tantùm abest, ut ab auditorio Practico arcuerit omnes juvenes κατὰ τὴν ἡλικίαν indifferenter Aristoteles, ut ne omnes quidem juvenes κατὰ τὸ ἦθος, qui vel ideò debent audire præcepta Practica, ut mores suos regere, affectusque suos rectæ rationis magisterio subjicere condocefiant, nisi improbitas eorum sit deplorata tamen; quæ non temerè præsumenda de illâ ætate.

8. Ut ita sententia Aristotelis de relegatione juvenum ab auditorio Practico, non in sensu absoluto, sed comparativo, accipienda sit, hâc cum interpunctione, alios ex his aliis magis idoneos auditores morales esse in comparatione, alios minùs, ser-

vato

vato gradu positivo, qui incipientium, comparativo, qui proficientium, & superlativo, qui perfectorum.

CAPUT VI.

Philosophiæ Practicæ divisio trichodichotomica.

§. 1. P*Hilosophia Practica tribuitur communiter in tres Partes*, secundum tres vitæ Practicæ species disparatè oppositas, monasticam sive solitariam, quam formet Ethica, quæ informat virum bonum, domesticam, quam formet Oeconomica, quæ informat bonum patremfamiliâs, familiaresvè alios, & civilem, quam formet Politica, quæ informat bonum civem, sumto civis nomine laxè, pro magistratu & subditis; *sed humaniùs & civiliùs in duas cum subdivisione*, Partem videlicet Communem, quæ Ethica audit, & Specialem, quæ Oeconomica & Politica.

2. Atque hæc divisio posterior in comparatione prior. 1. Quia vita monastica non est humana, ut quæ pugnet cum fine & naturâ hominis, qui animal πολιτικὸν per se, si minùs in individuo semper, respectu hujus & illius hominis, Timonis aut Cnemonis, minimùm in specie, respectu hominis in indifferentiâ, qui socialis à naturâ, non tam primo modo dicendi per se, quatenus quid inseparabile proprium alicujus speciei, ut esse risibilem homini, quàm secundo, quoquid:

quid inseparabiliter quidem convenit alicui speciei, sed tamen non cuilibet individuo illius speciei abscissè, sed solùm supposito perfecto, non orbato nec sauciato à naturâ, ut habere duos oculos, generare animal sibi simile, neque insocialis, nisi fortè per accidens, hoc est actu à naturæ ordine recedente, cujus negatio non necessariò tollit φύσιν, cùm natura particularis nihil deroget generali, secundum quam homo vivit ὁμῶς naturaliter, cupientissimusquè est societatis naturaliter, partim quia non est αὐτάρκης, partim quia præditus est sermone, non ut eo utatur in ordine ad se, sed ad alios cohomines. II. Quia in omni disciplinâ sunt declaranda ea, quæ sunt communia principia fundamenta & elementa universæ disciplinæ, cùm disciplina debeat habere unum commune subjectum, id verò iterum sua cõmunia principia, communesquè affectiones, ergò & in Philosophiâ Practicâ: Id autem nusquam fit, si non fit in Ethicâ, quæ communia præcepta tradit singulorum vitæ generum, non certi generis, argumento summi boni, non hujus & illius hominis, Petri aut Pauli, sed hominis, quod bonum in Ethicâ explicatur, in Oeconomicâ & Politicâ applicatur, illic ad paucos in familiâ, hic ad plures in civitate.

3. Ut ita omnia hîc aut communia sint, aut.

aut specialia. Vita quippè proba, quæ est subjectum tractationis, consideratur vel generaliter, prout est vita verè hominis, vel specialiter, prout est vel domestica, vel civilis: Vir item bonus, qui est subjectum informationis, consideratur vel in genere, & per se, vel in specie, atque ut ad alios refertur, quatenus videlicet est, aut bonus paterfamiliâs, aut bonus civis: Virtus quin quoque ipsa gemino modo, vel communiter spectatur, quatenus habentem perficit, & est virtus viri, vel specialiter, quatenus ad alios refertur, & est virtus officii, putà, vel virtus boni patrisfamiliâs, vel boni civis. Quo rationum dupondio conficitur in leges nostras, posteriorem divisionem præferendam priori.

Caput VII.

Ordo versatilis partium dividentium.

§. 1. Ex *signatis partibus Philosophiæ Practicæ ordine naturæ præcedit Ethica*, quia complectitur principia & fundamenta vitæ Practicæ, universalia, inquam, præcepta reliquis partibus inservientia, estque ἀρχὴ τῆς οἰκονομικῆς καὶ πολιτικῆς, quæ quasi principiatum quoddam & effectum, atque ad sese, jam verò, quæ sunt ad alterum, ordine naturæ posteriora sunt iis, quæ sunt ad se: *Succedit Oeconomica*, ut

ut quæ, ſicut ordine naturæ Ethicâ eſt poſterior, ita Politicâ prior, quemadmodum domus civitate, cùm verſetur circa familias, quæ materia civitatis, in quibus ideò hominem priùs conſtitutum eſſe convenit, quàm in hâc, & quia finis Oeconomices ſe habet ad finem Politices, tanquam intermedius ad ultimum, quare antecedenter: *Agmen in hoc trigario claudit Politica*, quia τῇ φύσει ſimplicia naturaliter priora compoſitis, jam verò Politica ex multis familiis componitur, familia porrò ex multis hominibus, qui ſicut ſimpliciores familiis, ita hæ civitate. Quamvis enim, quatenus homo ad familiam, & hæc ad civitatem conſtituendam, ſuâpte naturâ dirigitur, eâtenus civitas ſit aliquo modo prius quid naturâ, quàm vel familia, vel homo, in ordine cauſæ finalis, tamen ex alio capite familia prior eſt civitate, & homo prior familiâ, in ordine cauſæ materialis intrinſecè componentis, quatenus quælibet harum partium ſpectatur antecedenter ad totum, quod componit, hoc eſt, quamvis civitas ſit prior familiâ & homine ordine naturæ intendentis atque perficientis, cùm omne totum ratione finis & perfectionis prius ſit ſuis partibus ut ſic, tamen poſterior eſt iiſdem ordine naturæ generantis & componentis, quomodo partes priores toto naturaliter.

2. *At ordine dignitatis, ſiquidem nobilitatem*

tem objectorum spectes, na præcedit Politica, succedit Oeconomica, agmen claudit Ethica, quia illa publicum civitatis, ista familiæ, hæc privatorum bonum procurat, jam verò bonum, quò communius, hoc præstantius: *Sin universalitatem præceptorum, tunc verò præcedit iterum Ethica*, quoniam de summo bono, virtute, principiis actionum humanarum, in genere agit: *Succedit Politica*, quæ sicut angustior Ethicâ, ita laxior Oeconomicâ: *Agmen claudit Oeconomica*, cujus præcepta de gubernatione familiæ contractiora illis, quæ sunt de gubernatione hominis per virtutes in Ethicâ, & civitatis per leges in Politicâ, quæ id Politico, quod Ethico virtutes.

Caput VIII.

Quâ Methodo prææallegatæ partes sint tradendæ. Analyticânè, an Syntheticâ, an utrâque indifferenter?

§. 1. Methodo, *inquam*, *Analyticâ sive Resolutivâ, non Syntheticâ sive Compositivâ.*

2. Id quod probatur: I. *A generali ordinis præcepto.* Semper siquidem incipiendum secundum methodum prudentiæ à notioribus, atque inde progrediendum ad ignotiora, non ascendendo à posterioribus ad priora, sed à prioribus ad posteriora descendendo dispositivè: At verò finis notior est, quàm

quàm media, ut quem homines præsupponant, licet quoad media sæpè dissentiant: Ergò à fine faciundum initium, II. *A necessariâ finis prænotione*, qui æquè præcognitus debet esse ei, qui vult cætera ordinare ad finem, atque sagittario scopus, nautæ portus, quem velint petere, ille telis, hic velis. Frustra namque solicitus sis de quærendâ viâ, si tibi nondum sedeat, quorsum velis ire, frustrà quæsierit corium sutor, pannum sartor, si nesciat, quid eo sit acturus, & sic media noster, si ignoret finem. III. *A processu Practico*, secundum quem in Practicis disciplinis semper, quæ fini sunt propinquiora, & in quibus executio desinit, præmittuntur illis, à quibus executio incipit, exemplo architecti prudentis, qui exposito fine, nempè domo habitandâ, statim agit de proximis ejus partibus, nempè fundamento parietibus tecto, tum de partibus remotis, nempè lignis & lapidibus, aliisquè, unde incipit executio, ita ut ibi cesset operatio, ubi doctrina incipit, nimirùm in domo perfectâ, & ubi operatio desiit, ibi doctrina sumat initium, quæ perspicuè est methodus analytica, quâ & Aristoteles est usus in Practicis.

3. Quàm igitur inscitè quis Physicam inceperit ab affectionibus corporis, & postea desierit in principia, tam inscitè fecerit, qui disciplinas Practicas orsus sit à me-

mediis, & hinc tendat in finem, id quod facit Piccolomineus in Gradibus, qui etsi non inficietur analyticâ methodo tradi posse Ethicam, tamen syntheticâ quoque tradi posse rationibus & facto ostendit. Sed scilicet aliter atque aliter valemus docere tam Practicas quàm Theoricas disciplinas, & vel sine ordine procedere, omnesvè pro arbitrio confundere, verùm de eo non quæritur, sed quid salvâ regulâ ordinis, salvâquè integritate disciplinarum, fieri possit, quibus interim non repugnat in methodo analyticâ methodus syntheticâ, nec in methodo syntheticâ analytica, sed partialis, non totalis, quâ de hîc sermo. Sanè vel in ipsâ Ethicâ, quæ analytici juris est, videas agi in particulari de principiis virtutum priùs, quàm ipsis virtutibus, id quod συνθετικόν, ipsa interim est & manet prioris generis, neque propterea mutat personam, sexumvè. Verùm meminisse debemus, nostrum non esse, limites semel agris infossos loco movere. Etenim, qui transfert lapides, secundum oraculum sacrum, affligetur ab eis.

Caput

CAPUT IX.

Quid Ethica, sive nominalitatem, sive realitatem ejus spectes? Et quæ ejus partes dividentes?

§. 1. ETHICA, (ut in hâc pedem pedumquè figam,) *si in mente artificis eam consideres*, ut sic est ἕξις τῶν πρακτῶν, habitus eorum, quæ sub actionem cadunt in genere morum, prudentia, inquam, dirigens actiones humanas morales, ut, quantum in hâc vitâ fieri potest, naturæ consiliatricis & auxiliatricis viribus benè beateque vivatur: *Sin in manu & libris*, systema sive syntagma certæ disciplinæ, quo necessaria ad mores, traduntur: Sic dicta ἀπὸ τοῦ ἤθεως ἢ ἔθεως, quorũ illud mores, seu objectum hujus disciplinæ, hoc causam efficientem ejus objecti designat. Verùm enimverò evaluit ac prævaluit vox prior in scholis, atque inde ipsa disciplina Ἠθικὴ cognominata, subaudi διδαχὴ, non Ἐθικὴ. Quòd si interim utramque vocem juvet conjungere, tunc sanè Ethica nominaliter fuerit, doctrina de moribus per assuefactionem comparandis, affectibusquè mitificandis, quoniam τὸ ἔθος assuefactionem, τὸ ἦθος verò præter mores affectus quoque mitiores significat, quales efficit & præstat hæc Philosophiæ Practicæ pars.

2. *Partes ejus dividentes secundum alios tres sunt*, una de fine, non quidem an sit, id quod supponi debet, sed quid sit, altera de obje-

ctio,

cto, sine quo finis in subjectum introduci nequit, tertia de mediis, per quæ introduci debet: *Secundum alios verò duæ tantùm, & quidē ambidextrè, ἡ Εὐδαιμονολογία καὶ Ἀρετολογία, Ἀρετολογία καὶ Εὐδαιμονολογία, Doctrina de Beatâ Vitâ & Rectâ Vitâ. Rectâ Vitâ & Beatâ Vitâ.* Quicquid enim in Ethicis docetur, id omne, vel ad finem, qui beatitudo, vel ad media, quæ virtutes, referri potest, ad beatam, inquam, & rectam vitam, rectam, inquam, & beatam vitam. Perindè namque est, sive ab illâ, sive ab hâc, ab hâc, sive ab illâ, initium duxeris. Virtus siquidem, quid & qualis sit, intelligi facilè poterit, etiamsi de beatitudine nondum exquisitè sit actum, & contrà, beatitudinis quæ sit natura non est difficile assequi, licet de virtute nondum exquisitè sit actum, dum quis utriusque confusam & generalem notitiam habeat modò.

3. *Nos tamen, non Aretologiæ, sed Eudæmonologiæ, primas damus cum Peripateticis*, tum quia finis est notior mediis, ducentibus ad finem, distinctamquè sequentium cognitionem exhibet, dum facit, & ad inventionem, & ad dispositionem ac descriptionem mediorum, quod autem notius idem & prius, tum quia finis, licet sit ultimus in operatione, cujus ordo progreditur à mediis ad finem, tamen est primus in intentione & in-

ventione, quarum ordo progreditur à fine ad media, à prioribus autem procedendum ad posteriora doctrinaliter, tum quia finis habet rationem principii in Practicis, & provocat agens ad agendum, à principiis autem initium capessendum, cùm sine his cætera explicari nequeant, tum denique, quia id, quod ab omnibus partibus præsupponitur, ante omnes partes explicari debet, perquè consequens ἡ εὐδαιμονολογία ante ἀρετολογίαν.

CAPUT. X.

Quid ἡ Εὐδαιμονολογία, quæ prior Ethices pars, eiquè substrata Εὐδαιμονία, quà nomen, quà rem nomine vestitam, cum connotatione insinuativâ subjecti ejus formalis operationis anticipativè.

§. I. Ἡ Εὐδαιμονολογία *nihil aliud est, quàm doctrina de Regimine Beatitudinis Humanæ sive Hominis, qui Homo subjectum formale operationis beatitudinis: Non Deus, Angelivè,* quia de beatitudine humanâ & Philosophicâ hic agitur, non divinâ & Theosophicâ: *Bestiavè*, quia subjectum capax hujus beatitudinis debet esse agens voluntarium, hoc est, tale, ut habeat libertatem contradictionis, quâ actum aliquem possit elicere, aut suspendere, etiam positis omnibus ad agendum necessariis requisitis, jam verò bestiæ non sunt agentia voluntaria, cùm positis ad agendum requisitis,

ſitis, non poſſint non ferri in objectum: *Puerive infantes*, non quidem ob rationis carentiam, & reſpectu facultatis, & reſpectu facti ſive actus, ut beſtiæ, verùm ob ejuſdem defectum, quia per ætatem adhuc deſtituuntur agibilium cognitione, ſeriâ deliberatione, liberâ electione, appetitus reformatione, ratione facultatis, eorundemquè executione, ratione facti. Quamvis enim habeant rationem in actu primo, tamen nondum habent eam in actu ſecundo, cùm rectæ rationis uſum potentiâ tantùm habeant, animâ intelligente, quæ eſt in eis, innatâ ac redundante humiditate oppreſſâ, convenienterquè beatitudinem, quæ in rectæ rationis uſu morali conſiſtit, potentialiter ſive poteſtativè tantùm: *Morioneſvè*, idquè ob ligatum depravatumquè rationis uſum: *Servivè*, ſimiliter ob ligatam libertatem, ſi minùs facultatis, minimùm facti, quæ ad beatitudinem requiritur: *Mortuivè*, ut qui ſecundum virtutem operari nequeant, in cujus operatione figitur beatitudo: *Sed Homines Adulti, & ſanæ mentis*, tum quia non puer, ſed vir, perfectus eſt, perfectione accidentali, non eſſentiali, tum quia ad beatitudinem requiritur longum vitæ tempus, quod majus in viris, quàm in pueris, & in ſenibus, quàm in viris, aut hominibus conſiſtentis ætatis, quorum felicitas telis fortunæ magis eſt expoſita in comparatione.

2. Ἡ Εὐδαιμονία *sive Beatitudo hac Hominis, finitore Aristotele, est operatio animæ rationalis, secundum optimam & perfectissimam virtutem, in vitâ perfectâ.*

3. Juvat ἀναλύειν. *Definitum est Beatitudo Hominis sive Humana.*

4. Hæc Græcè philosophantibus appellatur, modò εὐδαιμονία bonigenia, ἀπὸ τοῦ εὐδαιμονεῖν, sive ab εὖ καὶ δαίμων, tum quòd bonus tantùm animus eam habeat, qui cuique dæmon, tum quòd à bono genio, aut Deo potiùs, qui genius geniorum, proveniat, tum quòd ad statum dæmonum & geniorũ nos evehat per εὐζωίαν καὶ εὐπραξίαν, quoniam τῷ εὖ ζῆν, καὶ εὖ πράττειν, benè vivendo per virtutis habitum, & agendo per actiones illius, homines tantùm non dæmonibus & geniis assimilantur, modò ab adjuncto gaudio μακαρισμὸς, ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν, quæ vox propriè Deo convenit, qui solus Gaudentius, solus Lætus, sicut ἡ εὐδαιμονία hominibus superstitibus: (Cùm enim duæ sint species τῆς τιμῆς, καὶ τιμίων ἀγαθῶν, honoris ac honorabilium bonorum, ex his ὁ εὐδαιμονισμὸς quidem hominibus divinis, & virtute Deo proximis, tribuitur, ὁ μακαρισμὸς verò Deo, cùm non deceat εὐδαιμονίζειν, nisi homines divinos, μακαρίζειν nisi Deum, quãvis has voces nunc indiscreverit usus:) modò εὐτυχία καὶ συντυχία τῶν ἀγαθῶν, syncretismus bonorum, vel quia optima τυγχάνει acci-

accidunt ei, qui eâ est instructus, sinequè fortunæ bonis beatitudo nõ temerè cuiquã contingit, vel quia vulgus hominũ in his arcem felicitatis cõstituit, unde & εὐημερία, ab annorũ feracitate, εὐημερία, à dierũ prosperitate, & εὐπορία ac χορηγία, ab abundantiâ & præbendi facultate, coindigitatur aliter.

5. Latinè philosophantibus, modò beatitudo, modò summum bonum, modò ultimus finis, modò felicitas dicitur, qui termini, quamvis sint æquipollentes usu loquendi, quo de pro synonymis habentur, tamen sunt disquipollentes usu artis. Beatitudo enim ἐν πλάτει est omnium bonorum saturativorum, quæ homini, quà animam, quà corpus, quà fortunas, necessaria sunt ad benè vivendum, secretis malis omnibus, cumulata complexio, conjuncta cum vitæ tranquillitate, quæ à virtute primariò, ejusquè actione, à cæteris verò bonis secundariò: Summũ bonum strictè illud est, quod inter hæc ipsa bonorum genera principem obtinet locum, quale bonũ virtus, & hujus actio: Ultimus finis eadem quidem virtutis actio, verùm quatenus ad eam, tanquam ad ultimam metam, contendimus, in quam dum ferimur, scopus cum Stoicis appellatur, cùm verò jam in eâdem figimur, eamquè attingimus, finis, qui hoc differt secundum Scholasticos à summo bono, quòd hoc in homine terminetur, ille

non in homine, sed in hominis conditore Deo, cujus gloriæ omnia serviunt, sicut brutorum v. g. finis est, inservire usibus hominum, quos præstant etiam cum damno atque interitu suo, quem tamen brutorum finem esse illorum bonum nemo sanæ mentis dixerit: Felicitas beatitudinem describit quidem & ipsa, verùm universè magis à posteriori, hoc est, à fortunæ bonis, in quibus vulgus beatitudinis proram & puppim ponit, quoniam sine his fortunæ bonis ea non temerè cuiquam contingit.

6. *Tantum de Definito. Definitio constat Genere, & Differentiâ specificâ.*

7. *Genus est operatio, eaquè tam interna, quàm externa*: Eccur? Quia enim beatitudo est perfectio, res autem est perfecta in tantum, in quantum est actu: Jam verò bis alienum foret, aliarum rerum bonitatem in operatione collocare, ipsius verò hominis, qui rex & imperator est aliarum rerum, non item. Quòd si fabri lignarii, sutoris, sartoris, tibicinis, vilissimorum opificum, sua sunt opera & munera, quà talium, si oculorum, manuum, pedum, omnium denique partium hominis, ergò multò magis ipsius hominis, quà talis, cùm sit artium conditor & inventor, totumquè, ideoquè non inferior vel illis, putà artibus, vel istis, putà partibus.

8. *Dif-*

8. *Differentia Specifica non una, sed vel quintuplex.*

9. *Dicitur quippè primò, operatio animæ, non corporis.* Quamvis enim beatitudo non ad solam animam pertineat, sed ad totum hominem, conquè venienter etiam ad corpus, quia tamen non à corpore principaliter, sed ab animâ, dependet, & hujus respectu homini attribuitur, rectè operatio animæ, non corporis, nuncupatur. Neque enim hîc subjectum, sed principium actionis spectamus, quorum illud totus homo, hoc anima, non corpus.

10. *Dicitur secundò, operatio animæ rationalis, non vegetativæ, sensitivævè:* Non illius, quia hæc nobis cum plantis communis, nullius virtutis receptiva: Non hujus, quia hæc communis nobis cum bestiis, virtutis incapacibus. Scilicet homo ex corpore, tanquam materiâ, & animâ rationali, tanquam formâ, constat, quæ dat esse specificum. Quod si ita, utique animæ rationalis opus proprium & proximum fuerit hominis, quà homo est, loquendo de agente principali, non agente toto.

11. *Dicitur tertiò, operatio animæ rationalis secundum virtutem.* Operationis namque nomen generale est, & tam bonæ quàm malæ convenit, beatitudo autem non in malâ operatione est posita, sed in bonâ, qualis, quæ secundum virtutem.

12. *Dicitur quartò, operatio animæ rationalis secundum virtutem, & quidem optimam ac perfectissimam.* Etenim, si bona actio ideò bona, quia secundum virtutem, eadem optima ac perfectissima fuerit, quia secũdum virtutem optimam & perfectissimam: Per quam alii Moralistæ sapientiam intelligunt in genere intellectualium, justitiam verò universalem in genere moralium, quia utraque totum quoddam, alii prudentiam, ut in quâ omnes virtutes morales quasi sacro nodo sint connexæ, malè, quia beatitudo finis, prudentia verò mediorum, non unam quandam specialem virtutẽ, ejusquè operationem alii, sed omnium virtutum ἄθροισμον, hoc est, virtutem ὅλην atque universam, eò quòd hîc definiatur beatitudo, non partialiter, sed totaliter.

13. *Dicitur quintò, operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam, verùm in vitâ perfectâ.* Quam alii vitæ hominis coæquant & coëxtendunt, sed contra mentem Philosophi, qui pueros negat esse capaces beatitudinis, adolescentes verò idoneos auditores ejus disciplinæ, quæ de eâ tractat: Alii per vitam perfectam intelligunt reliquum vitæ tempus, postquam quis felicitatis possessionem est consecutus, benè, saltem non malè: Alii denique longum vitæ actum & tractum, hoc est, vitam perfectæ ætatis ac temporis, eò quòd beatitu-

titudini attribuenda sint perfectissima, tempora autem longa brevioribus sint perfectiora, cùm ad æternitatis viciniam accedant, ut non malè quoad majorem beatitudinis existentiam, sive beatitudinem extensivam, quando ea sumitur pro aggregato ex bonis animi corporis & fortunæ, inter quæ etiam vitæ prolixitas, qualis beatitudo habet tempus, tanquam partem essentialem, ita non benè, saltem non optimè, quoad ejusdem essentiam, sive beatitudinem intensivam. Neque enim ita ad beatitudinem requiritur extensio temporis, ut ratione extensionis ea quoque fiat intensior, cùm secundum intensionem simul acquiratur, inquè individuo temporis sit posita, sive indivisibili atque impartibili puncto, planè sicut aqua tunc calida audit secundum intensionem, quando actu incaluit, licet diutiùs calida sit secundum extensionem, quò diutiùs caluit, & seriùs decaluit. Hæc & alia definibundus Aristoteles.

CAPUT. XI.

Accessorius elenchus contra Solonistas, posthuma εὐδαιμονίας exaggeratores, contraria verò inhumata ἀδαιμονίας exagitatores intempestivos, cum intercessorio elencho contra Stoicos, disparata δυσδαιμονίας vilipendulos.

§. I. EX definitione hâc Aristotelicâ beatitudinis eâdem operâ patet, quid de Solonismo Solonistarum sentiendum sit, qui cum magistro suo Solone assertum ibant, neminem ante novissima posse dici beatum, eò quòd homo, dum hujus lucis usurâ fruitur, nunquam plenè ac planè sit extra τὰ δυστυχήματα, extra omnem mali sensum, quos Aristoteles jugulat hoc argumento, quòd beatus, cùm possideat virtutem optimam & perfectissimam, omnes casus fortunæ adversæ decenter ferat, qui si parvi & pauci, non plus habeant momenti apud eum, atque in bilance duo tresvè scrupuli, duo triavè granula, superaddita ponderi, sin magni & multi, afferant quidem aliquid momenti ad pondus, quale uncia, aut selibra, obadditæ ponderi, verùm citra beatitudinis naufragium, quam adversa fortuna obscurat quidem, sed non tollit, cùm sit extrinsecum quid, ideoquè internam beatitudinis essentiã haud evacuet. Quamvis enim in has angustias redactus beatus noster, quando v. g. in Priamica mala incidit, & vel in Phalaridis tauro torretur cum Perillo, vel in Nicrocreontis mortario ferreis pistillis tunditur cum Anaxarcho, non sit ἁπλῶς, ex asse, omnibusquè, quod ajunt, numeris beatus, eò quòd mutatio bonorum corporis & fortunæ, etsi non auferat beatitudinis essentiam, auferat tamen integritatem.

tem, quemadmodum abſciſſa manus, etſi non tollat humanitatem, facit tamen hominem mutilum, nihilominùs majorem ac præſtantiorem ejus partem, nempè virtutem, poſſideat in tali articulo, ſi minùs in actu exercito, animo compatiente cum corpore patiente, propter arctiſſimam συζυγίαν, & ſyncretiſmum virtualem, qui impeditur in inſtrumentis deſervientibus potentiæ, quibus tunc ea caret, unde fit, ut non poſſit benè diſponi ad operandum ſecundum vires humanas, neque εὖ πράττειν univerſaliter, atque ad alium, minimùm in actu ſignato, atque ad ſeipſum, ad quam rem bona interna ſufficere videntur, incomitata externis, quæ bona poſſidere potis eſt animus πῶς aliquo modo, etiam cùm corpori ægrè eſt, cujus tormenta & cruciatus hactenus boni, ſi ferantur & perferantur per virtutem, hoc eſt, non in & per ſe, verùm per accidens, quatenus videlicet per ea, quæ mala alioqui, obtingit aliquod aliud bonum, id quod veriſimiliter voluiſſe videntur Stoici cum μεγαλοφιλοσοφίᾳ ſuâ abſtractâ, quando talem nobis deſcribunt ſapientem, quo ne Jupiter, cujus ille collega eſt, plus poſſit, etſi diutiùs poſſit. Dico in actu ſignato. Neque enim omninò & peremtoriè obruitur atque evaſtatur in adverſitatibus virtus, verùm in his ipſis elucet τὸ

σειμὸν ejus, dum vir bonus illis non succumbit.

2. Sed demus sanè Solonistis ex liberalitate Philosophicâ, imminentes mutationes efficere, ut beatitudo, quæ adest, esse desinat, tamen non id quoque efficient, ut, dum adest, de eo affirmari nequeat, cui adfuerit. Perabsurdum namque, alicui tribuere aliquid, non quòd nunc id habeat, sed quòd aliquandò habuerit. Cùm enim statuant Solonistæ, aliquem posse dici beatum, quòd fuerit, multò magis concedere debent, siquidem sibi consentire velint, eum esse beatum, dum est actu. Propter quod enim unumquodque tale est, illud magis tale est. Quòd si ergò verè post mortem quis Solonicè & Solonisticè dicitur beatus fuisse, dùm viveret, ergò, dum vivebat, verè licuit dicere, eum esse beatum. Omnis siquidem propositio de præterito est vera, quando id in aliquo præsenti fuit verum: Quare, si post mortem verè dicitur, hic fuit beatus, certè aliquandò dicere licuit, hic est beatus, perquè consequens, qui vivit, interea, dum vivit, si beatus est, dici potest beatus esse, sed non absolutè & simpliciter, quomodò nemo ante obitum potest dici beatus, nisi præfiscinè, & cum hâc clausulâ, quòd ita vivat, mortemquè ei vitæ congruentem obeat, verùm secundum quid, & pro tunc, sive pro aliquo definito & determinato

terminato tempore, quomodo quis etiam ante obitum potest dici beatus, (Cum namque, cùm adest affectio, subjectum ab eo non denominetur, dum verò abest, denominetur, præsertim cùm per cætera bona, quæ tamen summum bonum formaliter non sunt, homo denominetur, v. g. dives à divitiis, doctus à doctrinâ?) si minùs extensivè, & quoad majorem existentiam, quomodo beatitudo requirere videtur bonorum continuationem, immò perpetuitatem, mortem item placidam vitæ anteactæ respondentem, saltem intensivè, & quoad essentiam, quomodo omnes, qui felices sunt, ante mortem tales sunt. Positâ namque causâ ponitur effectus: Atqui causa, propter quam aliquis dicitur beatus, est virtus, & ejus actio, utraque autem ante mortem, cùm mortui non agant, sed deagant, hoc est, agere desinant: Ergò!

Caput XII.

Εὐδαιμονίας divisio in Theoreticam & Practicam, cum utriusque notis essentialibus, quibus cen coloribus suam hanc Venerem ornare voluit Philosophus, quò alliceret rivales.

Sic *definita* Εὐδαιμονία *vel Theoretica est, sive Speculativa, vel Practica, sive Activa.* Quæ divisio non generis in species,

cùm summum ultimum optimum in omni genere sit unum, nec ferat coæquale in eodem genere, verùm totius in partes, aut gradus. Ad duo quippè natura hominem, mundi epilogum, genuit, ad θεωρίαν videlicet τῶν ὄντων, contemplationem eorum, quæ sunt, & πρᾶξιν τῶν δεόντων, actionem eorum, quæ decent, quorum alterum beatitudinis Theoreticæ per virtutes mentis, quæ veri, alterum Practicæ, per virtutes moris, quæ boni.

2. *Vtriusque Idiomata & Προσκείμενα; attributa, inquam, essentialia, ac prædicata interna, breviter hæc sunt. numero bissena.* I. *Quòd beatitudo, sive summum, quod vocant, bonum, sit ἀκρότατον καὶ τελειότατόν τι*, summum quid & perfectissimum: Summum, quia bonum, & quidem optimum, quo non datur aliud superius, ut in quo appetitus ultimatè terminetur, & in quo omnia bona concurrendo concurrant: Perfectissimum, quia finis, qui perfectio, & quidem ultimus, qui ultima perfectio. II. *Quòd αὐταρκὴς*, sufficiens, & seipso contentum bonum, adeoquè tale, quo obtento nihil possis aut debeas ultrà expetere extra illud. III. *Quòd δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν*, per & propter se optabile atque expetibile bonum: Quâ de re? Quia enim rectus ordo bonorum hoc postulat, ut unum propter se, cætera verò propter illud expetantur, ne progressio currat in infi-

infinitum. IV. *Quòd* ἥδιστόν τι τῷ φιλαρέτῳ, bonum jucundissimum studioso candidato virtutis, cujus conscientiam domi serenat & tranquillat hoc bonum, non secùs ac mare procellosum almus sol, cùm sunt halcyonia sive alcedonia. V. *Quòd* οἰκεῖον, bonum proprium ac domesticum ejus, qui illud sibi acquisivit. Neque enim ab aliis illud petere aut expectare necesse habemus, sed in nostrâ illud est manu ac potestate, per se ac suo labore quivis acquirere illud potest, &, quando ejus particeps est, pro suo lubitu utiquè fruiquè. VI. *Ideoquè* κτητὸν καὶ πρακτὸν ἀνθρώπῳ, hominis studio atq; industriâ comparabile. Quòd si enim incomparabile foret, neque tale, quod caderet in hominem, tunc frustrà utique appeteretur, aut, si à cæco fortunæ flatu foret, jam nihil prærogativæ industrius præ ocioso, bonus præ malo haberet. VII. *Quòd* πολύκοινον, commune. Non enim ad certas personas restrictum est, sed à quovis homine virtutis studioso acquiri potest. Dicitur autem tale ratione δυνάμεως potentiæ, non actus, quia ut sic non possidetur ab omnibus indistinctè, verùm à virtutum alumnis tantùm. VIII. *Quòd* κοινωνικόν, sui communicativum. Cùm enim omne bonum diffusivum sui cum Thomâ, tum vel maximè summum, quod bonitatem suam communicat in infinitum, hoc est, summè.

IX. *Quòd*

IX. Quòd μόνιμον καὶ μηδαμῶς εὐμετάβολον, ἀναφαίρετον, inquam, saltem δυσαφαίρετον, stabile, ac propemodùm immutabile, inalienabile, minimùm difficulter alienabile, bonũ, ut quod firmitatem suam tetragonicã habeat à virtute, quæ stabilissima humanorũ bonorum; ut quæ nec possit eripi invitis, sed nec oblivione per desuetudinis aut inclinationis defectum amitti, quoniam in eâ beati indesinenter vivunt, saltem victuriunt. Dico δυσαφαίρετον, καὶ μηδαμῶς εὐμετάβολον. Nullus quippè habitus tam firmis hæret radicibus, quin labefactari, immò perire totus possit, tum per actus contrarios, tum per propriorum actuum intermissionem, sed non facilè scilicet. X. Quòd τίμιον, honorabile, ut quod non tantùm laude dignũ sit propter aliud, ad quod conducit, ut τὰ ἐπαινετὰ sive laudabilia bona, quæ merentur laudem ob usum, quẽ præstant, sed in seipso præstantissimum sit, cùm non referatur aliò, verùm in seipso finem ac perfectionem habeat, tanquam bonum omni veneratione dignissimum. XI. Quòd θεῖον καὶ θεόσδοτον, bis divinum, & ratione dignitatis, quoniam eo in civilibus post Deum nihil nobilius, & ratione causæ conficientis remotæ, quæ idemmet Deus, ens nobilissimum diviniſſimumquè. XII. Quòd μὴ βίαιον, οὐδὲ ἀεργὸν, inviolentum atque inferiatum: Inviolentum, & quoad modum

dum acquirendi, & quoad modum possidendi, & quoad modum exercendi: (Neque enim per vim, sed honestis actionibus, acquiritur hoc bonum, nec per fraudes, sed virtutes, possidetur, neque coactè, sed liberè, exercetur:) Inferiatum, quia nec dormientis, nec ociosi: Non illius, eò quod somnus laudabilium functionum sit privatio: Sed nec hujus, quia ocium malè collocatum, uti virtutis impedimentum, ita contrariorum vitiorum invitamentum, irritamentumvè.

Caput XIII.

Vtriusque Beatitudinis comparatio inter se, cum interpunctionis spongiâ.

§. 1. *Quòd si prædictos beatitudinis gradus consideres ἁπλῶς, absolutè atque in se, quoad præstantiam intrinsecam, adeoquè ex parte rei, circa quam extrinsecùs versantur, modumquè cognoscendi illam rem, hoc ἁπλῆψεως τρόπῳ, considerandi modo, na Beatitudo Theoretica antestat Practica.* I. *Ob nobilitatem absolutã subjecti,* quod præstantius, cùm cõsistat in operatione nobilissimę facultatis in homine, putà mentis supra sensus elevatæ, quæ nobilior cæteris potentiis, neq; ita extensa extensione subjecti. II. *Ob nobilitatem abso-*

absolutam objecti. Sicut enim perfectissimæ potentiæ operatio perfectissima, ita perfectissimæ operationis perfectissimum objectum, quod in præsentiquè argumento divina, non humana, pertinentia ad partem animæ sensualem. III. *Ob nobilitatem absolutam finis*, ut quæ, tanquam ultimum expetibile ac desiderabile, expetatur sui unicè gratiâ, non ob finem alium, cum Adamo protoplastâ, qui in statu innocentiæ vixit vitam contemplativam, & post lapsum demùm ad activam descendit. IV. *Ob nobilitatem absolutam effectus*, ut quæ regiâ viâ manuducat nos ad cognitionem ac contemplationem primæ causę, quę Deus. V. *Ob nobilitatem absolutam adjunctorum, sive proprietatum atque affectionum beatitudinalium.* Habet siquidem beatitudo Theoretica voluptates, & stabiliores, & sufficientiores, & sinceriores, tranquilliorésquè: Stabiliores, quia operatio ejus fit per mentem quæ non extenditur in instrumento corporeo, ideoquè minùs propter defatigationem interrumpitur, ut cæteræ operationes, quæ magis, nescio quomodo, indigent instrumentis corporeis, magisquè sunt materiales, quantò autem actio aliqua magis materialis, tantò magis defatigatur homo ob attenuationem spirituum: Sufficientiores, quia non æquè eget instrumentis naturæ & fortunæ, corporis, inquam, & externis bonis,

bonis, in producendis operationibus, aut, si indiget, eget his, non sui, verùm necessitatum corporis gratiâ, hoc est, non per se, sed per accidens, quatenus videlicet, qui contemplationi vacant, sunt homines, neque ex solâ mente, sed etiam ex corpore constant, indigente ejusmodi subsidiis: Sinceriores, cùm consistat in actione animi purgati, & quodammodò à materiâ sejuncti: Tranquilliores, vel ideò, quia acquirimus virtutes morales, ipsamquè adeò beatitudinem activam, propter illam, ut quiescentes in sacro ocio securè contemplemur, quasi in pergulâ Philosophicâ. VI. *Ob nobilitatem operationis per demonstrationem τοῦ διότι*, quæ fit per causam, non τοῦ ὅτι, quæ per effectum; quarum illa à priori, hæc à posteriori, ideoquè illa prior, hæc posterior. Scilicet triplex operatio in suâ latitudine, factiva, activa, & contemplativa. Ex his imperfectior factiva, quæ perficit potiùs ipsum opus, quàm operantem, perfectior activa, quæ perficit habentem, etiam quin extra extenditur ad alios, sed perfectissima contemplativa, ut quæ perficiat habentem secundum potentiam nobilissimam, neque ordinetur ad quid aliud, nisi per accidens.

2. *Sin eosdem beatitudinis gradus consideres σχετικῶς & relatè, quoad necessitatem atque usum, quem præstant in vitâ humanâ, perquè rela-*

relationem ad nos, hoc ὑπολήψεως τρόπῳ, considerandi modo, ne Beatitudo Practica antestat Theoretica. I. *Ob nobilitatem moralem subjecti*, quod appetitus, qui, ſicut intellectus princeps ac prædominans animæ pars intelligendo, ita hic perſequendo, quod ille intellexit: Atqui Deo chariſſimi, non qui intelligentiſſimi, ſed qui actuoſiſſimi. II. *Ob nobilitatem moralem objecti*; quod bonum honeſtum, in actione, non contemplatione, conſiſtens. Facere namque Philoſophia docet, non dicere, nec ſcire, verùm ſcitis uti. III. *Ob nobilitatem moralem finis*, qui beatitudinis Practicæ bonum, Theoreticæ verum: Atqui bonum nobilius vero in comparatione. IV. *Ob nobilitatem moralem effectus.* Satius ſiquidem egentes v. g. ſublevare, periclitantis ſalutem expedire, quàm vel ſtellas dinumerare, mundivè magnitudinem metiri. V. *Ob nobilitatem moralem adjunctorum, ſive proprietatum atque affectionum beatitudinalium.* Neque enim tantùm jucundiores ſunt voluptates Practicæ, proficiſcentes ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, ſed etiam firmiores, ſive habitum virtutis moralis ſpectes, qui aſſuetudine, non diſciplinâ, acquiritur, atque ob id minùs oblivionis periculo ſubjicitur, ſive actiones ejus internas, quoad quas vir bonus ſemper in procinctu eſt ad agendum, ut decet, dum offeratur ei occaſio.

modò,.

modò, licet quoad actiones externas minùs assiduè valeat agere, idquè ob defectum occasionum, conquè sequenter minùs ex his voluptates percipere semper. VI. *Ob nobilitatem moralem operationis*, per quam continenter vir probus utitur suâ probitate. Quamvis enim non ab extra operetur semper, ut dictum, ab intra tamen perturbationes componit semper. VII. *Denique ob ignobilitatem oppositi* resultantemquè exindè contrariam cöoppositi nobilitatem. Cujus siquidem oppositum deterius, illud in oppositione censeri debet melius, cùm oppositorum opposita sit natura: Atqui secundum Scotum deterius [illegible]e Deum, quàm malè de eo sentire, deterior, inquam, nequitia, quàm inscitia, pravitas, quàm ruditas: Ergò!

3. Ego utramque conjugio Philosophico junxerim, tanquam Platonis Androgynum, ex contemplatione, ut mare, & actione, ut fœminâ, constantem.

CAPUT. XIV.

Κορωνίς de utriusque Beatitudinis, tam Theoretica, quàm Practica, perfectihabeitate, cum gradibus imperfectionis in subjecto beabili beandove.

§. 1.

§. I. UTerque beatitudinis Philosophicæ gradus in hâc vitâ cadit in hominem beabilem, beandumvè, & non cadit: Non cadit comparatè ad statum beatitudinis primævæ, simpliciter, abstractivè, quoad essentiam ac definitionem, perfectè, habitualiter, quo sensu summum hominis bonum in statu τῆς ἀποστασίας, & naturæ corruptæ, nec Theosophicè, nec Philosophicè ad plenum datur, nisi in descriptione & ideâ, idquè ob διχοστασίαν, dissidium carnis & spiritus, potentiarumquè superiorum ac inferiorum ἀνωμαλίαν sive exorbitantiam, quæ reliqua etiamnum in homine post tristem protoplastarum παρέκβασιν transgressionem, etiam post regenerationem, & virtutis acquisitionem, cujus operatio in operante est imperfecta, sive contemplationem, sive actionem spectes, jam verò qualis causa, tale effectum.

2. *Cadit extra comparationem ad statum primævum, secundum quid, contractè, partialiter, quoad existentiam in hoc vel illo subjecto, imperfectè, dispositivè.* Probatur. Ubi datur virtus, & contemplatio atque actio secundum eam, exquè utrisque resultans animi malacia ac serenitas, cum proportionatis debitè corporis & fortunæ bonis, ibi datur beatitudo, cujus hæc sunt fundamenta & partes: Atqui hæc dantur in homine, non tantum collectivè, quatenus est species subalter-

alterna, sed etiam distributivè, quatenus est species specialissima, sive individuum, non quasi totaliter & perfectè inveniatur in hoc vel illo supposito, Petro, Paulo, Calliâ, Hippiâ, cùm nemo mortalium fuerit, nec sit, nec futurus sit, qui præter virtutem perfectam omnia corporis & fortunæ bona habuerit, sed quod in multis, ita ut compensetur ex multis, quòd desideratur in uno: Ergò!

3. Quid multis? Opposita sunt nata fieri in eodem, haud equidem simul, verùm successivè: Homo extremæ miseriæ quadamtenus est particeps in hâc vitâ: Ergò & oppositæ beatitudinis, ut qui à Deo creatus sit, non ad illam, sed ad hanc.

4. *Quod attinet gradus beatitudinis, hos illa admittit, non priori, sed posteriori considerandi modo, hoc est, non respectu sui, sed subjecti sui, nec ut est, verùm ut inest.* Utut enim non recipiat hos agnoscatquè ratione essentiæ & perfectionis, quo intuitu consistit in indivisibili atque impartibili, & nec magis nec minùs admittit, recipit tamen ratione existentiæ suæ, prout subjecto suo inest, quo aspectu consistit in divisibili, magisquè & minùs haud abnuit inter varia supposita hominum beatorum, quorum unus alter beatior esse potest, sicut alii aliis sunt doctiores, justiores, immò inter unum idemquè suppositum hominis, diverso tempore

pore ſpectati, qui beatior eſſe poteſt tempore ultimo, quàm primo.

CAPUT XV.

Remiſſio Εὐδαιμονίας Theoretica ad ſuperius diſciplinarum auditorium, per condeſcenſum ad Practicam, tanquam inſtituto proximiorem.

§. 1. VErùm enimverò, quia conſideratio Beatitudinis Theoreticæ ad Ethicum ex profeſſo, quoad totum, inquam, eſſe, & ſecundum totum uſum, haud pertinet, (quæ cauſa, cur Ariſtoteles, de utrâque verba faciens, leviùs, atque ex eventu quodammodò, & per viam commentarii, egerit de hâc, nec niſi, quia eſt pars communis, & finis communis vitæ humanæ, non in actione ſolùm, verùm etiam contemplatione, conſiſtentis, atque ut ſic ex collatione utriuſq; beatitudinis hoc meliùs intelligeretur, & ab alterâ diſtingueretur in communi ſubjecto beatitudo, quam vocant, activa,) idcircò illam ad alios artifices ex præſcripto artis remittimus, unicè, ſaltem maximè, occupabundi in hâc.

2. Qui illi? Metaphyſicus & Phyſicus. Quatenus enim eſt in contemplatione poſita primæ cauſæ, ut ſic ad Metaphyſicum ſpectat, quatenus verò conſideratur, ut perfectio quædam hominis, qui eſt ſpecies corporis Phyſici, ut ſic ad Phyſicum, cujus exami-

examinare principia interna operationis, quale principium anima, combinata cum corpore.

CAPUT. XVI.

Annon ἡ Εὐδαιμονία sive Beatitudo Practica sit τοῦ συνθέτου compositi, ideoquè Bonorum, quà Animi, quà Corporis, quà Fortunæ, collectivè sive aggregativè, sicut opposita Ἀδαιμονία Practica contrariorum malorum correspectivè?

§. 1. HἙΕὐδαιμονία *Practica nihil aliud est, quàm optimus status Animi & Corporis, cum justo comitatu Bonorum Fortunæ*, bonum, inquam, cumulatum animi corporis ac fortunæ, materialiter constans ex diversæ naturæ partibus, formaliter verò ex partibus certo ordine coadunatis. Priori modo non unum sed multiplex, posteriori non multiplex sed unum. Ut ita, rectè posito calculo Philosophico, homo Practicè beatus sit subjectum bonorum internorum, putà, animi & corporis, recipiens continens, ipsa verò bona adjuncta recepta contenta, contrà bonorum externorum, persuade fortunæ, ille subjectum sustinens, hæc adjuncta sustentata.

2. *Bona Animi dicuntur, quibus animus perficitur per se*, ceu sunt, animo convenientes habitus, tam Speculativi, quàm Practici, & actiones, quæ ex iis proficiscuntur, cum harum comite voluptate.

3. *Bona Corporis dicuntur, quibus corpus perficitur per se*, ceu ſunt, ſanitas, quæ analogicè inter virtutes cardinales reſpondet juſtitiæ: Robur, quod analogicè inter virtutes cardinales reſpondet fortitudini: Pulchritudo, quæ analogicè inter virtutes cardinales reſpondet temperantiæ: Denique ſenſuum incolumitas, eorumquè tam internorum quàm externorum, conjuncta cum corporis εὐεργεσίᾳ, quæ analogicè reſpondet inter virtutes cardinales prudentiæ.

4. Suntquè vel univerſalia, ſive per totum corpus ſparſa, ut ſanitas, pulchritudo vel Particularia, ſive certorum membrorum propria, ut acies in oculis, acumē in auribus, vis in manibus, celeritas in pedibus, articulatio & diſtincta vocum formatio in linguâ.

5. *Bona Fortunæ dicuntur, quibus tam animus quàm corpus perficitur per accidens, ſive perfectione accidentali & extrinſecâ*, ceu ſunt, nobilitas civilis, honor, laus, gloria, bona fama, libertas, πολυτεκνία καὶ εὐτεκνία, amici, qui bonum quidem internum reſpectu noſtræ erga alios benevolentiæ, reverà autem externum reſpectu aliorum benevolentiæ erga nos, denique divitiæ, eæquè tam naturales, quibus primò ſuccurritur indigentiæ humanæ, ad defectus naturales tollendos, ſic dictæ ex eo, quia ipſa natura nos illas parare docet, ut ſunt, plantæ, pecora,

pecora, prædia, cibus, potus, habitaculum, vehiculum, & si quid his est simile, quod per se ad corpus, vel alendum, vel tegendum facit, quàm legales, ut sunt nummi & servi, artificialesquè, ut ædificia arte facta, supellex, & universè instrumenta domestica, tam activa, quàm factiva, quibus secundò succurritur indigentiæ humanæ, videlicet hactenus, quatenus illarum beneficio naturales divitiæ, vel comparantur, vèl conservantur, arte adjuvante naturam. Dico secundò, quia primò vita his non sustentatur, cùm ali his corpus nequeat, licet hactenus nobis inserviant, ut permutare & curare iis licet, quæ corpori primò sunt necessaria. Appello bona fortunæ, eò quòd magis fortunæ, id est, causæ alicujus externæ & incertæ beneficio, quàm vel naturâ, vel industriâ humanâ, acquiri queant, aut acquiri quidem, sed non ita custodiri, unde & externa nuncupantur συνωνύμως, quia extra corpus sunt, & nonnisi mediatè corpori adhibentur, aut extrinsecùs potiùs totum hominem attingunt.

6. *Ex his bona animi, partim propter se expetuntur, partim propter aliud, bona corporis, partim propter aliud, partim propter se, bona fortunæ tantùm propter aliud, non etiam propter se.* Bonâ animi partim propter se, partim propter aliud, ut virtus, quę expe-

titur propter se, quia hominem perficit, propter aliud, quia refertur ad actiones: Bona corporis partim propter aliud, partim propter se, ut sensuum integritas, quæ expetitur propter aliud, mille videlicet emolumenta, propter se, quia animal perficit: Bona fortunæ tantùm propter aliud, ut divitiæ, quæ expetuntur propter usum. Quamvis enim & ipsa sint simpliciter ac de se suiquè conditione bona per naturam intrinsecè, non secùs ac alma corporis bona, tamen non sunt semper bona alicui per usum extrinsecè, sive ratione utentis, sicut ægris nequaquam sana, quæ tamen sui naturâ sana, dulcia, quæ tamen sui naturâ dulcia. Etenim viro probo sunt bona tam illa quàm ista, tanquam instrumenta ad exercitationes virtutum, improbo verò mala propter incongruentem eorum usum, qui abusus contingens est, non necessarius, nec per se, sed per accidens, ut ita diversificentur secundum usum, sintquè tam bona quàm mala instrumentaliter, ideoquè indifferentia ratione usus, licet interim in & per se sint bona, si non moraliter, & quatenus cum aliis bonis conferuntur, quæ per se expetuntur, & propter quæ ipsa expetenda sunt, saltem naturaliter, quatenus considerantur in & per se, non autem per accidens, ac denominatione extrinsecâ cum Stoicis, contra quos gratis militant hæ rationes.

7. I. Quia

17. I. Quia bona corporis & fortunæ sunt connexa cum summo bono, sive κτῆσιν, possessionem ejus spectes, sive χρῆσιν, operationem atque usum II. Quia bonum augent accessione suâ, sicut contraria mala idemmet minuunt accessione suâ. Sicut ergò inter mala rectè numerantur, quæ bonum minuunt, tanquam heterogenea, cùm non valeat minuere bonum, nisi id, quod malum est, ita contrà rectè inter bona numerantur, quæ bonum augent, tanquam homogenea, cùm non valeat augere bonum, nisi id, quod bonum est. III. Quia alia bona nec acquiri sine his possunt, neque acquisitis uti sustinemus absque his: Eccur id? Quia enim sunt instrumenta ad acquirendas & exercendas operationes virtutum, quæ interdum circa quædam versantur, quæ absque bonis corporis & externis fieri nequeunt, quorum ideò absentia variè impedit actiones. Sicut enim illi, manci qui sunt, ad operationes animæ perficiundas inepti redduntur, non quòd facultate destituantur, sed quòd nulla habeant organa operandi, aut non satis proportionata, sic quidam reperiuntur, qui virtutem studio & consuetudine possent assequi, nisi his bonis destituerentur. IV. Quia, vel ipsorum Stoicorũ judicio, aut præjudicio veriùs, eligibilia, tanquam ut præposita ita præponẽda in electione, & contraria mala negligibilia, tan-

multò præstantiora his, sicut forma materiâ, quæ propter illam, similiterquè hæc propter ista. II. Quia bona corporis homini sunt cum bestiis communia & familiaria, quæ sæpè valentiores, torosiores, velociores, pulchriores homine, abusui insuper obnoxia, communia tam bonis quàm malis, neque utilia, nisi per bona animi, munere congruentis usus. III. Quia bona animi etiam in Deo & separatis mentibus habent aliquem locum, munera naturæ & fortunæ non item. IV. Quia bona naturæ & vitæ sive fortunæ, nobis instrumenti loco deserviunt, sicquè animo ancillantur, ut bona fortunæ corpori, quod propter animum, ideoquè sicut hæc corporis bonis sunt sequiora, ita illa animi bonis, ad quæ utraque ordinantur, ut ad finem, quo definiuntur. V. Denique, quia beatitudinis essentia consistit κατὰ κτῆσιν in habitu bonorum animi, κατὰ χρῆσιν verò in operatione secundum illum habitum, in illo causaliter, in hâc formaliter, quorum neutrum tenet, vel in illis, vel in istis.

10. *Secundo loco Bona, quæ vocant, Corporis*, quia de totius hominis beatitudine agitur, homo verò constat ex animo & corpore organico: Quo fit, ut præter animi bona corporis quoque sint ad eam necessaria, vel ideò, quia beatitudo hujus vitæ est operatio, animus autem in hâc vitâ operari ne-

quit ſine organo corporeo, & bonâ corporis diſpoſitione, cùm per indiſpoſitionem atque invaletudinem corporis, variè impediatur homo in operando, & quoad actiones internas virtutis, & quoad externas, quæ circa quædam verſantur, quæ abſque corporis bonis confici nequeunt, quas ideò homo exercere nequit, qui nunquam ſano eſt corpore: Quæ cauſa, quare Philoſophus fatuis & phreneticis abjudicet beatitudinem, etiamſi citra ſuam culpam hoc animi morbo laborent, eò quòd deſtituantur rectæ rationis judicio, liberâ voluntatis electione, appetituſquè moderatione, idquè propter inordinationem corpoream, & convenienter τοῖς πεπηρωμένοις ἢ ἀναπήροις hoc eſt, mancis, debilitatis, aut alioqui viribus captis, quoniam beatitudo eſt operatio ſine impedimento, hæc autem, quò ſit inimpedita, indiget bonis corporis, tanquam inſtrumentis, ne quis his orbatus impediatur honeſtè agere. Sed cur ſecundo loco? Tum quia & ipſa bona interna, ideoquè in comparatione magis neceſſaria externis, tanquam conjunctiora & proximiora nobis, atque ex potiore cauſâ pendentia, perſuade naturâ, tum quia potiora fortunæ bona aliquo modo ex his pendent, horumquè gratiâ experuntur.

2. *Tertio atque ultimo loco Bona, quæ vocant,*

tant, *Fortunæ* : Quia beatitudo totum hominem perficere debet, uti dictum, non potest autem absque fortunæ bonis, quibus homo corporeus, & ratione actionum animi, & ratione actionum corporis, indiget, non secùs ac opifex instrumentis, v. g. faber ferrarius igne, forcipibus, malleo, incude, faber lignarius regulâ, securi, dolabrâ, serrâ, absque quibus nihil ab opifice ex arte confieri potest. Sed cur tertio atque ultimo loco? Quia enim bona fortunæ sunt bona externa, non interna, sicut animi & corporis bona, nec per se necessaria ad consequendam beatitudinem, verùm per accidens, tanquam adjumenta interiorum bonorum, quæ ideò meritò præferuntur illis in hoc trigario bonorum, in quorum aggregatione consistit summum bonum, fundamentaliter & causaliter in virtute, formaliter in virtutis actione, concomitanter in voluptate, instrumentaliter in corporis & fortunæ bonis, completivè in conspiratione & cumulo omnium.

13. *Sicut verò ἡ Ἐυδαιμονία Practica nihil aliud, quàm optimus status animi & corporis, cum justo comitatu bonorum fortunæ, ita opposita Ἀδαιμονία Practica nihil aliud, quàm pessimus status animæ & corporis, cum justo comitatu malorum fortunæ, & sicut illa bonum cumulatum animi corporis*

ac fortunæ, ita hæc malum cumulatum eorundem secundum omnes tres partes. Ut enim tota toti, sic singulæ ejus partes singulis partibus sunt contrariæ correspectivè. Ut ita ἡ 'Αδαιμονία Practica, finiendo Philosophicè, sit summum malum, sive summa miseria, quæ primùm ab imprudentiâ & improbitate pendet, deinceps à corporis imbecillitate, morbo, deformitate, postremò à malis externis, ut odio hominum, ignominiâ, egestate, exilio, servitute, non modò, si ista nobis, verùm etiam, si parentibus, liberis, consanguineis, amicis, concivibus, posteris eveniant, aut jam antè evenerint, quòd si diuturnitatem illorum malorum, vitæ hominis æqualem, addere velis, jam summam & undiquaquè absolutam miseriam, sive summum malum morale, descriptum habebis.

14. *Quod malum an detur, quæstionis est.* Pro ajente sententiâ militat præter experientiam ratio, quia opposita sunt nata fieri in eodem: Quare, si in hominem cadit summum bonum morale, cur non summum malum morale, ad eum modum scilicet, quo delineatum suprà, cap. 14.

CAPUT XVII.

Κὐδαιμονία Practica dividitur in Materialem & Formalem, eâdemquè operâ definitur utraque. Hinc quæritur, annon fortè Beatitudo Ob-

jectiva

jectiva sive Materialis sistat & consistat distributivè, atque in sensu diviso, in Voluptate solâ, eâquè, vel Corporis, cum Epicureis Tullianis & Flaccianis, vel Animi, cum Diogenicis? Atque utrumque negatur.

§. 1. HE εὐδαιμονία *Practica universè vel Objectiva est sive Materialis, vel Formalis*, quarum illa est ipsum objectum beatitudinis, hæc acquisitio illius objecti.

2. *Quod attinet Beatitudinem Objectivam, illa verò nec sistit nec sistitur distributivè, atque in sensu diviso, in Voluptate solâ, sive ea sit Corporis, sive Animi.*

3. *Non in illâ*, (ut quidem mentem Epicuri Cicero Horatius Plutarchus triumviri interpretatum eunt,) idquè ob defectum primariorum attributorum beatitudinalium. I. Quia voluptas corporis non est bonum τέλειον perfectum. Tantum quippè abest, ut sit ultima hominis perfectio, & finis ejus extremus, ut potiùs sit accidens ejus, atque affectio accessoria, per quam appetitus hominis potenter excitatur ad res ardentiùs prosequendas & persequendas cum hoc accessorio. II. Quia non est bonum αὐταρκὲς sufficiens, cùm prodiga voluptas semper famem sitimquè sui habeat, nec transacta satietur, ut cui nihil sit satis. Scilicet comites voluptas habet tædium atque pœnitentiam, res à beatitudi-

nis genio & ingenio alieniſſimas, cujus nos nec tædet unquam, nec pœnitet, pigetvè.
III. Quia non eſt bonum δι' ἀυ]ὸ ἀγαπητὸν, per ſe optabile. Per naturæ quippè legem magis optamus id, cum quo complicata eſt voluptas, v.g. actionem honeſtam, quàm ipſam voluptatem. Quo loco Dædalæ naturæ ſolertiam admirari juvat, quæ ad minùs principale nos reddidit apertè proclives, ut ſimul latenter ad magis principale dirigeret, quæ, v.g. ad cibi & veneris, gulæ atque inguinum voluptates, nos invitat palàm, ut clàm ad hominis humaniquè generis conſervationem nos animaret: Naturæ autem? Immò Dei, qui ſicut ſalem non propter ſe, ſed ad condiendos cibos dedit, ita voluptates corporis gratiâ operationum.
IV. Quia non eſt bonum ὀικεῖον proprium. Neque enim ſoli homini competit hoc bonum, ſed huic commune eſt cum beſtiis, nominatim cum ſue, cui animam pro ſale indulſit natura, ne putreſceret corpus: Atqui ſummum bonum ſolius hominis proprium, ut quod acquiratur per virtutem, quem hominem beſtiæ ſuperant voluptate, quarum voluptates, & majores, & diuturniores, ſinceriores ſquè, ut quæ craſſioribus his voluptatibus làxiùs & largiùs perfruantur, quàm homines, beatiores his futuræ, ſi beatitudo deſcriberetur corporis voluptate.
V. Quia non eſt bonum δυσαφαίρε]ον, diffi-
culter

eulter alienabile. Fluit quippè voluptas, & prima quæque avolat, ſæpiuſquè relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi, ut quæ morbo, ſenectute, & mille aliis caſibus, non tantùm impediri, ſed vel perimi poſſit. vi. Quia non eſt bonum τίμιον honoratum, ut quæ non honori ſed pudori nobis ſit perſæpè. Unde peſſimos quoſq; videas, niſi planè depuduerint, manumquè per frontem duxerint, ventris ac gulæ voluptates tegere ſtudiosè, non ſecùs ac nævos corporis ſolemus. vii. Quia βίαιόν, tum quoad orginem, quia plerumque per vim & dolum ad eam pervenitur, tum quoad operationem, vim inferentem, partim proximo, qui læditur, partim ipſi poſſeſſori, qui vel tandem in exitium præcipitat, & ratione animæ, cujus potentias ſubdolè ac ſubleſtè oppugnat, inſidioſequè expugnat hæc Circe, & ratione corporis, quod mirum in modum debilitat & enervat, dum ſēſus tardos graves obtuſos reddit, omniſquè generis morbos attrahit, & ratione bonorum externorum, quæ petulanter conſumit: Atqui beatitudo bonum eſt, idquè ſummum, cujus ideò proprium, non obeſſe, ſed prodeſſe, id quod à voluptate corporeâ non fit, ſaltem non ſemper fit.

4. *Non etiam in hâc,* (ut quidem mentem Epicuri interpretatum it Diogenes Laërtius,) ſive illa præcedat habitum virtutis comparandum, ſive ſequatur comparatum,

licet non magis beatitudo absque eâ esse possit, atque sol absque lumine, lumen absque luce, idquè iterum ob defectum primariorum attributorum beatitudinalium. I. Quia voluptas animi non est bonum τέλειον. Habent siquidem voluptates animi ab honestâ actione, ut probæ sint, non igitur ex se, sed munere alterius: Atqui essentia beatitudinis ex se debet esse talis, ob eamquè cætera talia: Ergò! Nec obstat, quòd voluptas sequatur actionem perfectam virtutis, quia eam sequitur, non ut finis propriè dictus, sed ut finis quidam, neque ut ultimum dignitate, sed ut tempore: Jam verò non semper necesse, ut ultimum tempore sit principale, cùm sæpè principalis finis tempore prior sit, v. g. calefactio terræ siccitate, excitatio caloris deambulatoria colore meliore. II. Quia non est bonum δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν, ut quæ dirigatur ad aliud, sitquè invitamentum, quo homines alliciuntur ad captandum summum bonum, ergò non ipsum summum bonum. III. Quia non est bonum πολύκοινον, cùm possidentem solùm afficiat, aliis nihil eâ feratur metaturvè. IV. Quia non est bonum τίμιον. Neque enim voluptas, sed honesta actio, reddit hominem dignum honore, cùm illâ abuti possimus, hâc non, illa non tam bonos faciat, quàm esse testetur, hæc & faciat, & testetur esse.

5. *Quid ergò voluptas, si non summum bonum?* Summi boni affectio, & proprium accidens, sicut color superficiei, pulchritudo sanitatis. Ut enim pulchritudo non est ipsa sanitas, nec optima corporis dispositio, verùm eam sequitur, tanquam proprius affectus in suo subjecto, ita voluptas non est ipsum summum bonum, sed affectio ejus inseparabilis, atque istorsum in Deliaco epigrammate beatitudo appellatur jucundissima ἐπιθελκτικῶς non θελκτικῶς. Quemadmodum namque albedo non dicitur alba, flavedo flava, ita nec jucunditas jucunda.

6. Excipis, Philosophum dicere, nihil prohibere, quò minùs summum bonum sit quædam voluptas! Contrà excipio, verba Philosophi non accipienda esse in sensu formali, sed causali, ut hæc sit eorum mens, summum bonum ratione formæ atque essentiæ suæ consideratum non consistere quidem in animi voluptate, eam interim causando producere.

7. Ut ita Epicurus beatitudini nomen imposuisse videri possit à bono minùs principe, quemadmodum hominem ab humo, linguam à lingendo, convivia symposia à compotationibus denominamus ὑπηρετικῶς, tanquam à minùs principali ingrediente.

Caput

CAPUT XIX.

Vel in Divitiis solis cum Biωticis?

§. 1. *SEd nec in Divitiis solis sistit & consistit Beatitudo Objectiva, quam sic vocant, sive illæ sint Naturales, sive Industriales, Artificialesvè.*

2. *Non in Divitiis Naturalibus*, quibus primò succurritur indigentiæ humanæ, hominiquè subvenitur ad defectus naturales tollendos, corpusquè, aut alendum, aut tegendum, sic dictis, quod ipsa natura nos illas parare doceat, quia, quicquid naturalium divitiarum, & quantum, id omne propter hominem, tanquam à naturâ, ad vitam ejus sustentandam, factum instrumentum, quomodo edere hominem videmus, bibere, vestiri, ut vivat, non vivere, ut edat, bibat, vestiatur: Atqui summum bonum & felicitas non est propter hominem, sed homo propter ipsam, neque instrumentum vitæ, sed finis: Ergò divitiæ naturales non possunt esse finis ultimus hominis, sed potiùs ordinantur ad hominem, sicut ad finem.

3. *Non etiam in Industrialibus Artificialibusvè*, quibus secundum se & primò natura non juvatur, sed quas ars industriaquè humana adinvenit propter vitæ compendium, majoremquè expedientiam commutationis, quò earum beneficio natura-les

les divitiæ hoc faciliùs compararentur: Ecur? Quia enim eæ nulli rei sunt, cùm primò vita his non sustentetur, neque alì iis corpus possit, nisi ad naturales referantur, perquè eas curentur res ad usum vitæ necessariæ: Cùm ergò sint cibo ac potui parando, hæc verò vitæ conservandæ ergò, vita rursus propter felicitatem vitæ consequendam, idcircò nullâ ratione felicitatis summa in ipsis consistere potest.

4. *In neutris inquam, consistit Beatitudo Objectiva*, idquè iterum ob defectum primariorum attributorum beatitudinalium. 1. Quia non sunt bonum αὐταρκὲς, ut quæ non exsatient appetitum. Quò enim plura habent homines philargyri, hoc plura desiderant, quoquè plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ, loquendo de divitiis artificialibus, quæ deserviunt concupiscentiæ inordinatæ, nec modificantur, non naturalibus, quarum appetitus nón ita infinitus in comparatione, quoniam secundum certam mensuram sufficiunt naturæ. At cur divitiæ nō satiant animum? Quia enim finitæ, anima verò infinita per suam capacitatem, illæ corporeæ, hæc incorporea per suam entitatem, illæ transitoriæ, hæc intransitoria per suam durationem, quæ ideò non plus satiatur auro, quàm corpus aurâ. 11. Quia non sunt bonum δι᾽ αὐτὸ ἀγαπητὸν, cùm non sui gratiâ expetantur, sed propter

aliud,

aliud, persuade usum, ut videlicet necessitati, voluptati, dignitati, liberalitati serviant, utræque interim optabiles & expetibiles, naturales propter hominem, artificiales propter naturales, ast neutræ in infinitum, quod proprium finis, non instrumentorum, quorum nullum multitudine magnitudinevè infinitum, aut si tale, inutile. Quamvis ergò inordinato appetitu appetantur in infinitum, quantum ad multitudinem stultorum, tamen quia judicium non debet à stultis peti, verùm à sapientibus, sicut judicium de saporibus ab his, qui habent gustum benè ordinatum, non ab ægris, ut sic finitè appetiquè possunt appetiquè debent. Dicitur quidem infinita pecuniæ cupiditas, at non ratione essentiæ, verùm durationis, siquidem mens in statu hoc corpori unita maneret semper, quod cùm non contingat, simpliciter infinita pecuniæ cupiditas dici nequit, uti nec actu infinitæquè sunt divitiæ, dici nihilominùs infinita pecunia potest eo sensu, quo numerus, non quòd actu infinitus detur, ut numerus, ita nummus, darivè queat, sed quòd ille augeri in infinitum possit accessione unitatum, & hic accessione pecuniæ. III. Quia non sunt bonum οἰκεῖον, cùm casu dentur, casu adimantur, cum fortunâ veniant, cum eâdem abeant, malis quin etiam conveniant, qui, quò nequiores, hoc ferè ditio-

ditiores, quò ditiores, hoc nequiores. IV. Quia non sunt bonum κτητὸν καὶ περικτὸν ἀνθρώπῳ, cùm possideantur modo mortuo, possideantquè sæpiùs, quàm possideantur, aut possideantur quidem, sed à prodigiis hominum. V. Quia non sunt bonum πολύχρονον, cùm sæpè divites animo egeant nummis: Atqui, si summum bonum positum foret in divitiis, tum verò ut ditissimus quisque esset, ita optimus. VI. Quia non sunt bonum κοινωνικόν. Aquam siquidem è pumice citiùs, & clavam ex Herculis manu, quàm pecuniam ab avaro extorseris, qui famem utendam si roges, non dabit. VII. Quia non sunt bonum δυσαφαίρετον, ut quæ naufragio, furto, rapinâ, incendio intercipi possint, vel puncto mobilis horæ, nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc sorte supremâ, transitoriæ cum suis possessoribus ambulatoriis. VIII. Quia non sunt bonum τίμιον, cùm iis, tanquam bonis adiaphoris, & benè & malè uti possimus. Sicut enim relatæ ad homines per usum moralem laudantur, ita per abusum atque inusum vituperantur, licet per se & in se interim sint bonæ naturaliter. IX. Quia βίαιόν τι, καὶ τῶν βιαίων, ut quæ sæpè injustè, semper anxiè quærantur, & curâ majore metuquè serventur, difficiles quæsitu, flebiles amissu, custoditu anxiæ, cùm acquirantur cum sudore, possideantur cum timore, amit-

amittantur cum dolore, causativæ multorum malorum, per accidens illud quidem, sed frequentativum: Jam verò non novum aut insolens, rem vapulare, ubi usum rei bonæ abusus præponderat, uti hic, qui abusus non habet locum in summo bono.

CAPUT XIX.

Vel in Honore, Laudevè, Gloriâvè, Bonâvè Famâ, Dignitatevè & Potentiâ Civili, Nobilitatevè, solis, cum Pseudo-Politicis?

§. 1. *NEc in his solis, & seorsim sumtis, sistit ac consistit Beatitudo Objectiva, idquè ob geminam cum superioribus causam.*

2. *Non in Honore solo* 1. Quia non est bonum τέλειον, quoniam appetitu recto ad honorem grassamur, non velut ad finem ultimum acquirendum, sed velut ad signum finis ultimi acquisiti. Licet namque honor sit virtutis prẹmium, non tamen est ipse finis agentium, cùm multi sint beati, si nemquè consecuti, qui tamen honore sunt cassi. Unde conficitur, beatitudinem quoque locum habere posse deficiente honore προσφορικῷ, externo & forensi. Scilicet duplex virtutis prẹmium, unum propter quod homines virtuosi operantur, atque hoc prẹmium est beatitudo, alterum quasi accessorium, & minus dignitate virtutis

præmiandæ, atque hoc præmium eſt honor, in quem propterea virtus non ordinatur, tanquam in finem, neque propter eum operatur, cùm non ſit ejuſdem rationis ac conditionis cùm priori. Summum quippè bonum eſt virtutis præmium, quod ipſa tanquam ultimum intendit, & propter quod principaliter operatur, honor non item, qui quidem & ipſe virtutis cluit præmium, verùm ideò ſcilicet, quòd ab hominibus virtuti alienæ majus tribui præmium haud poſſit, quàm honor, tanquam publicum actionis honeſtæ teſtimonium, hoc eſt, honor quidem & ipſe eſt præmium virtutis, ſicuti & beatitudo, at non ὁσαύτως, eodem prædicandi modo, verùm diverſo. II. Quia non eſt bonum ἀυταρκὲς, cùm non expleat appetitum, nedum ut ſit ἀυτοαγαθὸν, ut qui habeat ſuos gradus, ratione meritorum & materiæ, ratione eorum, qui honorantur honorantquè, ratione quin etiam loci, temporis, modi, conſuetudinis, antecedentiæ, concomitantiæ, conſequentiæ, inſtar umbrę ſolaris, quę non ſemper eodem modo comitatur corpus, ſed nonnunquam antecedit, aliquandò ei jungitur à latere, interdum ponè ſequitur, geminoquè exemplo honos ſuos candidatos in glorię theatro. III. Quia non eſt bonum δι' ἀυτὸ ἀγαπητόν. Appetitur quippè honor propter virtutis opinionem, cujus

cujus ille est signum. Etenim ideò honorari discupiunt homines, ut virtute videantur præditi, atque idcircò non à quibuslibet coli volunt, verùm à bonis, cum Hectore Næviano, quod dum faciunt, næ ipsi tacitè fatentur, virtutem, aut certè ejus opinionem, ipso honore pensiorem esse, ideoquè magis expetendam. IV. Quia non est bonum οἰκεῖον, cùm sit honorantis potiùs, quàm honorati, ideoquè bonum ἀλλότριον externum, non utique ex parte honorantis, cujus est actio & judicium, & in cujus est manu ac potestate, sed ex parte honorati, in quem confertur, in quorum altero est ἐνεργητικῶς activè, in altero verò παθητικῶς passivè. *Scilicet honor tripliciter accipi potest*, vel pro fundamento ac principio ejus, quomodo per causam & objectivè est in honorato, cùm sit præmium virtutis, quæ non honoranti sed honorato competit, sive ei, cui honor tribuitur, & qui inde honoratus dicitur, vel pro essentiâ ejus, quomodo subjectivè est in honorante, cujus est actio proba, cùm sit judicium quoddam ejus & signum de alterius virtute, judicium autem in judicante, signum in significante, vel pro utroque, quomodo partim est honorati, quatenus honorem virtute suâ causatur, partim honorantis, quatenus virtutem tanti æstimat. Nullo horum significatuum honor est summum bonum: Non primo, sive

ſive *αἰτιολογικῶς* & cauſaliter, quia non in virtutis habitu ſed actione conſiſtit beatitudo: Non ſecundo, ſive *συμβολικῶς* & ſignificativè, quia honor *προφορικὸς* externus unicè ab honorante procedit, eſtquè ut ſic ſignum & ſymbolum ſummi boni, non ipſum ſummum bonum: Non tertio & poſtremo, quia honor *ἐνδιάθετος* internus ex parte tantùm in poteſtate honorati eſt, hoc eſt, in tantum, non in totum. v. Quia non eſt bonum *κτητὸν καὶ πρακτὸν ἀνθρώπῳ*, cùm non conſtet noſtro labore, neque in eorum ſit poteſtate, quibus confertur, ſed illorum, qui conferunt, qui ſæpè eum non deferunt, quibus deferre debebant, deferunt, quibus non debebant, auferunt, quibus conferre, conferunt, quibus auferre debebant. vi. Quia non eſt bonum *μόνιμον*, hoc eſt, *δυσμετάπτωτον καὶ δυσαφαίρετον*, quale illud, quod ex habitu virtutis proficiſcitur, cujus ea natura, ut difficulter à ſubjecto, cui ineſt, tolli poſſit: Honore autem quid mutabilius, qui *ἐπιπολαιότερόν τι*, infirmius quid, minuſquè ſtabile, neque in noſtrâ poteſtate, cùm proficiſcatur ex voluntate & opinione hominum, quorùm animus ambulatorius, ſitquè bonum particulare, ideoquè variabile, tum reſpectu temporis, quoniam jam aliquis honoratur, jam non, hodiè honoratur, cras dehonoratur, tum reſpectu ipſius honorantis, quoniam

niam à quibuſdam honoratur, ab aliis non; neque ab illis, à quibus honoratur, vel verè honoratur, vel ſemper, non verè, quia honor ſępè hypocriticus & mendax, non ſemper, in genere propter mobilitatem alienę voluntatis, quę perſuſpiciones detractioneſquè facilè mutatur, in ſpecie propter vulgi ac principum mutabilitatem, qui ſępè ignorant, neque ſatis intelligunt, quę actiones mereantur honorem, ſępè invidiâ laborantes non afficiunt honoribus, quos debent, quandoque exiſtimant honorem in alios collatum exiſtimationem ſuam lædere, interdum ſatietate quâdam faſtidiunt, quos olim honoraverunt, convertuntquè ſe ad novos alios, qui nuper emerſerunt, ornandos, quibus ex cauſis variè variatur honos, intenſior remiſſior, extenſior contractior, validus evanidus, neque omni vel parte, vel tempore, immò ne eodem quidem, conſtans ac conſiſtens, cùm uſu venire poſſit, ut hodiè ab hoc honore, cras ignominiâ ab eodem, eôpſe momento ab hoc honore, ab illo contumeliâ, afficiaris. Quid multis? Ut vel maximè honor duraret ſemper, non tamen ipſam beatitudinem eum eſſe indè rectè convinceretur. Etenim, ut umbra corpus ſemper comitatur, corpus tamen ipſum non eſt, ſic nec honor ipſum ſummum bonum, verùm ſignum ejus, perpetuò illud ſequens. VI. Quia non eſt bonum τίμιον, ſed

ſed οὐδέπερον. Pro diverſâ namque hominum conſtitutione, ut uſus ejus, ita abuſus, datur, cùm plerique eo abutantur, vel ad inferiorum depreſſionem, vel ad nimiam animi elationem, ſæpè quoque is improbis, nec rarò peſſimis, habeatur, quę omnia non inveniunt locum in ſummo bono.

3. *Nec in Laude ſolâ.* I. Quia non eſt bonum δι᾽ αὑτὸ ἀγαπητόν. Appetitur ſiquidem & ipſa propter virtutis opinionem, quo fit, ut laudari velint homines, non à quibuſvis indifferenter, verùm ab iis, qui ipſi in laude vixerunt, exemplo eorum, qui facies ſuas ab optimo artifice exprimi ſatagunt. II. Quia non eſt bonũ οἰκεῖον, cùm in arbitrio ſit profanæ multitudinis, cujus os meruiſſe tanti non eſt. III. Quia non eſt bonum δυσαφαίρετον. Quid enim fugacius laude, idquè ob inconſtantiam laudantis, in cujus judicio eſt poſita, quod non modò vagum, ſed difforme? IV. Quia non eſt bonum τίμιον, de mente Gorgiæ Leontini, qui rogatus, quid de magno quodam rege ſentiret, & utrùm eum felicem exiſtimaret, reſpondit, neſcio quomodo ad virtutem ſe habeat, innuens, felicitatem in animi bonis eſſe poſitam, non in bonis externis. Etenim, ſi quem laudas, quia generoſus, regeritur, majores non mores laudari, ſi, quia dives, fortunæ ea laus debetur, ſi, quia robuſtus ac validus, ægritudine paulatim imminuetur, ſi, quia pulcher

& formosus, antequam respexeris defloruerit, sin denique, quia virtute præditus est, laudas, tunc ipsum virum laudas, eò quòd, nec à parentibus illud hereditarium, nec à casu pendulum, nec ætate mutabile, nec cum corpore caducum possidetur.

4. *Nec in Gloriâ Bonâvè Famâ solis.* I. Quia non sunt bonum τέλειον, eò quòd tam illa quàm ista ferè falsa sit & fallax, cùm humana notitia sæpenumerò insignitet fallatur præcipuè in singularibus contingentibus, cujusmodi sunt actus humani: Falsa autem? Immò vana, cùm alii sæpè mereantur famam, alii habeant, nihilquè gloria etiam maxima juvet post mortem eum, quem sequitur. II. Quia non sunt bonum δυσαφαίρετον καὶ δυσμετάπτωτον. Quò enim magis diffusivæ in aliorum notitiam, hoc magis instabiles, cùm falso rumusculo de facili queant perdi, aut, si quandoque stabiles, sunt tales per accidens, cùm beatitudo stabilitatem habeat per se. Ut enim in nostrâ potestate sint respectu materiæ, sive actionum bonarum, atque istorsum sive istactenus stabiles, in aliorum tamen potestate sunt respectu formæ, hoc est, honestæ de bonis nostris actionibus aliorum existimationis, quæ in nostrâ potestate non est, atque horsum sive hactenus instabiles. III. Quia non sunt bonum πολύκοινον, ut quæ bonum angustum, sive locum sive tempus

spectes,

ſpectes, quibus etiam maxima hominis celebritas includitur, detractis inprimis partibus, quas maria ſolitudines paludes occupant.

5. *Sed nec in Dignitate ac Potentiâ Civili ſolâ.* I. Quia enim potentia civilis non eſt bonum τέλειον, cùm ex eâ malum aliquod alicui poſſit provenire, neque verò ordinetur ex ſe ad ſe, verùm aliò, putà ad bonum ſubditorum. II. Quia non eſt bonum αὐτάρκες, cùm neque corpus neque animum perficiat, ſed afficiat vel maximè, idquè ob honorum inextinguibilem ſitim: Atqui de ratione beatitudinis eſt, ut eâ adeptâ nullum bonum homini neceſſarium deſit, cujus contrarium hîc fit, cùm adepto imperium adhuc multa deeſſe poſſint, v. g. animi tranquillitas, ſanitas, & alia generis congeneris. III. Quia non eſt bonum δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν, ut quæ innumeras habeat anxietates conjunctas, metus, motus, pericula, inamabilia atque inoptabilia alia. IV. Quia non eſt bonum οἰκεῖον, cùm ſit à cauſis exterioribus, ad beatitudinem verò homo ordinetur per principia interiora. V. Quia non eſt bonum δυσαφαίρετον καὶ δυσμετάπτωτον, cùm nihil ſit inconſtantius verſatili hoc Vertumno, & Proteo Politico. VI. Quia non eſt bonum πολύκοινον, eò quòd imperitare civiliter paucorum ſit, beatitudo autem in medio ſit poſita, ita ut ad

eam quivis niti possit. VII. Quia non est bonum τίμιον, verùm ἐνδέτερον, ut quæ se habeat ad utrumlibet oppositorum, hoc est, ad bonum & malum indistinctè, pessimisquè quin etiam quandoque contingat: Atqui beatitudo, cùm sit summum hominis bonum, non compatitur secum malum aliquod, id quod faciunt dignitates & potestates, quibus si inesset quid naturalis ac proprii boni, nunquam pessimis provenirent, cùm sibi non soleant adversa sociari, naturâ respuente talem συζυγίαν sive syncretismū. Quo fit, ut magis fortè possit consistere beatitudo aliqua in bono usu potestatis, qui est per virtutem, quàm in ipsâ potestate.

6. *Nobilitatevè solâ.* I. Quia non est bonum οἰκεῖον, cùm non minùs virtus, quæ fundamentum ejus, pateat humili loco natis, atque celso & excelso, quorum illis generis obscuritas stimulum addit ad virtutem capessendam, his majorum splendor. Quòd si ad claritudinem referatur, næ illa aliena, cùm aliorum luce luceat, sin ad antiquitatem, ad eandem cum cæteris mortalibus conditionem devenit, eundemquè communem humanitatis stipitem. II. Quia non est bonum μόνιμον Quāvis enim maximè commendet sanguinis nobilitatem illud, quòd ex præstantibus orti, non corpus tantùm sed animum etiam majoribus similem, præsumantur nacti, eò quòd magna vis sit semi-

nis,

nis,cùm ad corporis confirmationem, cujus omnia in semine lineamenta latent, perquè vim plasticam educuntur in actum ex potentiâ, tum ad animi ac morum compositionem, qui corporis temperamentum sequuntur,tamen id non est perpetuum. Vult quidem natura ex bonis bonos generare,sed plerumque non potest. Ut ita,si quid in nobilitate bonum, id sit solùm, quòd imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent,quæ sola,neque dono datur,neque accipitur. Quamvis interim ad civilem felicitatem nobilitas haud parum conducat, ut quæ virtutem ornet, minusquè eam invidiæ expositam faciat, multasquè ac præclaras occasiones præbeat virtuti, sese patefaciendi Neque enim parvam vim habet, autoritatemvè, patre nobili nasci, præsertim si bona educatio accedat, qua magis indigent nobiles, quàm alii, quia sunt surculi nobiles, generosæquè naturæ, hoc magis degeneres, quò generosiores.

CAPUT. XX.

Nominatim in Virtute solâ, sive solitariè existente, cum Stoicis?

§. I. *Nec in hâc sistit & consistit Beatitudo, quam vocant, Objectiva, idquè ob commilitiam & parallelismum communium rationum.* I. Quia virtutis actus primus, hoc est,

 habi-

habitus, non est bonum τέλειον, cùm ei aliud bonum obaddi possit, quo fiat perfectior, actui persuade primo secũdus, habitui actio ex habitu, cujus accessione ipse habitus fit illustrior & perfectior, perfecta & ipsa, verùm quoad perfectionem habitualem, considerata ἀνεργήτικῶς, ut est ἄεργος, non actualem, considerata ἐνεργητικῶς, ut est ἔνεργος, perfecta ut sic ultimatè atq; completè, quoniam habitus ultima perfectio ἡ ἐνέργεια sive actus. Scilicet tum demùm quælibet res perfecta audit, quando in eâ concurrunt ἡ οὐσία essentia, ἡ δύναμις potentia, & ἡ ἐνέργεια actus, ex quibus οὐσία καὶ δύναμις ultimam suam perfectionem sortiuntur, quando sunt ἐνεργητικά, non operabilia tantùm, sed operativa, unde fit, ut ἡ ἐνέργεια præstet utrique, quia utraque ejus gratiâ, quod autem tale, præstantius. II. Quia non est bonum αὐταρκές, cùm ad vitam sine impedimento degendam sola virtus non sufficiat, sed virtutis actio, quæ virtutem ut principium præsupponit, naturæ ac fortunæ instrumenta ut media includit, actionisque formam tanquam postremam perfectionem superaddit, ita ut in eâ nihil ulteriùs expeti possit, neque ipsa propter quid ulterius, putà felicitatem tanquam finem, cùm ipsa felicitatem constituat formaliter. III. Quia non est bonum δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν, cùm virtutis habitus expetatur propter actionem sive usum,

ſum, ſicut viſus propter viſionem, auditus propter auditionem. Nemo namque velit viſum habere, ſi non ſit viſurus aliquandò, verùm occluſos oculos geſtaturus, nec auditum, ſi nunquam ſit auditurus, ſed obturatas uſque aures habiturus. IV. Quia virtus, quæ in habitu, non in actu, in quiete, non motu, in ſinu, non manu, affectu, non effectu, non eſt bonum πρακτὸν, cùm ſolùm ſit facultas & actus primus, cujus acceſſio ac perfectio actus ſecundus, ſine quo ille eſſe poteſt, etiam in dormiente, etiam in ocioſo, quo ſenſu dicitur, probum ab improbo, felicem ab infelici, in ſomno ociovè non internoſci. Accedit dictis, quòd non ſtatim, qui virtutis habitum habet, actione quoque virtutis ſit præditus. Qui enim v. g. melancholiâ, lethargo, aut ſimili morbo corripitur, totâvè vitâ in lecto decumbit, virtutem ille quidem retinet, ſicuti & is, qui κακοπαθεῖ totâ vitæ periodo, ἀπρακτεῖ tamen, quia ſecundum virtutis genium & ingenium in illo articulo agere nequit, eò quòd agendi intercipiatur occaſio, ſuccollet què ac fruſtretur acturientem materies. V. Quia eadem virtus non eſt bonum τίμιον, ut quæ non digna honore, ſed laude, ut omnis habitus bonus.

2. Quid ergò de hoc Stoicismate contra oppoſitum Peripatema? Ut non ſit παράδοξον in ſenſu disjuncto, tamen eſt tale

in ſenſu conjuncto. Neque enim hęc duo adverſis frontibus arietant, beatitudinē conſiſtere in operatione animæ virtuosâ κατὰ χρῆσιν, formaliter, eſſentialiter, id quod ajūt Peripaterici, & eandem conſiſtere in virtute animæ κατὰ κτῆσιν, radicaliter, fundamentaliter, cauſaliter, id quod ajtant Stoici, in alterâ ἐνεργητικῶς, occupativè, in alterâ ἀνεργητικῶς occupabundè. Et quî arietent quæsò? Beatitudo namque vertitur, non in actione nudâ, verùm in virtute fundatâ, nec in hâc ſolitariè exiſtente, ſed ſe exerente per operationes pro re natâ. Quando ergò ſummum bonum in habitu virtutis ſitum eſſe dicunt Stoici, id non de ocioſâ deſide ac reſide virtute accipiunt, verùm hoc ſibi velle videntur cum hoc ſuo philoſophemate, virtutem, etiamſi miſera ſit & calamitoſa; neque occaſionem edendarum actionum habeat, nihilominùs efficere hominem beatum, propter interiorem animi moderationem, id quod κλασσικόν.

3. Ecquomodo ergò conciliari poſſunt & debent in ſpeciem ἀντιφιλοσοφοῦντες? Si dicas, Stoicos conſideraſſe id, quod principale, fundamentum, inquam, & rem, hoc eſt, habitum virtutis, Peripateticos verò examinatiſſimam & amuſſitatiſſimam ſummi boni perfectionem, carentem omni præpedimento, hoc eſt, non tam rem, quàm rei uſum & actum fructumquè. Neutri malè,

lè, meo judicio, quoniam illi laudârunt virtutem actuosam, hi actualem, sive ipsam actionem virtuosam, meliùs interim in comparatione hi, quàm illi, quia positiviùs.

CAPUT. XXI.

Nominatiùs in Contemplatione solâ cum Theoreticis?

§. I. NEc in illâ. I. Quia nuda contemplatio non est bonum τέλειον, eò quòd perfecta contemplatio non sit sine mentis serenatione & serenitate, hæc autem non quadret in animum vitiosis affectibus perturbatum, à quibus eum purgat virtus moralis, per quam rectè demùm utimur habitu contemplativo, compositis incompositis atque indispositis animi passionibus. II. Quia non est bonum αὐταρκὲς, cùm vita contemplativa possit esse ærumnosissima, cumquè valetudinis dispendio conjuncta in Carneade aliquo & Protaxagorâ, cum æmulatione quin etiam atque invidiâ, siquidem ea contingat malo homini, quemadmodum Socratis, Pythagoræ, Hesiodi, Pindari, Thaletis, Biantis, Pittaci, Anaxagoræ, Simonidis, maleferiati æmuli fidem facere queunt. III. Quia non est bonum οἰκεῖον, cùm contemplari quoque etiam possint mali, contemplationequè suâ abuti, tale autem bonum heic quæ-

ritur, quod solis bonis est proprium, quoquè malè uti nequimus. IV. Quia vita contemplativa, quà quis solus degit, atque uni unicè contemplationi vacat, abdicando se à cæterorum hominum consuetudine, officiaquè charitatis ac cæterarum virtutum deserendo, non est bonum κτητὸν καὶ πρακτὸν ἀνθρώπῳ, cùm sit avocamentum à vitæ Practicæ officiis, tam Ecclesiasticis, quàm Oeconomicis & Politicis, infestosquè ferè habeat duos scopulos, Eleatismum & Pyrrhonismum, quarum sectarum altera triumphavit ἐν τῷ nihil esse, altera ἐν τῷ nihil scire.

2. Agit quidem (haud equidem infiteor,) Aristoteles seorsim de vitâ contemplante & agente, at non eo consilio, ut quis uni istarum sese totum addicat. Duæ quippè sunt naturæ nostræ proprietates, putà, quòd & intelligentes & civiles nos Deus fecit, quare utrique conditioni debemus actionibus nostris respondere, & contemplari, cùm se quid offert ocii, vel quo casu impedimur à rebus agendis, agere verò, quando muneris nostri functio id postulat.

CAPUT XXII.

Nominatissimè in Contemplatione Idearum cum Platonicis?

§. 1. NEc *in istâ*, sumendo ideam boni universalem, non in causando, pro ideâ

ideâ ideiſſimâ, hoc eſt, Deo, qui ſicut τὸ αὐτοὸν καὶ αὐτοαεὶ, univerſale in eſſendo, ita τὸ αὐτοαγαθὸν, αὐτόκαλον, αὐτοδίκαιον, αὐτόφιλον, univerſale in cauſando id, quod bonum, pulchrum, juſtum, amicum, virtute includens omnes ideas, ſicut unitas includit omnes numeros, alphabeta omnes litteras, quod univerſale ante multa Scholaſticis, Theologicum aliter: Nec in prædicando, pro communi naturâ ſingulis individuis inexiſtente, quod univerſale in multis Scholaſticis, Phyſicum aliter: Nec in repræſentando, pro communi notione mente conceptâ, & à multis ſingularibus abſtractâ, ita ut quod antea erat ſingulare, & materiæ immerſum extra mentem, in mente quaſi materiæ expers evadat, quod univerſale poſt multa Scholaſticis, Logicum aliter: Verùm in eſſendo, pro communi ideâ ſubſtantiali ſingularum ſpecierum, ſingulorumquè rerum generum, liberatâ ab omni materiâ, extra Deum individuas creaturas & mentem hominis alicubi exiſtente, ex cujus participatione reliqua omnia ſingularia ſuam eſſentiam accipiant, & ad cujus, tanquam exemplaris cauſæ, exemplar reliqua omnia à naturâ naturante ſint creata, atque etiamnum à naturâ naturatâ producenda, quod univerſale præter multa Scholaſticis, Metaphyſicum aliter, cujus ſtudii ſunt per ſe abſtracta, item Ethicum,

quatenus in ejus contemplatione summam utriusque beatitudinis, proram, inquam, & puppim τοῦ αὐτοαγαθοῦ collocavit Plato, teste Aristotele.

2. Quid ergò Aristoteles? Ille verò non tam Xenocratem, aliosquè Platonis discipulos, malè præceptoris sententiam de ideis accipientes, vellicat, quàm ipsum Platonem præceptorem directè, à quo, si Philopono credimus, cùm ipsum audiret, in hoc argumento semper dissensit. Quid enim aliàs opus tantâ præmunitione, quâ nunquam usus aliâs? Quid sermonis ad Platonem directione? Neque est, quòd πανουργίαν Philosophi, qui instar muli præceptorē suum calce percusserit, quis objiciat. Neque enim simile vero, ipsum quid affinxisse Platoni hâc parte, cùm facilè potuerit conjicere, quantā eo pacto reprehensionem & invidiam incursurus esset apud Platonis discipulos, qui injuriam communi præceptori factam haud dubiè re recenti ulti fuissent.

3. Refutat autem hunc ejus ideismum imaginarium hoc quadrigario rationum. I. Quia in bono detur prius & posterius, cùm aliud sit in substantiâ, quæ prior naturâ & cognitione, aliud in accidente, quod posterius, quomodo prius v.g. homo, qui substantia, quàm tantus, veluti trium cubitorum, quæ quantitas, aut talis, veluti albus, quæ qualitas, aut ad aliquid, veluti pater, quæ rela-

relatio, in ideâ communi non item. II. Quia bonum non sit in eodem prædicamento, sed aliud in substantiâ, ut mens, aliud in quantitate, ut mediocritas, aliud in qualitate, ut virtus, aliud in relatione, ut bonum utile, aliud in passione, ut curari, aliud in quando, ut occasio, aliud in situ, ut sedere, aliud in habitu, ut splendidè vestitum esse, quorum autem communis idea, ea sint in eodem prædicamento, cùm prædicamenta sint summa genera, quæ de prædicamentatis æqualiter prædicantur. III. Quia boni, quod in diversis prædicamentis, non sit una scientia, sicut eorum, quorum eadem idea, cùm unius generis non sit nisi una scientia: Quin tantum abesse sit, ut boni, quod est in distinctis categoriis, sit una communis scientia, ut ne eorum quidem bonorum, quæ sunt in eâdem categoriâ, detur talis, v. g. mediocritatis, quæ & à Medico attenditur, & ab Ethico, & à Gymnasiarchâ, diversis artificibus diversè. IV. Quia ideæ & ideati eadem secundum Platonem, & sequaces, sit definitio, quorum autem definitio eadem, illa quoque sint eadem, cùm unius rei non sit nisi una ut essentia ita definitio essentialis.

4. Breviter: Cùm Plato suas ideas iisdem vestiat nominibus, quibus ipsas res, additâ sensibilibus voce αὐτὸ, ita ut idea, verbi gratiâ, τοῦ ἱππέως uniuscujusq; sit ipsi in genere

τὸ αὐθέκαστον, in ſpecie verò, idea ἵππου equi αὐτοίππος ipſe equus, ἐπιθυμίας cupiditatis αὐτοεπιθυμία ipſa cupiditas, βουλήσεως voluntatis αὐτοβούλησις ipſa voluntas, δόξης opinionis αὐτοδόξα ipſa opinio, ἀληθείας veritatis αὐταλήθεια ipſa veritas, καλοῦ pulchri αὐτόκαλον ipſum pulchrum, γράμμης litteræ αὐτογράμμη ipſa littera, τοῦ ἄλφα καὶ βῆτα αὐτοάλφα καὶ αὐτοβῆτα ipſum alpha & ipſum beta, ἀγαθοῦ boni αὐτοαγαθὸν ipſum bonum, ἀνθρώπου hominis αὐτοάνθρωπος ipſe homo, cujus autoritatem ſecuti Stoici τὸν τινὰ ἄνθρωπον dixerunt hunc hominem, τὸν οὔτινα ἄνθρωπον ipſum hominem, ideò differre nequeunt v. g. ipſum in præſenti argumento per ſe bonum, & bonum quodvis, ipſe homo & homo quilibet. Aut enim idea boni & hominis eſt eadem cum bono & homine, aut diſtincta: Si eadem, cur diſtinctâ voce denotatur ipſum bonum & bonum, ipſum bonum per ſe, quà bonum, & bonum quodlibet, bonum particulare & bonum univerſale ſive ſeparatum? Cur item ipſe homo & homo, ipſe per ſe homo, quà homo, & homo quilibet, homo in materiâ, & homo ſeparatus à materiâ? Sin diſtincta, cur eadem utriuſque definitio?

5. Dicet Platonis armiger, Platonem, & cum eo Stoicos, quòd animadverterent, individua ſubindè mutari, atque interitui eſſe obnoxia, ideò eſſentias tales, non quæ in in-

in individuis ipsis mutabilibus, sed extra res individuaquè subsisterent, omni mentis operatione remotâ, adornâsse. Regero, id inconsulto augure ipsos fecisse, quoniam perpetuitas non mutat naturam rei, cùm sit accidens, adeoquè modus, qui non facit differre, sed forma essentialis. Priùs quippè res est, postea verò talis vel non talis.

6. Instabit pro magistro suo, eum summam beatitudinis collocâsse, non in contemplatione boni in essendo, sed in causando, hoc est, in contemplatione divinæ essentiæ, adeoquè efficienter atque objectivè in Deo nobis se communicante, formaliter verò in agnitione & amore & fruitione ejus. Respondeo, immò responsito, id perspicuè falsum esse. Quicquid enim Plato de ideis, ingentis flammæ exiguis scintillis, more suo peroret, facit tamen eas naturas atque essentias communes, à Deo atque individuis creaturis distinctas.

7. Quanquam in hâc materiâ, nec ipse Plato sibi satis constet, nec Platonici. Non Plato. Nam quandoque ipse Deus ei venit nomine ideæ, quandoque imago in mente Dei formata extra Deum, quam ille in rerum creatione intuitus sit instar opificis, quandoque naturæ separatæ seorsim subsistentes, rebus subsistibilibus priores. Non Platonici. Alii siquidem in Deo has collocant, ut radios in luce. Ἀθεολόγως! Sic quippè

quippè Deus non effugeret compositionem, cùm ideæ sint materiales & accidentia, Deus autem usquequaque simplex, quorsum ideæ in Deo realiter idem cum Deo, nec nisi ratione distinctæ, in ordine videlicet ad distincta ideata, quo fit, ut idearum diversitas in Deo nihil sit aliud, quàm divina essentia, diversimodè à rebus diversis imitabilis in suo gradu, quæ imitabilitas fundamentum relationis sive ideæ in Deo. Sicut enim sapiens architectus ante omnia concipit formam & ideam ædificii futuri, sic Deus sapientissimus rerum formas atque imagines ab ęterno intra se concepit, ad easquè in productione entium respexit. Alii extra Deum easdem collocant in mente incorpore, quas velut exemplaria rerum æterna Deus in rerum conditu instar archidædali cujusdam intuitus sit. Ter ἀθεολόγως, semel, quia Deus sic extra se & substantiam suam haberet, quod intueretur instar opificis manuarii, sicquè perfectionis, saltem alicujus, expers foret, iterum, quia sic substantia Dei varia, quasiquè distinctis ac infinitis imaginibus, res distinctas referentibus, picta esset, cùm variarum rerum specie differentium varia sint exemplaria, demùm, quia sic substantia Dei mutabilis esset, quoniam species, quæ v. g. referret vere rosam existere, illa hiberno tempore hanc dele-

deletam referret. Deinde, ut maximè ipsum Deum per ideam suam significâsset Plato, in cujus visione & unione ultimò vertitur illud ultimum, quod consequens homo beatus dicitur, tamen quia hunc beatitudinis gradum nemo, nisi Dei beneficio, potest assequi, cùm non sit volentis id, neque currentis, sed miserentis Dei, ideò Plato, homo Ethnicus, eum effigiare haud potuit.

8. Quò summam manum huic tabulę imponam, quando agimus de summo hominis bono, id bonum quærimus, quod natum à nobis acquiri, in nobis fieri, à nobis possideri, neque possideri tantùm, verùm & exerceri, quale bonum neutiquam idea, tum quia omnes artes & scientiæ bonum quoddam sibi propositum habent, nulla autem ex omni numero cognitionem exposcit ideæ, nominatim nostra hæc, quæ dum finem hominis investigat, non ad Platonis ideam confugit, sed illud æstimat ex notis suis ac criteriis, planè sicut qui hominem aliquem ignotum cupit inquirere, non conditiones ideæ hominis primùm, aut hominis in universum, inquirit, sed illius ipsius, quem quærit, persuade, quâ facie sit, quo capillo, quâ figurâ corporis, tum quia in singulis rebus versantur omnes, idea autem sejuncta est à rebus singulis. Quanquam enim præcepta artium universalia sint, cùm singularia,

ria, quæ propemodum infinita, præceptis contineri nequeant, tamen ubi ad usum atque opus ventum est, circa res singulas attinentur, neque magis intendunt universalia, quàm Hippocrates hominem in communi, cùm medicinam faceret Calliæ, homini singulari: Quin tantum abest, ut medicus separatum bonum quærat, ut nec de separatâ valetudine cogitet, verùm de sanitate in hoc vel illo homine producibili, cùm singulos curet. Quæ res satis convincit, Platonis ideam imaginariam esse in beatæ vitæ regimine definiendo, ideoquè in Utopiam Platonicam relegandam.

CAPUT. XXIII.

Annon Beatitudo Formalis consistendo consistat in Actione Morali Studiosâ cum Peripateticis?

§. 1. I*Mmò verò*, idquè ob τὸ ἀπαντοδώδεκα beatitudinis, sive ob duodecim προσκείμενα ejus famosa, quæ in hâc, tanquam in centro, concentrant, quoniam per eam, putà actionem studiosam, formaliter & proximè beamur Philosophicè.

2. Quamvis enim in primis, operatio sive actio virtutis, cùm sit accidens, non sit perfectissima in ratione entis, cùm ut sic sit imperfectior substantiâ animæ, illiusquè potentiis, quarum est operatio, immò ipsis divitiis, quatenus sunt entia & substantiæ consi-

consideratione Metaphysicâ, tamen consideratione Ethicâ, per quam quęrimus, non esse novum, sed perfectionem compositi jam existentis, est in suo genere perfectissima, tum ex objecto, tum ex modo attingendi illud objectum, terminoquè.

3. Quamvis item in secundis eadem operatio virtutis non videatur esse ens permanens cum Stoicis, sed successivum, atque in fluxu constitutum, ut quæ sit quid constans ex multis, quæ jam transierunt, atque uno tantùm, quod adhuc est præsens, progressuquè temporis augeri possit, neque totius, sed partis, hoc est, modò hujus modò illius virtutis, non omnium simul, eò quòd homo non valeat insimul fungi munere omnium virtutum, tamen ut non audiat tale ens quoad continuationem actionum numericam, audit nihilominùs quoad specificam, si minùs quoad professionem extrinsecam, ratione externarum actionum, quæ variè impediri possunt, minimùm quoad intrinsecam, respectu agentis, atque actionum internarum, quomodo v. g. propositum sive animus fabricandi in fabro fabrum denominat, licet non semper fabricetur, semperquè adsit terminus illius operationis ultimus, similiterquè animus relevandi medicum, licet non sit in medico semper relevetur ut æger. Ne dicam, morborum vi ipsam quoque virtutem beatificam

cam Stoicorum posse impediri, quò minùs se actu exercito exerere possit semper. Et quid mirum, beatitudinem constare ex multis, quæ præterierunt, atque uno præsenti, cùm ipsa vita ex talibus constet, ut quæ in perpetuo fluxu consistat, cujusquè non tantùm plurima non sint præsentia, sed nihil ejus præsens, nisi vitæ punctum, quod terminus præteriti, initiumquè futuri. Neque enim vel dies, vel hora vitæ una, tota præsens est, nedum infantia, pueritia, adolescentia, stata ætas, aut senectus tota. Quare dicendum, beatitudinem significare quid permanens, eò quòd collectionem actionum denotet, hocquè actiones permanentiam habere modo, licet singulæ, & unaquæque earum seorsim sumta, transeant, planè sicut vita ipsa permanens quid, etsi singulis momentis aliquid ejus depereat. Quod attinet augmenti periculum, quasi cum actionibus crescat beatitudo, adexcipimus etiam vitam, siquidem ad plures annos duret, extendi, neque tamen augeri, similiterquè beatitudinem, ut quæ non ponatur in singulis actionibus, sed in omnium congerie? Quemadmodum enim senex nemo dicitur propter hunc aut illum aut istum annum, quem vixit, si seorsim singulos sumas, ita beatus haud est quis, quòd tum rectè egit, illovè tempore, sed quòd hoc illo isto. Quare, etsi supra unam actio-

actionem virtutis semper esse altera possit, quæ ei addatur, ultra ipsam tamen beatitudinem nihil est, planè sicut ultra unum annum senectutis esse potest alius, neque tamen quidquam ultra senectutem ipsam.

4. Quamvis porrò in tertiis beatitudo videatur potiùs esse in prædicamento qualitatis, quàm actionis, cùm ab eâ denominemur quales, hoc est, beati, & qualitate aliquâ præditi, tamen id citra fallaciam figurę dictionis statui nequit. Utut enim τὸ beatum esse videatur significare qualitatem, verâ tamen re denotat actionem, sicut cognata vox perfecti qualitatis significationem præ se fert, cùm sępè significet substantiam. Taceo, quòd beatitudo aliter quoque exprimi possit, idquè per voces, quæ apertè inferunt atque implicant actionem, ut per τὸ εὖ ζῆν, rectè vivere, εὖ πράττειν, rectè agere, ὁμολογουμένως καὶ καθ' ἕνα λόγον ζῆν, ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, convenienter rationi & naturæ vivere.

5. Quàmvis deniq; in quartis virtus facultate includat actiones virtuosas, tãquã causa efficiens, ideoquè præstantior esse videatur actionibus virtuosis, ordine naturæ generantis & cõponentis, tamen non est pręstantior ordine naturæ intendentis, quomodo nobilius ac pręstantius id, cujus gratiâ quid est: Atqui habitus est propter actum, virtus propter actionem suam, tanquam perfe-
ctionem

ctionem ultimam, quæ ideò pensior in comparatione, in quâ propterea rectiùs summa beatitudinis collocatur cum Peripateticis, quàm in illâ cum Stoicis.

CAPUT. XXIV.

Quid Actio Moralis, & quotuplex, cum Differentiâ Moralitatis, Indifferentiâquè, ex Spontanei atque Inviti fontibus.

§. 1. *Actio Moralis*, (quæ objectum materiale Ethicæ, sicut actio moralis honesta sive studiosa, ejusdem objectum formale,) est motus naturalis in homine, ad bonum vel malum morale determinans, mediantibus intellectu practico voluntate phantasiâ appetitu sensitivo & locomotivâ factus, geminum habens esse, unum Physicum, quod in actibus positivis, ut in commissione, est positiva ipsorum tendentia in suum subjectum, maximè formale, à quo speciem suam accipit, in privativis verò, ut in omissione, privatio ac carentia actus, alterum Ethicum, quod ipsum naturale actuum, prout eliciuntur ab homine ratione utente.

2. *Actio hac Moralis universè, vel Differens est, eaquè vel Bona vel Mala, vel Indifferens*, si minùs in individuo, ut est vestita omnibus suis particularibus circumstantiis, minimùm in communi suâ naturâ, amputatis

tatis ac præcisis circumstantiis, quoniam ex se talis, ut possit bonas vel malas habere circumstantias. Probatur, quia objectum humanarum actionum triplicem ordinem sortiri natum est ad rectam rationem, unum convenientiæ, unde consurgit actio bona, quæ refertur in finem debitum, alterum disconvenientiæ, unde mala, quæ refertur in finem indebitum, nullumvè, tertium indifferentiæ, unde præter boni & mali differentias consurgit tertia, & ipsa positiva ac realis, quâ actio suâpte naturâ constituitur in specie indifferentis, cujus objectum bonum & malum indifferens secundum speciem suam.

3. *Vt ita Actio Moralis Differens adhuc duplex sit, Bona videlicet & Mala*; & quidem vel in actu primo, quatenus potis est reddere hominem bonum aut malum, vel in actu secundo, quatenus actio facit talem, quarum actionum altera est & cluit objectum Ethices materiale positivum, quod illa docet operari, qui finis in habitibus Practicis, altera verò objectum negativum, quod eadem dedocet operari, non agens per se de illo, verùm per accidens, nec nisi reductivè.

4. *Vtraque, tam Bona quàm Mala, Spontanea sive Voluntaria*, atque προαιρετικὴ utraque si minùs explicitè semper, minimùm implicitè. Dico, sive voluntaria. Quanquam enim

enim τὸ ſponte in latitudine etiam rebus inanimis & brutis conveniat, cùm ſit vox ab uno, ideoquè primò aliquid ſignificet, aliud ſecundo loco, quomodo equum dicimus ſpontè per prata currere, dum ſolutus eſt frenis, vermes ſpontè ſe contrahere & extendere, lapidem ſpontè deſcendére: (cùm enim eis competat operari per vim, beſtiis etiam, perſuade perfectioribus, per inſcitiam, quod eſt operari invitè, quidni & τὸ ſponte, quoniam oppoſita ſunt nata fieri in eodem,) propriè tamen animatis rationalibus tribuitur, nominatim homini. Quid enim aliud ſpontè agere vi etymi, quàm voluntate propriâ ſpondente agere, quæ voluntas, à quâ denominativè dicitur voluntarium, non cadit in beſtias, nedum in inanimata. Taceo, quòd τὸ operari verè ſpontè, ad actiones dignas laude & vituperio, præmio vel pœnâ, pertineat, quę homini propriè competunt, non etiam jumentis & feris, quæ non habent dominium ſui actus, cùm non tam agant, quàm agantur, ideoquè nec veram ſpontaneitatem, quam habet homo. Scilicet τὸ operari ſpontè, eſt operari cum appetitu: Operans cum appetitu, vel operatur ſine cognitione, ut inanima, & animata imperfectiora, vel cum cognitione, eâquè vel obſcurâ, ut animata irrationalia perfectiora, vel diſtinctâ, ut homo, qui γνησίως ſpontè agit, quia agit cum vo-

voluntate & ratione.

5. *Sicut verò Actio Moralis Differens, exquè tam Bona quàm Mala, Spontanea est sive Voluntaria, ita Actio Moralis Indifferens, sive nec Bona, nec Mala. Invita sive Involuntaria ferè*, vel ideò, quia omnis actionum bonitas ac malitia moralis non ab opere aut eventu æstimanda est, verùm ab animo, qui si abest, uti abest in invito, moraliter quis nec benè nec malè fecisse præsumitur.

6. Quod dixi de eventu, id eventualiter, & cum interstinctionis commate accipiendum est. Vel enim eventus ille est præcogitatus, vel incogitatus: Si prius, addit ad bonitatem vel malitiam: Si posterius, si per se sequatur ex actu, & ut in pluribus, tunc addit ad bonitatem vel malitiam actus, sin per accidens, & ut in paucioribus, non item. Neq; enim judicium datur de re aliquâ secundum illud, quod est per accidens, sed solùm secundum illud, quod est per se, quomodo virtutem causæ judicari videas secundum effectus per se, non per accidens, conquè venienter pœnam, quæ infligitur. v. g. domino bovis cornupetæ, augeri quidem ex eventu, sed quatenus ille per se sequitur ex tali causâ, ut non præintentus, ita præcogitatus, saltem non incogitatus.

7. *Sed undenam noscitare possum, quarum*

E ar,u-

argutulus, quaenam actiones sint moraliter differentes, hoc est, bonae vel malae moraliter, quae indifferentes, hoc est, nec bonae nec malae moraliter? Ex necessariorum requisitorum affectu vel defectu, praesentiâ vel absentiâ.

8. *Actiones Moraliter Bonae sunt, quae habent haec quatuor requisita conjunctim, Voluntatem Agentis, Bonitatem Objecti, Bonitatem Finis, denique Bonitatem Circumstantiae.*

9. *Sola voluntas agentis non constituit actionem bonam moraliter*, tum quia, tanquam causa efficiens extrinseca, non est de essentiâ actionis, ideoquè inter actiones essentialem differentiam constituere nequit, tum quia, à quâ voluntate procedere potest bonitas, ab eâdem etiam malitia. Nec obstat, quòd à voluntate petantur delictorum gradus, ratione majoris minorisvè intensionis, extensionis, protensionis, Sicut enim ob majorem approximationem ignis ad aquam gradus caloris intenduntur in aquâ, essentialis tamen caloris à frigore differentia inde non ducitur, gemino modo τὸ voluntarium auget quidem benè vel malè factum, essentialem interim ei differentiam non largitur, non plus, quàm circumstantiae, quae delictum augent, non faciunt.

10. *Sola objecti bonitas non constituit actionē bonam moraliter, speciemquè sive specificationem huic dat.* Tametsi enim objectum distinguat

guat actus inter se, v. g. actum furandi ab actu latrocinandi, tamen in genere moris primò & per se non distinguit actus bonitatem à malitiâ, sed benè secundariò, & per accidens, ut si quis furetur, quò det eleëmosynam. Sicut enim dare eleëmosynam bonum est, quia est objectum conveniens, quod exhibeatur pauperi, talequè esse judicatur à rectâ ratione, ita non dare eleëmosynam pauperi, cùm debeas, malum atque inconforme rationi, eripere eidem eleëmosynam, quam ab alio acceperit, id verò pejus in comparatione, magisquè inconforme rationi, quarum actionum species ex objecto utique.

11. *Sola finis bonitas, aut intentio boni finis, & ipsa non constituit actionẽ moraliter bonam*, quia enim fieri potest, ut finis sit optimus, media verò pessima. Ita exerceat quis v. g. prædatoriam terrâ, piraticam mari, quò proximum cum paupertate conflictantem sublevet, bonam ille quidem rem intendet, sed non benè, intentionemquè habebit boni, at non bonam, quæ non permittit electionem medii mali. Sicut enim ex veris principiis non potest inferri falsa conclusio, ita nec ex intentione bonâ electio turpis. Ut ita ad formalem bonitatem actus non magis in sensu diviso sufficiat bonitas finis, quàm bonitas objecti, cùm quod bonum sæpè est ex objecto, id malum fit

ex fine, ut si quis eleëmosynam det vanæ gloriolæ causâ, & contrà, quod bonum est ex fine, id malum fit ex objecto, ut si quis misericordiâ motus eleëmosynam det eo fine, quo dari solet, verùm de alieno, sive re furtivâ.

12. *Sola denique bonitas adjuncta circumstantiæ non constituit actionem moraliter bonam*, semel, quia non pertinet ad substantiam actus, iterum, quia quod bonum sæpè est ex objecto & fine, id malum nonnunquam est propter solam circumstantiam, cùm optimæ actioni possit adhærere circumstantia pessima. Sic pugnare v g. cum hoste propter victoriam, in bello licito, bonum & ratione objecti & finis, at si id facias loco & tempore inopportunis, malum est propter circumstantias, quæ augent quandoque tantùm vel minuunt bonitatem & malitiam moralem, quæ inantè aderat, non specificant, quomodo si quis multum accipiat de re alienâ, furtum ea res haud facit, sed reddit majus, sicut si quis multum eroget in honorem divinum, actionem bonam ea res non facit, verùm meliorem. Sed cur, quod bonum sæpè ex objecto & fine, id malum propter circumstantias? Quia enim recta ratio non tantùm præscribit, quid fieri oporteat, & quo fine, sed etiam quando & ubi, quæ ideò concurrere con-

convenit ad actionem perfectè bonam.

13. *Actiones Moraliter Malæ sunt*, quæ aliquo horum requisitorum destituuntur; ut si quis liberalis, verùm populariter, publicevè, precabundus, verùm hypocriticè & Pharisaicè. Sicut enim bonum causatur ex integrâ causâ, ita malum ex quolibet defectu. Quo fit, ut actus nostri ex omnibus modò commemoratis conditionibus vitientur, & deficiente vel unâ jam non sint conformes sed difformes rationi, licet inde interim præcipuè mali dicantur, quia discedunt, discessu non negativo sed privativo, à lege æternâ.

14. *Actiones Moraliter nec Bonæ nec Malæ sunt*, quæ cum per se ac sui naturâ sint indifferentes, bonæ tamen aut malæ fiunt, vel latâ civili lege, vel ob circumstantias adjectas. Sic digitum exerere pallio, festucam de terrâ levare, caput fricare, baculum manu movere, morales actiones non sunt, quà tales, cùm differentiæ boni & mali in iis non reperiantur, sicut nec, quòd Paulus, Apostolus gentium, Timotheum circumcidit, non circumcidit Titum, tempore nascentis Christianismi, rebus indifferentibus pro tunc usus indifferenter, contrà quàm fecit Petrus Coäpostolus, qui contra naturam rerum indifferentium coëgit gentes Judaizare, rebus indifferentibus usus ut necessariis.

15. Quòd si excipis: Inter contradictoria non dari medium, ergò nec inter actiones moraliter bonas & malas! Redexcipio, has non contradictorias, sed contrarias esse. Si instas: Objectum vel esse conforme rationi, vel inconforme, nec dari tertium! Obinsto, dari, non quidem positivè, sed negativè, hoc est, non quidem per deformitatem aut difformitatem positivam, sed per non-conformitatem, quæ mediat inter conformitatem & difformitatem sive deformitatem.

CAPUT XXV.

Utriusque, tam Spontanei, quàm Inviti, sectio in τὸ Simplex, & Secundum Quid: Simplicis Inviti iterum in Invitum per Vim, & per Ignorantiam, cum hujus divisionibus & subdivisionibus, Simplicisquè Spontanei Compositione cum Invito Simplici, interposito judicio Philosophico.

§. 1. *Actio Moralis, tam Spontanea, quàm Invita, vel Simplex est, vel Secundum Quid.*

2. *Actio Moralis Spontanea Simplex est*, quando actionis principium est in eo, qui agit, cum singularum circumstantiarum cognitione, sive, cùm quis illud, quod in suâ potestate est, volens sciensquè facit, ut si quem, quâ re, quo modo, quamobrem, non ignoret, & hoc ampliùs, neque casu, aut vi metuvè coactus faciat, quod facit.

3. *Actio*

3. *Actio Moralis Simplex Invita est*, quæ per Vim, aut per Ignorantiam fit, quarum illa adversatur Potentiæ, hæc Scientiæ, absque quâ quod fit, nec benè nec malè factum dicitur.

4. *Estquè*, (ut à privativo, hoc est, non spontaneo, incedam ad positivum, hoc est, spontaneum, quia major in illo varietas, major animi advertentia, quàm in hoc, cùm τὸ invitũ, ut quod pendeat à principio externo, incurrat in oculos, non item, saltem non æquè, spontaneum, quod pendet à principio interno, inincurrente in sensus:) *duplex*: *Vel enim est talis per Vim, vel per Ignorantiam.*

5. *Invitum Simplex per Vim est*, cujus principium est extra, atque ejusmodi, nihil ut adjumenti afferat is, qui agit, aut patitur. Græcè Philosophantibus βίαιον, Latinè Philosophantibus violentum dicitur, sed rectiùs & correctiùs vi-factum. Neque enim vocabulum τοῦ βιαίȣ hîc est ἐνεργητικὸν, quomodo ventos tempestates homines violentos dicimus, quia vim afferunt, sed παθητικόν, capiendo id de iis, quæ vi fiunt, hoc est, per majoris rei impetum, qui repelli non potest, ut cùm tempestate quis ad scopulum alliditur, aut miles ad aram nolens vi gestatur, vel quis Rhodo pulsus eandem ad insulam ventorum impetu refertur, perquè lictorem invitus in custodiam ducitur, quę vis utique

ad quam tria requiruntur, ut actionis principium sit externum, ut benè validum, ut nihil ad id conferat is, qui agit, aut patitur.

6. Sed juvat ἀναλύειν. Definitum est τὸ vi factum. Definitur per principium, nõ quodvis, sed externum, nec hoc quodvis, non utique per finem, sed efficientem, nec hanc quamvis, non utique per naturam, quę principium internum, artemvè, cùm artificum opera omnia fiant quidem principio externo, cista v. g. non suâ vi, verùm manu opificis, neque tamen vi, sed nec per reliqua efficientia externa, cùm quis ab aliquo deportari possit volens, quod externũ principium, neque tamen vi factum, verùm per principium externum violentum, ubi nihil adjumenti affert is, qui agit aut patitur, quibus verbis diversis respectibus eandem personam denotat Philosophus. Eâ quippè ratione, quâ quis suscipit in se vim, dicitur patiẽs, eâ porrò ratione, quâ compulsus agit, agens, ut, si quis baculum habens in manu, coactus à potentiore, percutiat alterum. Quæ causa, quare idem modò conjungat agentem & patientem, modò disjungat in descriptione τῦ βιαίυ, & aliâs τὸν βιαζόμενον denominet ab agente, aliâs à patiente, aliâs ab utroque, quoniam nonnunquam illud, in quod externum agens operatur, solùm patitur, ut fit in motu violento lapidis sursum, ignis deorsum, nonnunquam est intermedium,

dium, & partim agit, partim patitur, ut quando quid coacti agimus, quo in casu nos cooperantes sumus id, quod primus motor operatur.

7. *An verò voluntas cogi possit per externam vim, eique violentia inferri, sicut eam fieri videmus corpori organico, singulisque ejus organis*, næ quæstio est classica, super quâ classicum canunt Moralistæ classici, neque id uno tenore omnes.

8. Alii siquidem distinguunt heic inter actus voluntatis elicitos sive immediatos, qualis v.g. velle, & imperatos sive mediatos, mediante aliâ potentiâ exercitos, qualis v. g. ambulare: In illis, nempè actibus voluntatis elicitivis, voluntatem vim pati posse negant, ne materialiter quidem, quia procedunt ab intrinseco affectu atque inclinatione ipsius voluntatis, adeoquè à principio intrinseco, jam verò repugnat, esse quid voluntarium, sive ab inclinatione intrinsecâ, & principio intrinseco, & esse violentum, sive à principio extrinseco, contra inclinationem intrinsecam, quæ contradictio in adjecto, cùm τὸ velle sit naturaliter ad aliquid inclinare, sive ex interno principio ad id ferri, cogi verò ab externo principio & non naturali moveri: Aut, si voluntas etiam quoad actus elicitos vim potis est pati, tunc vim illa patietur, vel antequam actus illi eliciantur, vel postquam sunt eliciti?

Non.

Non antequam eliciantur, quia fieri nequit, ut ab aliquo quis cogatur, hoc ut velit, illud nolit, nisi mutatâ voluntate cœperit nolle, quod voluit, velle, quod noluit, & quia sic homo, siquidem cogi posset ad actum voluntatis eliciendum, imperfectior foret bestiis, quarum appetitum nullus cogere metus potest, cùm sit naturalis, positisquè omnibus ad agendum necessariis requisitis connecessarius, quomodo nemo v. g. facere potest, ut non delectetur aranea textu telæ: Sed nec postquam sunt eliciti, quia impossibile, cùm velis, ut ab aliquo cogaris, ut nolis, quoniam nemo simul potest velle & nolle: Adeoquè, si cogeretur voluntas, tum verò cogeretur, vel à judicio intellectus, vel à concursu divino, vel ab affectibus, vel à violentiâ, vel à lege: Non à judicio intellectus, quia sic semper, positis duobus inæqualibus, majus præferret minori in electione, quia hoc mens celebrandum judicat, cùm sæpè præoptet minus: Non etiam à concûrsu divino, cùm cooperatio Dei & creaturæ sit actio una eadéquè, nulla autem actio una eademquè cogat seipsam violẽter: Nec ab affectibus, quia si affectus cogerent voluntatem, tunc semper id facerent, atqui sæpè iis reluctatur voluntas, rectæ rationis directorium secuta: Sed nec à violẽtia, quia, quãvis ea cogere possit locomotivã, ne exequatur, quod volũtas vult omni animi conatu.

tu, tamẽ in medio violẽtię ardore nõ cogitur, quo exemplo videmus, hominẽ cruciarium, eôpſe articulo, quo ad crucẽ abducitur, velle inabduci: Nec deniq; à lege, quia, quãvis ejus obligatio cogat Politicè voluntatem de jure, tamen non cogit Phyſicè de facto, renitente ſive in contrarium nitente voluntate, In his, (nempè actibus voluntatis imperativis,) voluntatem omninò vim pati poſſe ajunt, in quantum per externam vim exteriora membra impediri queunt, quò minùs imperium voluntatis exequantur. Quanquam enim ſit in cujuſq; manu, quid velit, non eſt tamen peræquè ſive adæquè, quid poſſit, vel facere cuiquam, vel pati à quoquam. Ut ita voluntas vim pati poſſit in actibus aliarum potentiarum, quę agere atq; applicari ab extrinſeco poſſunt ad agendum, homine renitente per voluntatem, ut cùm quis aliò invitus rapitur, contra voluntatem atq; appetitum elicitum, quod ubi fit, homo in actibus imperatis materialiter patitur vim. Cùm enim actus illi ſint violenti, voluntarii utique eſſe nequeunt, imperativè à voluntate.

9. Alii inter coactionem βιαςικὴν civilem, & ἡγεμονικὴν moralem, quarum altera in armis gladiis externâquè violentiâ conſiſtit, nihilquè eſt aliud, quàm compulſio ad actum, aut actus inhibitionem, à principio extrinſeco, naturali voluntatis inclinationi contravenlens, violenta, inquam, im-

pulsio, ab externo principio profecta, altera verò, quâ spes præmii laudis honoris, alicui proponitur, delicti gravitas ostenditur, pœnæ subsecuturæ, infamiæquè ac vituperii notæ, ob oculos ponuntur. Voluntas ut sic cogi potest, non priori, sed posteriori modo, putà moraliter, non civiliter, hoc est, impelli, moveri, flecti, atque ad frugem perduci potest voluntas, non autem cogi propriè.

X. *Invitum Simplex per Ignorantiam sive ex Ignorantiâ* est, cùm ignorantia est causa actionis, non aliud quidpiam, quod ignorantiam induxit, putà, affectus aliquis, aut corporis, ut ebrietas, aut animi, ut ira, qualiter agentes ignorantes quidem agunt, sive cum ignorantiâ, at non ignoranter, sive per ignorantiam, quoniam in illorum potestate fuit, istâ ignorantiâ, quæ principium actionum invitarum internum, propter quod homo in actione actionisvè circumstantiis errat, princepsquè adeò causa, cur quid agamus, non acturi, nisi illa adfuisset, non laborare.

11. *Ignorantia hæc variè dividitur in Scholis.* 1. *Respectu Intellectus in Theoreticam & Practicam.* Ignorantia Theoretica est, cùm ignoratur, an, quid, & qualis res sit: Practica, cùm ignoratur, utrùm illa sit bona, vel mala. Conjunctam hæc quandoque habet Ignorantiam Theoreticam, & plerunque Ignorantiam, quam vocant, Inter-

pre-

pretativam, quæ nihil aliud, quàm inconsideratia intellectus, cùm quis, quamvis sciat id esse malum, quod vult, non considerat aut recogitat tamen, certè non ita diligenter, atque vel poterat, vel debebat.

12. *Respectu hinc Voluntatis in Voluntariam & Involuntariam. Ignorantia Voluntaria* est, quæ directè vel indirectè est volita. Duplex numero. Vel enim est Vera, vel Simulata sive Affectata. Ignorantia Voluntaria Vera iterũ aut Actualis est, simpliciter ipsoquè actu talis, Concomitans Scholasticis, eò quòd comitetur voluntatẽ, ut cùm quis, quod facit, facit quidem ignorans, sed id ipsum faceret, si maximè sciret, v.g. interficit hostem suum ignorans, idem facturus sciens, aut Virtualis, talis virtualiter, quoniã causa, quâ quis sibi hanc ignorantiã contraxit, fuit voluntaria, ut si quis cum Lacedæmoniis approbet furta ingeniosa, antecedẽte sepulturâ morali seminum, de justo & injusto, honesto & inhonesto, in animum divinitùs sparsorum. Adhuc duplex, Dispositiva videlicet & Habitualis. Ignorantia Dispositiva est, cùm quis ex affectu quopiam, aut levi de causâ, consentit in causam ignorantiæ, v. g. homo in ebrietatem, iramvè: Ignorantia Habitualis est, cùm quis constanti quâdam consuetudine istam ignorantiam, sive cæcitatem in suscipiendis consiliis, sibi petulanter attraxit, v. g. per ebrio-

ebriositatem iracundiamvè, non jam peccans per illas, sed per has. Ignorantia Voluntaria Simulata est, cùm quis simulat se ignorare, quod scire nollet, ut si medicus opium pro apio præbeat. Affectata audit aliter, propter ignorantiæ affectationem, quoniam per eam nescimus, saltem nescituri mus ea sæpè, quæ inquirere ac scire poteramus, debebamusquè, & de jure, & de facto, & in universali, & in particulari. Hâc qui peccant, non peccant propriè δι' ἄγνοιαν, verùm ἀγνοοῦντες, sicuti per ignorantiam inaffectatam, hoc est, probabilem & improvidam qui peccant, non ἀγνοοῦντες, verùm δι' ἄγνοιαν. Ecquâ de re? Quia enim in affectatâ ignorantiâ erroris causa non est propriè inscitia, sed agentis voluntas improbitas & ignavia, in inaffectatâ verò & probabili causa non agentis inertia, sed fortuna, quin immò ignorantia ipsa, eò quòd in tantâ fortuitorum casuum varietate multa etiam maximè prudenti accidere possint non prævisa, aut non satis cognita, ut si forte fortunâ paterfamiliâs domi suæ recipiat furem, quem talem esse nesciebat, patervè in testamento prætereat filium, nunciatâ falsò ejus morte. Unde etiam pro involuntariâ habetur. *Ignorantia Involuntaria* est, quæ neque directè neq; indirectè est volita. Et ipsa duplex numero. Vel enim est Negativa, vel Privativa. Ignorantia Involuntaria Negativa est mera nescien-

nescientia ejus, quod quis nec scire poterat, nec debebat. Ignorantia Antecedens Scholasticis, eò quòd omnem actum voluntatis antecedat, item invincibilis, eò quòd morali diligentiâ superari nequeat, causaquè sit, ut quis quid velit, quod si sciret, nollet. Ignorantia κατ' ἀπόφασιν Græcis, simplicis negationis Latinis. Adhuc duplex, Juris nimirùm & Facti. Ignorantia Negativa juris est, cùm quis nec debuit nec potuit illud jus, in quod peccavit, scire, ut cùm malè caligatus Caligula jura sanxit, sed vel illa non promulgavit, vel minutissimis characteribus descripsit, & quidem in loco angusto atque obscuro. Ignorantia Negativa Facti est, cùm quis factum aliquod ignorat, quod nec scire poterat, nec debebat, ut si peregrè absens nesciat decessisse eum, cujus ipse est heres. Ignorantia Involuntaria Privativa est nescientia ejus, quod quis & poterat scire, & debebat. Ignorantia Vincibilis Scholasticis, eò quòd morali diligentiâ superari queat, κατὰ διάθεσιν Græcis, pravæ dispositionis Latinis. Et ipsa duplex, Juris videlicet & Facti. Ignorantia Privativa Juris est, cùm quis jus suum, in quod peccavit, scire poterat, aut debebat, idquè tam universale, quale jus naturæ, in quo nemo sanæ mentis, & justæ ætatis, potest ignorantiam prætendere commissis suis omissisvè, cùm præcepta ejus adeò sint evidentia, ut consilii regionem fuge-

re nequeant, quàm particulare, quale positivum, in quo consimiliter nemo rectę mentis & ætatis potest allegare eandem, cùm quilibet teneatur scire jus suæ Reipublicæ, in quâ agit, exceptis specialibus casibus, in quibus ipsius juris dispensatione & dispositione indultum est jus ignorare militibus, fœminis, rusticis, minorennibus. Ignorantia Privativa Facti est, cùm quis ignorat factum esse, quod scire poterat homo, neque omninò curiosissimus, neque omninò negligentissimus, vel breviùs, cùm quis ignorat factum, idquè vel suum, vel alienum. Ad ignorantiam facti nostri pertinet artificum imperitia, quæ culpæ annumeratur, ad ignorantiam verò facti alieni, cùm quis v. g. propter locorum intervalla non rescriscit cognatum vitâ functum esse, seriusquè ex eo petit hereditatem, quarum ignorantiarum prior affectata ferè, posterior probabilis. Ignorantia hæc Facti universè, vel Objectorum est, vel Mediorum, vel Finium. Ignorantia Objectorum iterum est, vel Personarum, ut cùm Jacobus patriarcha Leam duxit pro Rachele, vel Rerum, ut cùm Ceres, à Tantalo invitata, carnem humanam inscia comedit, vel Verborum, ut si quis inter loquendum per imprudentiam verba quædam proferat, quæ nunquam in animo habuit proferre. Ignorantia Mediorum vel Instru-

Instrumenti est, ut si quis alium bombardâ transverberet, ignorans eam esse saburratam pulvere pyrio, hastâvè lædat, quam putabat esse obtuso mucrone, cùm fuerit acuto, jactuvè lapidis vulneret, cùm non putârit esse lapidẽ, sed pumicem, vel Modi, ut si quis gladiatorum, gladio alterum leviter attacturus, graviter eum cõsauciet, talovè astragalo clavi aut cucumâ quem interficiat in rixâ, vel Loci, ut si quis bombardã in castris aut munitionibus jovialiter explodat, ignorans hoc ipsum esse prohibitum, vel Temporis, ut si quis die veneris carnibus vescatur, nesciens interdicti pseudo-ecclesiastici, profestovè die rem divinam faciat, credens eum esse festum. Ignorãtia Finium vel est finis per se, ejusquè vel subordinati, vel ultimi, ut si quem castigandi atque emendandi animo percussum quis morti det, medicusvè, præbito medicamento valetudinis recuperandæ causâ, ægrotum interficiat, vel per accidens, ut si quis usum rei, ad quam accidentario casu tendit, vini v.g. Armeniaci efficaciam ignoret cum Noacho. Sed hæc ignorantia ad Ignorantiam Circumstantiarum, quâ ignorantur circumstantiæ, in quibus totius actionis cardo vertitur, pertinet scilicet, quæ hæ: *Τίς*, quis faciat, aut fecisse ignoret? quæ circumstantia vix ignorari potest, cùm nemo possit ignorare seipsum: *Τὶ*, quid faciat, aut fecisse ignoret? *Τίνι*, quâ in re,

in re, seu in quem? Περὶ τί, quâ re & facultate velut organo? Ἕνεκα τίνος, cujus rei causâ? Πῶς, quo agendi modo? Ποῦ, ubi, seu quo loco? Ὅτε, quando, seu quo tempore? Cujus octonarii hæc ratio reddi solet à Moralistis. In actionibus, inquiunt, spectatur & res semper, & rei causa, cum suis adjunctis. De re quæri solet, quid sit, ut quòd sit factum? De causâ, utrùm efficiens, finis, materia, forma? Ab efficiente principali manat attributum quis, ab adjuvante, quo organo, à fine, cujus rei gratiâ, à materiâ, quâ in re, aut in quem, à formâ, quomodo. De adjunctis rei quæri solet, quo quid factum sit loco, & tempore, atque hinc porrò manant attributa ubi & quando. Piccolomineus præallegatis circumstantiis superaddit circumstantias coram quo & quàm diu, sed harum alteram commodè ad modum, alteram ad tempus agendi modificatum, revocâssis. Alii obaddunt circumstantiam quoties, quæ inter circumstantias recenseri nequit, quia enim eæ circa eundem actum sunt, numerus autem non circumstat unam eandemquè actionem, verùm diversas. Ex his (persuade circumstantiis,) κυριώταται principalissimæ sunt, objectum, sive res ipsa, quæ agitur, & finis, sive τὸ cujus gratiâ agitur res. De objecto seu re ratio illa, quòd facta pleraque ex strato distingui soleant, parricidium v. g. à cæde simplici, adulterium

rium à stupro: De fine ista, quòd in omni facto maximum sit positum in eo momentum, adeò, ut non tam quæratur sæpenumerò, quid sit factum, quàm quo animo & fine: De utrisque hæc, quòd voluntatis motivum sit objectum & finis. Reliquæ circumstantiæ omnes sunt minùs principales, magis minusvè in suo orbe, secundum quod magis vel minùs ad has approximant.

13. *Respectu Operis, quod fit, vel ex Ignorantiâ, sive Per Ignorantiam, vel cum Ignorantiâ, in eam, quæ est causa effectus, & quæ non, quarū priore effectus dicitur fieri per, posteriore cū ignorantiâ*, quæ tunc dicitur causa effectus, cùm effectus non fuisset futurus, si fuisset cognitus, sive, si ignorantia abfuisset, quoniam efficienti displicet, sicut negatur eadem fuisse causa effectus, quando is fit quidem cū ignorantiâ, sed fuisset tamen futurus, si fuisset cognitus, quoniam efficienti placet. Scilicet, quæ per ignorantiam fiunt, sive in universali, ut si quis ignoraret, adulterium esse turpe, sive in particulari, ut si nesciret, hanc esse uxorem vicini, persuasum habens eam esse suam, eorum causa est ipsa ignorantia, non item eorum, quæ ab ignorantibus, qui ignorantes quidem & cum ignorantiâ agunt, at non per ignorantiam, atq; ex ignorantiâ, ut ebrii, qui ignorantes sunt, neque tamen per ignorantiam agunt, ebrietate mentis aciem obumbrante, vel pervertente. Quod prædetermi-

terminatum Ethicè de eo, qui agit ignorans, & per ignorantiam, idem condeterminandum de eo, qui agit iratus, & per iram. Sicut enim ignorans quis agere dicitur, quando ignorantia non est causa actionis, similiter iratus, quando ira, & sicut per ignorantiam quis agere dicitur, quando ipsa ignorantia est principalis causa conficiens, ob quam quis agit, similiter per iram, quando ira. Tametsi enim, qui per iram similemvè affectum, quid perpetrârunt, ad ignorantiæ asylum confugere soleant, usitatiùs tamen iræ atque affectibus ea tribuere solemus.

14. *Denique ex consequenti, in Ἄλυπον Impœnitentem, & Ἐπίλυπον Pœnitentem.* Aut enim ignorantiam comitatur dolor & μετάνοια, ut si quis eum sorore nuptias contrahat, quarum ipsum postea pœniteat, quæ ignorantia ἐπίλυπος fuerit, aut nullus dolor, nulla μετάνοια, ut de quodam refertur, qui, cùm fortè emisso telo novercam læsisset, euge dixit, nec hoc malè, quæ ignorantia ἄλυπος fuerit. Quanquam hîc de novercâ propriè invitus sive ἀκὼν nequeat dici, utpote qui gaudeat facto, jam verò propriè ἀκούσια invita, quæ conjunctum habent dolorem, sed nec ἑκὼν volens, quia scientia absuit, quæ in voluntariis requiritur, quare cùm neque dici possit ἀκὼν propriè seu nolens, neque etiam ἑκὼν seu volens, dicetur οὐχ ἑκὼν, non volens, hoc est,

non

non quidem invitus, sed tamen neq; volens.

15. *Sed cur tanto apparatu de ignorantiâ, tamquè articulatè & partitim Doctores?* Ut sciatur, quæ ignorantia propriè actionem reddat invitam. Neque enim omnis ignorantia id facit: Non utique Theoretica, cùm invitum per ignorantiam pro principio & fundamento habeat, non insipientiam, quæ intellectus Theoretici, sed imprudentiam, quæ intellectus Practici, à cujus judicio ultimo determinatur volũtas quoad specificationem, quoquè errãte errat, volens id, quod errore cognito nollet: Ergò Practica! Sed nec hæc omnis: Non utiq; Ignorantia ἐκ Προαιρέσεως, Malæ Electionis, quia heic causa facti non est propriè ipsa ignorantia, sed potiùs agentis voluntas & perversitas, qui ea scire noluit, quæ potuisset & debuisset, antequam ad actionem accingeretur, si vel mediocrem diligentiã adhibuisset: Non etiã Ignorantia τῦ Καθόλυ Universalis, quæ committitur in rebus absolutè judicandis, & vel bonum absolutè putat esse malum, vel contrà, quia ejus causa ipse homo, in cujus potestate erat, tam cognoscere ea, quæ cognoscenda sunt, actionis putà fines, & qualitates præcipuas, honestum, turpe, utile, (quo aspectu Ignorantia τοῦ τέλους & τοῦ καλοῦ audit Philosopho,) quàm non cognoscere, aut etiam perversè cognoscere, quod alio modo est ignorare. Non etiam Ignorantia τοῦ Συμφέρον-

φεροντος, five Expedientiæ, quæ commit-
tur in rerum comparatione, præponen-
postponenda, postponendo præponenda,
ve in universali, ut si quis ignoret, adulte-
um esse malum, sive in particulari, ut si qu
ignoret, hoc vel illud esse adulterium, qu
enim fit cum deliberatione atque electior
quod autem tale, illud non est invitum: S
nec Ignorantia Circumstantiarum in Un
versali, si quis v. g. ignoret tempus, l
cum, & alias hujusmodi circumstantias, t
que hoc tantùm, verùm ipsas neglectas v
riare res agendas, quia in his, ut ignorare
scire, in nostrâ collocatum est manu & p
testate.

16. *Quæ ergò Ignorantia actionem invit*
reddit, quæ? Ignorantia Circumstantiaru
in Particulari sive Singulari, ut, si quis, cu
operatur, ignoret aliquam circumstantia
quia ea ei non potuit in particulari esse n
ta, filiumquè v. g. percutiat, existimans e
hostem patriæ: Sed nec hæc omnis, verù
Ignorantia Probabilis sive Improvid
Ac nec hæc omnis, verùm Ἐπίλυπ☉, si q
dem dolo careat, nostrâquè accersita c
pâ haud sit.

17. *Actio Moralis Spontanea & Invita S*
cundum Quid est, quæ partim interior
per consensum, partim externam per vi
consciscitur, exemplo Jovis Homerici, c
Junoni, in Trojæ & Carthaginis excid
ann

annuit vel tandem, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, volens nolente animo, *quales Actiones Mediæ sive Mixtæ dicuntur aliter*, eò quod in iis misceatur quodammodò voluntas & noluntas. Verâ quippè re illi, qui hoc modo agunt, volentes nolentes agunt, hoc est, voluntate remissâ & refractâ, adeoquè noluntate, non quidem positivâ, quæ aversationem atque improbationem, cum impediendi studio ac conatu, conjunctam habet, sed negativâ, quæ simplex aversandi atque improbandi studium, absque impediendi conamine & tentamine, significat.

18. *Actiones hæ Mixtæ, sui naturâ partim Voluntariæ sunt sive Spontaneæ, partim Involuntariæ sive Invitæ. Voluntariæ sive Spontaneæ.* I. Respectu principii interni, ejusquè tam eligentis quàm imperantis: Eligentis, quia post intellectus consultationem voluntas liberè optat, quamvis appetitu semipleno, hoc est, sanè quàm ligato, tristi, atque ægrè sequaci: Imperantis, quia post voluntatis jussum facultas locomotiva exequitur id, quod voluntas voluntariè, tum optavit, amplectendo unum oppositorum, tum imperavit locomotivæ, quoad executionem subsequam. II. Respectu mediorum sive instrumentorum, quæ libera in agentibus tunc temporis supponuntur, cùm nulla hîc sit violentia, inscientia nulla circumstantiarum.

Quamvis

Quamvis enim hic causa quædam sit externa, quæ aliquem subigit, tamen is ipse, qui agit, & cogitur ad agendum, non omninò nihil adjutorii affert, cùm possit, si velit, damnum aut mortem potiùs subire, factum illud prætermittere: jam verò coacta voluntas etiam est voluntas, cùm retineat quoque sic libertatem in delectu operum, queatquè alia externa opera aliis anteferre. III. Respectu finis, ad quem terminatur actio, quatenus homo agens, in hoc vel illo fortunæ articulo constitutus, vitare discupit mala, quæ metuit, & consequi bona, quæ sperat. Quod si enim v. g. jacere merces in mare fit ob salutem, ut fit, hæcquè est finis, qui pro illo tempore expetitur, non mercium ejectio, quam non magis intendunt nautæ vectoresvè, quàm morbo laborantes medicamenta, sectiones, & ustiones, isquè, qui has projicit, aut projici curat, hoc cognoscit, eo in casu utique non impeditur appetitus, cognitiovè, quæ principia voluntarii. *Involuntaria sive Invita*, consideratæ ἁπλῶς, atque in genere, absque personis, locis, temporibus, aliisquè circumstantiis. 1. Ratione objecti, sive principii extrinsecùs violenter impellentis, à quo agens ad actionem quasi cogitur, quam aliâs voluntas, si ex omni parte fuisset libera, nunquam suscepisset. Nemo quippe sanæ mentis jacturam v. g. facturus mercium, necessitate præsenti

non postulante. II. Ratione temporis, sive primi motus, in quo agens planè involuntariè se habet, v.g. virgo, quam horridus miles his verbis aggreditur, aut sanguinem, aut florem virginitatis. *Interim universè magis Voluntaria in comparatione, quàm Involuntaria, Spontanea, quàm Invitæ*, tum ratione principii, quia tunc, cùm fiunt, in optione agentis est, fierinè debeant, necnè, quæ autem ejus sunt naturæ, ut pro arbitrio agentis fieri aut prætermitti possint, ea certum est esse voluntaria, cùm principium & causa illarum sit in facientibus, tum ratione medii expedientis, quod & ipsum pro tunc in agentis manu, tum ratione finis, qui est eminentius bonum, ideoquè eligibilius, quare spontaneum. Accedit ad numerum, quòd ex factis his mixtis existant laudationes & vituperationes, ea autem facta, quæ laudatione ac vituperatione digna sunt, næ voluntaria.

CAPUT XXVI.

De quadrigario Actionum Mediarum, Laudabilium, Vituperabilium, Venialium, & Pœnalium moraliter.

§. I. A*ctiones hæ Mediæ sive Mixtæ, vel Laudabiles sunt, vel Vituperabiles, vel Veniales, vel Pœnales, saltem Non-Veniales denique.*

2. *Actiones Laudabiles* sunt, quando propter magnum aliquod atq; evidens bonum aliquid indecorum fœdum ac deforme committitur, exemplo Solonis, qui abrogandæ legis vitiosæ causâ furorem, Bruti, qui liberandæ ac tuendæ patriæ gratiâ insaniam affectavit, Zopyri, qui victoriæ ergò in se admisit mutilationem, Attilii Reguli, qui conservandæ fidei ergò clavismum, Zaleuci, qui orbitatem partialem visus ob legis à se latæ reverentiam, omnes propter turpe quid, corporis non animi respectu. Est enim duplex turpe, unum simpliciter, & de se, quod nunquam honestè agi potest, ut homicidium, adulterium, quæ semper turpia, & digna reprehensione, aliud secundum quid, ut virum in magistratu constitutum per locum publicum currere, id quod ab alio fieri potest non turpiter.

3. *Actiones Vituperabiles* sunt, quando levibus de causis, & boni minoris gratiâ, turpitudo aliqua admittitur, aut quid indecens patratur, habens rationem culpabilis, propter deviationem ab ordine rationis in actu moris, exemplo Rabirii, qui pecuniæ creditæ persequendæ causâ Alexandriæ turpiter togam pallio mutavit, abjecto cultu Romano, item Vespasiani, qui è lotio non minùs turpiter tributum exegit urinarium, Scilicet inde actiones, ut laudabiles, ita vituperabiles, audiunt in Scholâ Ethicâ, quia im-

imputantur agenti, propter bonitatem vel malitiam actus, cujus agens habet dominium, constitutivum ut laudis ita vituperii sive culpæ, ut in præsentiquè argumento nostro. Ideò enim prædictæ actiones laudantur, culpanturvè, quia in nostrâ potestate fuit, celebrare vel incelebrare factum, illud admittere omittervè.

4. *Actiones Veniales* sunt, quando gravibus de causis solœcismus moralis committitur, exemplo eorum, qui turpe quid designant, subacti gravissimis cruciatibus, quibus perferendis humana natura est impar, ut si quis laceratus tormentis arcana prodat, vitæquè conservandæ causâ ex infirmitate quâdam in fugam se det, aut cum Popilio Romano, ab hoste conclusus, cùm effugere non posset, ad depectiones, sive turpes pactiones, descendat, vel cum Rutilio Rufo, in ultimæ necessitatis præcipitio, ad togæ Italicæ mutationem cum pallio Græculo, cujus classis facta non comitatur laus, ut facta primæ classis, nec vituperium, ut facta secundæ classis, sed venia, eò quòd non quidem sint scelesta, ut facta quartæ classis, probrosa tamen.

5. *Actiones Pœnales* sunt, quando quocunque tandem fine scelestum quid aut impium committitur, cùm nullis cruciatibus aut damnis quis adduci aut induci debeat, ut talia faciat, eò quòd non tantùm suâ vi & na-

turâ sint turpia, verùm etiam fiant tu
ter, ut si quis cum Alcmæone interficiat
trem, hortante atque impellente Amp
rao patre, si tyranni interimendi causâ
uxore ejus consuescat, mentiatur cum
tone Reipublicæ causâ, aut cum Julian
postatæ Thesaurario, & Constantii Im
ratoris purpuratis, metu ignominiæ, ex
mortis, religionem abjuret, vel ad dapes
manas cum Numantinis & Caliguritani
niat. Quamvis enim violentissimæ heic
causæ cogentes, tamen prohibentes lo
fortiores esse debent, efficacioresquè, in
tione Susannæ, Josephi, Hippolyti, Cr
qui pudicitiæ mortem posthabuerunt, P
cipis Condæi item, qui religioni eand
eamquè tam civilem, quàm naturalem,
clis, qui rogatus ab amico, ut pro causâ
dejeraret, juramenti religionem præ
perjurio, denique Antigones, quæ cont
to Creontis inhumano edicto fratrem
mavit, inhumandum per interdictum,
pietatis officio.

CAPUT XXVII.

*Quales Actiones sint Actiones Spontaneæ, E
tanè, an Imperatæ? Et quid utraque? Quæqu
rũ Principia ac Fontes Morales in anima tetrar*

§. I. *Actiones Spontaneæ sunt Actiones
perata, profecta ab Elicitis, ut à
sis suis ac principiis.*

2. A

2. *Actiones Elicitæ dicuntur*, quas immediatè producit Appetitus, ſecutus judicium Intellectus Practici, Phantaſiævè, ceu ſunt, velle, nolle, eligere, averſari, id nominis ſortitæ, quòd in appetitu ſint, iſquè eas ex ſe eliciat, ad producendas actiones imperatas.

3. *Actiones Imperatæ dicuntur*, quas mediante aliâ potentiâ producit Appetitus, ſecutus judicium Intellectus Practici, Phantaſiævè, ceu ſunt, loqui, ambulare, id nominis ſortitæ, quòd licet has ex ſeipſo non eliciat appetitus, excitet tamen potentiam aliam, à quâ eliciantur, quomodo v. g. ambulare actio ſpontanea eſt, neque tamen actus ex appetitu elicitus, ſive qui proximè ex ipſo appetitu emergat, aut primò homini per eum competat, ſed per facultatem locomotivam, quæ eſt principium ejus proximum, quatenus paret appetitui in producendâ ambulatione.

4. *Actiones Elicitæ partim pertinent ad partem rationis compotem, idquè ἁπλῶς ſimpliciter, partim ad partem rationis impotem, idquè πῇ καὶ πῶς*, quarum partium illa rationalis de naturâ ſuâ, ac per eſſentiam, ſuiq; conſtitutionem, hæc non quidem rationalis per eſſentiam, quoniam ut ſic rationis eſt expers, ut quæ nihil intelligat ipſa, rationisquè imperio reſponſet ſæpè, quod autem tale, illud irrationale, quia ratio non repugnat rationi,

verùm per participationem, quomodo rationis nutui, & actu paret, & potentiâ parere est nata, apta, inquam, nata obedire rationi, audireque ejus, cùm admonitiones, tum objurgationes, & quoad τὸ πράττειν, agere simpliciter, in qualitate naturæ, & quoad τὸ πῶς πράττειν, hoc vel illo modo agere, in qualitate personæ. Quamvis enim propriam rationem non habeat, tamen utitur alienâ, ut luna, quæ ob fulgorem solis lucere dicitur, aut ut cæcus, qui, dum videntem sequitur, quodammodò videns, particepsquè visus esse creditur, aut ut filius, amicusvè, qui perhibentur, ille habere rationem patris, hic amici, non quòd ratio patris insit in filio, aut amici in amico, aut quòd filius rationem, cur pater sic agat, vel amicus, cur amicus, reddere queant, sed quòd sequantur rationem atque judicium patris & amici, hoc est, eorum rationi obtemperent.

5. *Actiones Elicitæ, quæ ad rationalem animæ partem spectant, vel Intellectus sunt, ejusquè Practici, vel Voluntatis, sequentis judicium ejus, quæ verò ad irrationalem ejus partem, illæ verò vel Phantasiæ, vel Appetitus Sensitivi,* qui quatuor Fontes Moralis Paradisi, sive Viridarii Ethici.

CAPUT XXVIII.

De primo Fonte Morali Actionum Elicitarum, Intellectu, quem vocant, Practico, ut indistincto à Theo-

Theoretico, ita distinguibili. Vbi de Imperio ejus Metaphorico in Voluntatem.

§. 1. PRimus Fons Moralis Actionum Elicitarum est Intellectus Practicus, *Subjecto indistinctus à Theoretico, distinguibilis interim ab eodem Objecto & Fine. Subjecto indistinctus à Theoretico*, quia subjectum utriusq; una eademquè anima, cujus uterq; facultas reâpse una tantùm, quoniam una vis, quâ anima percipit, & res necessarias, circa quod argumentũ occupatur Intellectus Theoreticus, habitusquè scientiæ quo ille informatur, & contingentes, circa quod argumentum sudat ac desudat Intellectus Practicus, habitusquè prudentiæ, quo hic: *Objecto interim ac Fine distinguibilis ab eodem. Objecto hactenus*, quia harum quasi duarum animi partium strata in collatione non sunt eadem, alterius res, quæ fiunt à naturâ, & non à nobis, alterius, quæ fiunt à nobis, non à naturâ, illius res necessariæ, quia extra hominem principium ac sedes earum, hujus contingentes, quia in homine principium earum, utræque genere discrepantes, igitur & ipsæ illæ partes, idquè ob convenientiam ac cognationem, quam habet facultas percipiens sive perceptiva, v. g. visus, auditus, gustus, cum re perceptibili ac percipiendâ, v. g. cum visibili, audibili, gustabili, quoniam perceptio fit secundum similitudinem quandam percipientis ad id, quod percipitur:

Fine hactenus, quia harum quasi duarum animi partium fines & ipsi in collatione sunt iidem, alterius res prioris commatis cognoscere cognoscendi causâ, quoniam produci agendo nequeunt, alterius res posterioris commatis cognoscere quidem & ipsas, verùm non tam cognoscendi animo & consilio, quàm agendi, nec quà cognoscibiles, sed quà agibiles, & quidem per se.

2. *Intellectus hic Practicus, contradistinctus saltem contradistinguibilis à Theoretico, Imperium in voluntatem exercet Metaphoricum, dum eam determinat, non quidem determinatione Coactivâ, & quoad Exercitium Actus, verùm Consultativâ, & quoad Specificationem ejus.*

3. *Imperium Intellectus Practici Metaphoricum voco*, quo intellectus Practicus, non tantùm indicat, sed etiam judicat, imò præcipit, quid voluntati sequendum, quid contrà fugiendum sit, absque jurisdictione tamen. Cùm enim duo contineat imperium propriè dictum, ostendere sive præscribere, quid fieri debeat, atque impellere ad agendum, cum vi quâdam cogendi, Intellectui Practico prius tantùm competit, cujus munus sit, illuminare ac dirigere voluntatem, normamquè ejus actibus præscribere, non etiam insimul impellere; nisi proponendo fortè objectum, ejusquè bonitatem explicando, qui propriè impulsus n

c

eſt, non magis, quàm cùm pomi pulchritudo nudè oſtenditur, abſque ulteriori impulſione aut compulſione ad apprehendendũ, quæ impulſio voluntati competit. Ita ſiquidẽ imperium hoc in intellectu eſt, ut voluntatis aliqua motio concurrat, neq; abſolvatur dictatoriè ſolâ denunciatione intellectus, ſed volũtas eũ ulteriùs applicet ad profundiorẽ illius cognitionem Tribus quod ajunt verbis: Cùm imperiũ competat toti ſuppoſito, intellectu & volũtate prędito, ideò illud, nec intellectui, nec voluntati, ſigillatim trãſcribendũ, niſi ſecundum ſimilitudinem quandam, atq; ita ſolùm, ut unum illorum, ex quibus imperium propriè conſtat, uni facultati, alterum alteri, neutri utrumque, aut verum ac plenum in alteram imperium tribuatur.

4. *Determinationem Coactivam voco*, quâ potentia aliqua, vel ab objecto, vel à causâ externâ, ad hoc agendum, non aliud, urgetur, v. g. potentia viſiva, indifferens ab objecto, per ſpecies ad hoc vel illud videndum. Quæ determinatio in voluntate non invenit locum, tum quia Intellectus Practicus nullam habet efficientiam Phyſicam in voluntatem, quæ de ſe eſt ſufficiens cauſa ſui actus, propoſitoquè quovis objecto ab intellectu, ad actum intrinſecè eſt indeterminata, ita ut propoſitis à judicio intellectus duobus objectis, electionequè inter ea Inſtitutâ, ſuo tamẽ libitu poſſit ſuſcipere, quod mens diſſuaſit,

dumquè agit, ipsa seipsam determinet, & ad exercitium & ad speciem actus: (Quamvis enim illuminare ac dirigere voluntatẽ intellectus possit, excitare, inquam, eam, ut velit, volitionem tamen ipsam nequit producere, necessitatemquè ei adferre, quia enim hoc foret impellere voluntatem ad volendum, cùm impulsus omnis non cognoscitivæ facultatis sit, sed appetitivæ, neq; porrò ostendere, quid esse appetibile, idem ocyùs, quòd esse necessariò appetendum:) Tum quia secùs voluntas, existentibus omnibus requisitis, ageret necessariò, quod agit, neque tam ipsa se determinaret, quàm determinaretur, adeoquè pateretur, non ageret, quæ res pugnat cum naturâ libertatis, cùm nihil sit liberum, quà patitur & movetur, sed quà agit & movet: Tum quia, si voluntas sic determinaretur à judicio intellectus, ut nullo contravenire posset huic modo, tunc non magis liberè ageret ex se, quàm facultas locomotiva, quæ movere potest sursum deorsum, antrorsum, retrorsum, tantùm necessariò obsequitur superiori facultati, moventi ad eum modum, conquè venienter movet, sed ut mota.

5. *Determinationem Consultativam voco*, cùm v. g. consiliarius suo principi, consideratis omnibus circumstantiis, hoc vel illud agendum proponit, ejus verò libertati atque arbitrio relinquit, velitnè sacris consi-

liis

liis parere, an suo remigio rem gerere. Atque hęc determinatio in voluntate habet locum, tum quia nihil appetitur, nisi præcognitum, nullaquè datur tendentia, nisi sit aliquid ostensum, in quod tendatur, tum quia, si voluntas à seipsâ, absque intellectus prævio judicio & cognitione, posset ferri in objectum, tunc nulla valeret assignari ratio, cur in hoc potiùs objectum ferretur, quàm in illud, cùm ad omnia ex se sit æquè indifferens, tum denique, quia voluntas, cùm sit potentia cæca, si sibi relinqueretur, nullum unquam haberet objectum sibi propositum, in quod ferretur, quare nihil unquam ageret, si non determinaretur à judicio Intellectus Practici, nec eo quovis, verùm ultimo, quo expensis cæteris sententiis, quæ in mentem venerunt, iisquè rejectis, tandem concludit homo acturiens, hoc & non illud rectissimè omnium fieri, non quasi hoc vel illud necessariò sit nunc faciendum atque eligendum, sed quòd hoc medium, consideratis omnibus circumstantiis, hic & nunc aptum natum sit, ut eligatur, atque assumatur.

6. *Determinationem quoad Exercitium Actus voco,* quâ prensè determinatur potentia aliqua ad agendum in terminis terminantibus, qualem determinationem voluntatis natura inadmittit. Quamvis enim elicere actum deliberatum non possit sine pro-

dromâ aliquâ cognitione Intellectus Practici, conditio tamen tantùm est illa cognitio, & causa sine quâ non, appetitionem autem ipsam non efficit, eò quòd voluntas sit primum movens inter omnes facultates animæ, quoad exercitium actuum, ut cujus proprium, movere ad agendum, deque potentiâ educere in actum.

7. *Determinationem quoad Specificationem Actus voco*, quâ determinatur potentia aliqua ad agendum ostenso objecto, qualem determinationem voluntatis natura haud abnuit, quam Intellectus Practicus hoc motionis modo movet, dum præsentat ei objectum suum, verùm motu metaphorico scilicet, dum allicit voluntatem, atque innecessario, si minùs ratione objecti universaliter boni, habentis totaliter rationem motivi, secundum omnem considerationem, quod voluntas non potest non velle, minimùm ratione objecti, quod non secundum quamlibet considerationem est bonum, quod voluntas potest non velle, eò quòd defectus cujuscunque boni habeat rationem non boni. Ac de Intellectus Practici Imperio tantum est.

C A-

CAPUT XXIX.

De secundo Fonte Morali Actionum Elicitarum, Appetitu, quem vocant, Rationali, sive Voluntate, ejusquè Directorio Naturali ac Morali in Consicultates: Eâdemquè de Actionibus Voluntatis Immediatis, quarum altera Βέλησις, Volitio, altera Προαίρεσις, Agendi Consilium anticipativè.

§. 1. *SEcundus Fons Moralis Actionum Elicitarum est Voluntas, imperans & Intellectui, & Phantasiæ, & Appetitui Sensitivo. & Locomotivæ, solis Facultatibus Animæ Vegetativæ, ab eâ subjectione, ut excipiendis, ita exceptis.*

2. *Intellectui imperat voluntas hactenus,* quatenus ejus actus ipsius imperio subjacent, & quoad ipsum eorum exercitium, & quoad specificationem. Quoad exercitium, quo aspectu omnes voluntarii sunt. Ut enim rem consideres, aut non consideres, quæcunque tandem fuerit, voluntatis tuæ est, licetquè de eo tibi pro arbitrio tuo constituere, nisi quòd sæpè etiam non volentibus occurrant cogitationes, quas avertere in nostrâ non fuit potestate, quibus tamen id facimus, etiam cogitando, quod volumus. Quoad specificationem hinc, hoc est, assensum vel dissensum intellectus, quo aspectu ii actus tantùm voluntarii sunt, qui causas necessarias, intellectum convincentes, vel non habent, vel saltem non habere nobis videntur. Quàm diu enim intellectus

de re quâpiam convictus non est, saltem non videtur sibi esse convictus, eo in casu tam dissentire quàm assentiri potest, quin immò assensum & dissensum suspendere pro libitu. Secùs se res habet, ubi intellectus est convictus, vel statuit se certò convictum esse, quo in casu non potest non assentiri vero, quo de convictus est, vel persuasum habet, se convictum esse, si minùs verbis semper, ϗ προφορικῶς, minimùm animo, ϗ ἐνδιαθέτως.

3. *Phantasia imperat hactenus*, quatenus imaginari & non imaginari possumus, quæ volumus, adeoquè imaginationem, quæ motus excitat, avertere aliò, licet non semper, atque omni ex parte. Sæpè enim fit, ut impetus illi ab imaginatione suscitentur, non advertente intellectu, ideoquè etiam inadvertente voluntate.

4. *Appetitui Sensitivo imperat hactenus*, quatenus surgentes animi motus reprimere potest, licet non semper, saltem non perfectè semper, verùm languidè, atque adeò languidiùs sæpè, quàm ut torrenti motuum illorum sistendo sufficiat, quatenus item sensus, & horum organa, ab objectis, quando & ubi libet, avertit. Videmus enim, audimus, gustamus, olfacimus, & tactu tactilia percipimus, quando ubi & quàm diu volumus, & contrà.

5. *Locomotiva imperat hactenus*, quatenus membra corporis, quæ organa sunt animæ, prout

prout ea huic aut illi facultati ejus serviunt, imperium voluntatis accipiunt, appetitu sensitivo cum ratione ac voluntate conspirante. Progredimur siquidem de loco in locum, quando volumus, quiescimus, quando progredi nolumus, pedem manum attollimus vel demittimus, adducimus vel laxamus pro arbitrio, adeoquè instrumenta sensuum objectis applicamus, vel ab iis retrahimus, ubi, quando, quàm diu libet, utut haud rarò interim, etiam absque voluntatis imperio, locomotiva se exerat per sua instrumenta, voluntate in aliis objectis occupatâ.

6. *Non item similiterve Facultatibus Animæ Vegetativæ, quoad actiones ipsarum proprias;* Eccur id? Quia enim hæ merè naturales sunt, atque ab instrumentis pendent merè naturalibus, quę à naturâ applicantur, sine ullo rationis dictamine, aut voluntatis imperio, quod non audiunt, vel facultates vegetabiles instrumentales, attractrix, retentrix, expultrix, vel principales, ut χυλοποιητικὴ chylificativa, αἱματοποιητικὴ sanguificativa, θρεπτικὴ nutritiva sive alimentativa, uti nec facultatum haruncce organa corporea. Quamvis enim applicatio agentis ad patiens, etiam in iis, quæ ad hanc animæ partem pertinent, voluntati subjiciatur, ipse tamen actus, quoad vim atque efficaciam agentis, aut passionem patientis, naturalis

naturalis est, actus, inquam, nutriendi, ll
τὸ cibum parare, atque in corpus ingere
in quæ agat anima vegetans, quemquè
alimentum & substantiam corporis co
mutet, sit voluntarium.

7. *Quod attinet Actiones Voluntatis,*
universè duæ sunt, Βȣ́λησις *sive Volitio, &* Π
αίρεσις, sive Agendi Consilium, quarum a
num illa finis, hæc mediorum, sive ordi
bilium, aut ordinatorum veriùs, in fine
ordinabilium disponibiliter, ordinator
dispositivè, illorum potentiâ, horum a
id quod proprium medii, quod actu def
tur, non potentiâ.

CAPUT XXX.

Quid ἡ Βούλησις*, Volitio, Velleitasvè, op*
sitaquè Nolitio, Nolleitasvè? Et quarum rer
tam illa, quàm hæ? Quid item Πϱοαίρεσις
quod ejus Genus, Subjectum, Objectum?

§. I. H Βούλησις *sive Volitio,* est actio vol
tatis completa, & soluta, quâ
luntas fertur in finem, cum proposito c
sequendi: *Nolitio,* actio item voluntatis co
pleta, soluta, contra se habens. Rerum p
sibilium utraque, cùm nihil per volition
ad id moveatur, quod non valet attinge
aut per nolitionem ab eo removeatur, à
non valet attingi, vel absolutè, vel sub c
ditione, quale illud, quod fieri nequit,
fi

ſimpliciter, vel ſaltem ſecundum quid, quod eo ipſo perdit rationem, ut boni, ita mali, quorum alterum principium volitionis, alterum nolitionis. Quemadmodum namque τὸ velle eſt rem quandam ex interno voluntatis principio eligere atque amplecti, ita τὸ nolle rem ex interno ejuſdem principio averſari & propellere, inter quæ duo contraria mediat τὸ non velle, quod eſt rem quidem per ſe averſari, eam tamen vel non impedire, cùm poſſis, verùm admittere, vel ob urgentiorem neceſſitatem committere. Ut ita τὸ velle, nolle, & non velle, differant Philoſophicè, τὸ velle quidem & nolle contrariè, τὸ velle verò & non velle privativè, non item τὸ nolle & non velle, vel illo oppoſitionis modo, vel iſto, cum τὸ nolle non nudam duntaxat voluntatis averſationem ſignet, ſed inſimul impediendi ſtudium ac conatum, τὸ non velle autem ſimplicem volitionis negationem, absque impediendi conamine, quomodo v. g. non volo, quando rem fugio & averſor, nolo, quando non ſolùm fugio, verùm pro virili impedio, ciſpellovè.

2. *Velleitas* eſt actio voluntatis incompleta, ſuſpenſa, interdum etiam à judicio Intellectus Practici comparato inhibita, quâ voluntas fertur in finem, ſine propoſito conſequendi: *Nolleitas* item actio voluntatis incompleta ſuſpenſa contraria. Re-

rum

rum impossibilium utraque, vel simp
ter, vel secundum quid. Sicut enim v. g.
lemus esse immortales, habere principa
totius mundi, esse alterius sexus, au
versis in locis unâ horâ, quæ simpli
impossibilia, vellemus patriam liberar
immani jugo tyrannidis, quod impos
le secundum quid, ita & nollemus in
minis.

3. Thomas velleitatem vocat volu
tem antecedentem, eò quòd, quæ ant
denter volumus, non velimus simplic
volitionem verò voluntatem conseq
tem, eò quòd, quæ consequenter volu
velimus in particulari, consideratis o
bus circumstantiis particularibus, hoc
simpliciter. Ita v. g. justus judex ant
denter vult omnem hominem vivere
cundum considerationem absolutam,
hominem vivere est bonum, hominem
occidi est malum, sed si accedat, quò
homicida, quia bonum est talem homi
occidi, malum eum vivere, licet ant
denter velit judex omnem hominem v
re, tamen consequenter vult homici
occidi, simpliciter, inquam, homicidam
cidi, quamvis secundum quid vellet
vivere, in quantum scilicet est homo,
velleitas magis fuerit, quàm volitio.

4. *Ergonè igitur quoque etiam impos
lium voluntas?* Immò verò. I. Volunt

ut potentiâ, quo in casu extenditur etiam ad impossibilia, quia est potentia æqualis intellectui, quantum ad latitudinem suam. Quicquid enim intellectus intelligere potest, illud & voluntas appetere: Cùm ergò intellectus intelligat, & ea, quæ sunt, & ea, quæ finguntur esse, similiter voluntas poterit velle, & ea, quæ possibilia, & ea, quæ impossibilia sunt: Non item, quatenus voluntas consideratur ut potentia à ratione regulata. Ut sic siquidem simpliciter impossibilia à nemine rectè affecto expeti queunt, cùm homo rectè affectus voluntatem habeat naturæ conformem, non difformem, adversamvè. II. Per modum simplicis affectus & complacentiæ, delectando se in objecto impossibili, per intellectum apprehensum, non autem efficaciter illud intendendo. III. Si per errorem intellectus, quæ impossibilia sunt, possibilia putemus, etiam cognitâ rei impossibilitate. IV, Velleitate, non volitione, quarum hanc non illam sequitur προαίρεσις, quia hæc non illa fertur in finem, cum proposito consequendi, ideòque hæc non illa laborat de mediis, circa quæ ἡ Προαίρεσις.

5. Ἡ Προαίρεσις, si nomen sive nominalitatem ejus spectes, electio aliis, cùm tamen hæc etiam animalibus ratione carentibus suo modo conveniat, non item προαίρεσις, studium atque institutum aliis, quod utrum-

utrumque verbum latiùs re verbificatâ, p
positum propositio & destinatio animi a
quæ finis, cùm προαιρέσεις sit mediorum
consilium aliis, quod & ipsum distingu
à προαιρέσει, sive illa denotet συνέδριον c
sessum, sive συμβουλὴν, rationem quan
rei agendæ vel non agendæ, ab aliquo
cogitatam, atque alteri datam, nondum
men decisam, neque fixam, uno verbo,
sionem, agendi consilium aliis, idquè ap
sitissimè, quoniam τὸ προαιρεῖσθαι est co
lium capere, pluribusquè rebus, quæ su
ctionem cadunt, propositis, unam, q
quis agat & sequatur, cùm diu multum
deliberaverit, cæteris repudiatis eligere
què insistere, quod proprium προαιρέσ
quæ vi nominis importat rationem r
gendæ, vel non agendæ, explicatam, fix
constitutam: Sin rem, sive realitatem,
illa nihil aliud, finitore Aristotele, q
ἑκούσιον προβεβουλευμένον, spontaneum
voluntarium quiddam prædeliberatum.

6. Juvat iterum ἀναλύειν Α'ρεσπηλι
*Genus Προαιρέσεως non est ἡ Ε'πιθυμία
piditas, non ὁ Θυμὸς Ira, non ἡ Δόξα Op
non etiam ἡ βούλησις Voluntas, quæ facto
principia, verùm τὸ Ε'κούσιον Spontaneum,
Sponte-factum potiùs, idquè quoddam,
omne.*

7. *Non Ε'πιθυμία, Cupiditas.* I. Quia
piditas quoq; cadit in bruta, non item π

αίρεσις, nisi passivè tantùm, non etiam activè, quomodo videmus sagittam directè tendere ad signum ex motione sagittantis, haud aliter, ac si ipsa rationem dirigentem haberet, quam tamen non habet, verùm motor sive movens, cujus virtus vertitur in motu mobilis: Atqui προαίρεσις importat determinationem appetitus, non solùm passivam, verùm activam magis. Eligit quidem canis panem, negligit aurum, videturquè syllogismo divisivo uti in explorandis feris, captat & carpit ovis herbam unam præ aliâ, hanc præ illâ, verùm sine consultatione scilicet, solo sensuum atque imaginationis judicio, aliquid huc conferente instinctu naturę, à quo appetitus brutorum naturaliter determinatur, absque præelectione ac consultatione tamen, quam προαίρεσις præsupponit, cum dominio aliquo actus. Ut ita in illis suo modo sit electio, verùm affecta, consistens in nudâ medii acceptatione, sine collatione ejus cum fine. Unde, si illis offeruntur duo fines æquales, v. g. duo pabula æquè bella, duovè media æqualia ad finem, quorum neutrum sit necessarium, sed utrumque indifferens, ad alterutrum feruntur, atque alterum præ altero acceptant, ob aliquam rationem, quæ sæpè est occulta, ut, quia sit ad dextram, unde principium motus, aut quia proximè vel magis immediatè videatur, primovè visum sit.

Vix quippè videtur fieri posse, ut æquè
plicentur duo pabula, ita ut bestia un
præ altero non acceptet, æqualiterquè
à visu distent, eodemquè visualis lin
puncto. Quod pronunciatum ore & m
Philosophico de brutis, idē suo modulo
net in pueris, in quos & ipsos cadit cupi
tas, at non προαίρεσις, cujus ideò genus
nequit cupiditas. Quamvis namque nôr
quodammodò proportionem mediorum
finem, mediaquè inter se conferant at
expendant, quodnam sit utilius, rogatiq
cur hoc agant, rationem reddant ex ord
ad finem, tamen hæc προαίρεσις eorum
perficiaria ac tumultuaria est, ut qui r
intendant, quod intendunt, in genere n
ris, cùm ut bonitatem ita malitiam mo
lem nondum per ætatem cognoscant.
Quia incontinens agit ex cupiditate, ne
tamen ἐκ προαιρέσεως: Eccut id? Quia er
videt meliora, eaquè consultatione prol
& tamen sequitur deteriora, cùm non ra
onem, à sensu non seductam, verùm s
sum, ejusquè appetitum, sequatur. Qua
enim viri incontinentis amabò action
Annon sequuntur perturbationes, ne
tam hominis sunt, ut est homo, quàm
est animal? III. Quia προαίρεσις adv
satur cupiditati, nihil autem adversatur
biipsi, eodem putà tempore, & circa r
eandem, quomodo nemo v. g. eodem te
p

poris momento simultaneè appetit divitias & paupertatem. IV. Quia cupiditas in iis tantùm versatur, quæ jucunda sunt & molesta, προαίρεσις verò etiam in iis, quæ honesta & utilia sive compendiosa.

8. *Non θυμὸς, Ira.* I. Quia & hæc brutorum, puerorumquè, non item προαίρεσις, quæ præcedit quidem operis executionem, ut τὸ prius id, quod posterius, at non in brutis, puerisvè, qui & quę ex impetuoso appetitu agunt, quod agunt, procul προαιρέσεως omnis bruta, aliqualis & aliqualiter pueri. II. Quia, si προαίρεσις foret ira, tunc quæ per iram fiunt, fierent ἐκ προαιρέσεως, consilio sive consultò, cùm tamen ira adversetur consilio. III. Quia ira & ipsa est rerum jucundarum & molestarum tantùm, προαίρεσις verò rerum bonarum & malarum utilium atque inutilium. Quamvis enim, tam honesta, quàm utilia, sæpè quoque sint jucunda, tamen deliberationis caput de honesto & utili potiùs esse solet, de jucundo autem non nisi per consequentias. Quo loco notandum notanter, conjunctiorem in comparatione esse τῇ προαιρέσει, agendi consilio, cupiditatem, quàm iram, eò quòd, quę ab irato fiunt, minùs consultò ac cogitatò fiant, quàm quæ à cupido, quoniam quæ consultò fiunt, cum morâ quâdam & cunctatione fiunt, quam admittit cupiditas, non admittit ira, affiniorem interim eidem

esse

esse iram, quàm cupiditatem, quia ira rationem sequitur, saltem aliquam, cu dus nullam, ut qui sequatur cupidita ducem.

9. *Non etiam Δόξα Opinio, vel Commu vel Singularis. Non Communis*: I. Quia nio est de rebus omnibus, tam æternis, què, quæ fieri nequeunt, quàm quæ n sunt arbitrii, quomodo videas homines nari multa de Deo, mundo, infinitis m dis, astris, chymæris, exceptis iis, sensui patent, enimverò προαίρεσις est d bus certis. II. Quia opinio vero & falso i se dividitur, προαίρεσις verò bono & n distinguitur. De opinione namque non quæritur, an sit bona, vel mala, sed a vera vel falsa, quia ad θεωρίαν perti cui proposita veritas, contra de προαιρ non tam an sit vera vel falsa, quàm an b vel mala, quia ad πρᾶξιν pertinet, cui p posita bonitas. Quòd si interdum quæ opiniones dicuntur bonæ vel malæ, i καταχρηστικῶς, & ratione compendii commodi, quod ex iis ad nostram vi manat, non χρηστικῶς. *Non Singularis* Quia τῇ προαιρέσει ex eo, quod bona mala consilia suscipimus, ποιοί τινες, cu dam modi, sive qualitate aliquâ affecti cimur, hoc est, boni vel mali, ex opin non item. Nemo quippè sapiens, tem rans, mansuetus, & in genere bonus

malus est, quia se opinatur talem, at qui consilio capto, quod προαιρέσεως, boni quid aut mali suscipiunt, boni inde aut mali dici solent. Scilicet, viri boni fiunt tales benè agendo, mali malè, quod πρακτικόν, non opinando benè vel malè, quod θεωρητικόν. II. Quia finis προαιρέσεως est πρᾶξις actio, hoc est, adeptio aut fuga eorum, quæ bona vel mala sunt, ut cujus proprium, ut expetere & persequi, ita fugere & aspernari, opinionis verò γνῶσις cognitio, ut cujus proprium exquirere, quid sit hoc aut illud, cui rei sit utile, quomodo & quatenus eo sit utendum, quid sit v. g. virtus, an dulcia noceant stomacho, an moderata post cœnam deambulatio sit utilis? III. Quia προαιρέσεως laus & virtus, rectum esse, opinionis, verum esse. Sicut enim προαίρεσις laudatur, quòd bona, vituperatur, quòd mala, ita opinio laudatur, quòd vera, vituperatur, quòd falsa. IV. Quia προαίρεσις est de iis rebus, quas certò scimus, quasquè certè exploratas habemus, opinio autem de rebus plerunque incertis, aut non satis cognitis. V. Quia, si προαίρεσις & opinio idem essent, sequeretur eos, qui optimas habent opiniones, optima eligere: Atqui plurimi cum Medeâ, quod melius est, opinantur, at consilio id, quod pejus est, sequuntur. VI. Quia opinio plerunque prægreditur, cùm ad cognitionem pertineat,

προαίρεσις ponè sequitur, cùm pertineat ad appetitum, qui ab opinione excitari consuevit, cognitionevè. De rebus enim prorsus non cognitis, neque in opinionem revocatis, nemo προαιρεῖται consultat, aut consilium capit. Dico plerunque. Fit enim interdum, ut προαιρέσει posterior sit opinio, velut in iis, qui non prout judicant amant, sed prout amant judicant, quod vitium familiare in vitâ communi.

10. *Non denique* Βούλησις *Voluntas.* Quamvis enim magnam inter se habeant cognationem, cùm utraque sit hominis propria, utraque appetitus cum ratione, & neutra sine alterâ, cùm & velimus ea, quæ eligimus, & eligamus, quæ volumus, differunt tamen: I. Quia voluntas etiam esse potest τῶν ἀδυνάτων, earum rerum, quæ fieri nequeunt, eò quòd absolutè atque abstractè bonum spectet, quomodo videas multos velle cum Peliâ repuerascere, non item προαίρεσις, eò quòd ad facta humana se referat, accommodans se ad ea, quæ nobis usui esse possunt actu. II. Quia voluntas sæpenumerò est eorum, quæ, licet possibilia sint, tamen à nobis fieri nequeunt, ut cùm optamus hunc vel illum athletam vincere, non item προαίρεσις, quæ eorum tantùm, quæ à nobis fieri possunt. III. Quia voluntas respicit, non tantùm pertinentia ad nos, verùm etiam ad alios, cùm non pre-

propria tantùm, ſed etiam aliena velimus: at προαίρεσις ea ſolùm, quæ ad nos pertinent, quæquè à nobis geri poſſunt, aut ab aliis noſtro juſſu. Quid enim ſtultiùs, quàm deliberare de rebus ad nos non pertinentibus, v. g. de rebus, quas agat rex Indiæ? IV. Quia voluntas magis ſe refert ad finem, προαίρεσις ad ea, quæ pro fine, aut ad finem. Ita cupimus v. g. benè valere, ideoquè conſilium capimus de medicamentis, exercitiis, diætâ, cupimus eſſe beati, ideoquè media ad hunc finem tendentia & ducentia circumſpicimus. Quorſum apud Græcos verbum βουλεύεσθαι finibus, προαιρεῖσθαι mediis attribuitur. Non enim, quemadmodum dicimus, βουλόμεθα εὐδαιμονεῖν, ſic dicimus, προαιρούμεθα εὐδαιμονεῖν. V. Quia voluntas ſimplex mentis judicium expoſcit, προαίρεσις etiam conſultationem, per quam unum alteri præferat, tanquã προαιρετὸν, præ cæteris optabile. Quid enim aliud τὸ προαιρετὸν, quàm τὸ πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν, id quod prę alio eligitur, eligi autẽ præ alio nihil poteſt ἄνευ λόγου καὶ διανοίας, abſque ratiocinio mentis.

11. *Quid ergò ἡ Προαίρεσις generis reſpectu, ſi nec* Ἐπιθυμία *Cupiditas, nec* Θυμὸς *Ira, nec* Δόξα *Opinio, nec* Βούλησις *Voluntas, quid? Vno verbo,* Ἑκούσιόν τι*, quiddam Spontaneum, vel potiùs Sponte-factum.* Dico quiddam. Neque enim, ſicut omnis προαίρεσις eſt ἑκούσιόν τι, ita omne ἑκούσιον προαίρεσις, cùm τὸ ἑκού-

 σιον,

ζιον, quoq; puerorũ fit, quoq; quin etiã brutorũ animantiũ, quæ agunt quidem spontè, neq; tamen cõsilio, eò quòd cõsilium non fit absq; rationis agitatione seu disputatione, jã verò ratione carent animantes, disputatione pueri, & interdum etiam adulti, quando repentino impetu agunt, quomodo spontè quidem agunt cum Milone, occidendo Clodium, at non consultò. Ut ita, ritè subductis rationibus, τὸ ἑκούσιον sit genus τῆς προαιρέσεως, ἡ προαίρεσις verò species τοῦ ἑκουσίου.

12. *Differentia Specifica τῆς Προαιρέσεως exprimitur, quando in definitione additur, quòd sit* ἑκούσιον, *non quodvis, sed* προβεβουλευμένον, *prædeliberatum*, idquè ideò, tum quia ἑκούσιον, nõ simplex, verùm πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν, id quod sine cõsultatione fi-ri nequit, ideoquè sicuti προαιρετὸν idẽ, quod βουλευτὸν ὀρεκτὸν, ita & ἡ προαίρεσις idem, quod ὄρεξις βουλευτικὴ, ὄρεξις διανοητικὴ, νοῦς ὀρεκτικός, intelligẽs appetitus, atq; intellectus appetẽs, sive mavis, appetitio intellectiva, & intellectio appetitiva, tũ quia ratione atq; discursu utitur, id quod iterum fieri nequit absq; cõsultatione, quã προαίρεσις presupponit, quę ideò meritissimo suo ἑκούσιον προβεβουλευμένον, volũtariũ cũ antegressâ deliberatione earũ rerũ, quæ ἐφ' ἡμῖν, in nostrâ potestate sũt, ita ut agier vel nõ agier possint.

13. *Subjectũ Προαιρέσεως, quod vocant, Inhæsionis duplex est, ut Quod, sive Mediatum, & ut Quo, sive Immediatũ*, illud homo elector, non consul, animavè ejus, homo remotũ, anima

propinquū,hoc secundū Thomā & sequaces materialiter Appetitus, formaliter Intellectus Practicus,ita tamē, ut substantialiter ea nō sit propriè actus intellectus,verùm appetitus,cùm nō sit essētialiter ipsa syllogizatio antecessoria operationis, quæ opus intellectus,in quo προαίρεσις originaliter & radicaliter,verùm consecutoria,quæ opus appetitus,in quo eadē virtualiter,πρώτως primò in appetitu rationali,qui voluntas,δευτέρως secundò in irrationali,qui appetitus sensitivus.

14. *Objectum* Προαιρέσεως sunt Media,non quævis,verū præsentia,nō præterita,quia res facta infecta fieri nequit,tū possibilia nobis, nō impossibilia,quorū illa agibilia,hæc non.

Caput XXXI.

Annon ἡ Προαίρεσις,quæ actio Voluntatis,necessitudinē quandā habeat cum Βουλεύσει Consultatione, quæ actio Intellectus Practici. in ipsâ innecessitudine? Et quæ Βουλευτὰ Consultabilia propriùm quæ non?

§. 1. Ἡ Βούλευσις *Consultatio* est ratiocinatio circa media, inquisitio, inquam, aut disquisitio potiùs, mediorum latentium, & collatio patentium, inter se, ut ex cæteris commodiora eligantur, atque ad finem decernantur, propter quem eliguntur, à quâ inquisitione differt consultatio, semel, quia inquisitio de quâcunque re, consultatio de re agibili, agen-

agendâvè, iterum, quia inquisitionis finis scientia, consultationis actio, demùm quia omnis consultatio inquisitio, non contrà. Collatio & comparatio mediorum ideò, quia enim in ordine actionum τῶν κὴ λόγον duo semper spectanda, finis nempè & media, ac finis quidem certus ponitur, de mediis verò inquiritur, sintnè reperta, an reperienda, si nondum, tunc invenienda scilicet, si secùs, tum verò videndum, pluranè sint, an unum duntaxat, si plura, ea deligenda, quæ faciliora, atque ad rem perficiundam opportuniora, si unum, quâ ratione hoc uno res confici possit, dispiciendum, hinc progredientes videre nos convenit, hoc ipsum unum unde pendeat, quàquè aliâ re obtineri possit, quod secundum assecutis, ad tertium, & reliqua deinceps, condescendendum, donec ad primam totius consilii causam sit perventum, hoc est, ad primum medium, ex quo reliqua fini propinquiora pendent, quod primum, quemadmodum inventione ultimum ἐν ἀναλύσει, in resolutione, ita ἐν συνθέσει, in compositione & actione primum. Ita v. g. de pluribus mediis anquiritur, quando belli causâ deliberatur, equitatunè an peditatu illud sit gerendum, copiis terrestribus, an navalibus, si qua oppugnanda urbs, scalisnè sit oppugnanda, coronâvè, cuniculisvè, tormentisvè. Constituto, equitatu conficiundum bellum esse,

esse, ulteriùs quæritur, quo is paretur modo, cogniroquè, pecuniâ eum comparari, mox de eâ inveniendâ agitur, cumquè ejus inveniundæ complures sint rationes, tributum indicitur, ab eoquè actio tota instituitur, planè sicut in domo ædificandâ ponitur primum finis, qui est, ut nos arceat ab injuriis cœli, medium inde ejus cognoscitur, quod tectum, quod ut perficiatur, collocandi sunt parietes, locanda fundamenta, ad quæ necessarii fabri, lapides, materia, cœmenta, quæ cùm pecuniâ parentur, hæc primùm reperienda.

2. *Sicut à προαιρέσει differt, ita cum eâ convenit:* Differt tempore, quia ἡ βȣ́λευσις præcedit, προαίρεσις sequitur, quæ si facta cessat βȣ́λευσις, differt subjecto, quia ἡ βȣ́λευσις facultatis cognoscentis, προαίρεσις facultatis appetentis, differt qualitate, quia ἡ βούλευσις dirigit, investigando parando & comparando media, dequè his ratiocinando, προαίρεσις exequitur, amplectendo rem decisam, atque in consultatione cæteris præpositam: Convenit objecto, quod geminum re, geminatum ratione. Quatenus enim sub βȣ́λευσιν consultationem cadit, dicitur βȣλευτὸν, quatenus verò sub προαίρεσιν consilium, dicitur προαιρετὸν, illud antecedenter, hoc consequenter, quia quicquid consilio suscipitur, id priùs in consultationem uti venerit necesse est. Ita v. g.

quàm diu deliberatur, an bellum geren
ſit, necnè, hoc eſt βϐλϵυτὸν, ſed cùm de
tum atque ſtatutum eſt, illud eſſe ge
dum, jam eſt πϱοαιϱετὸν, deſinente τῇ βϐλ
conſultatione in πϱοαίϱεσιν ſive agendi
ſilium, quod, ubi illa deſinit, incipit.

3. *Caterùm τῆς Βϐλϵύσεως Conſulta*
Objectum universè, vel Negativum eſt, v
ſitivum.

4. *Objectum* Βϐλεύσεως *Negativum it*
vel Generale eſt, vel Speciale.

5. *Objectum* Βϐλεύσεως *Generale N*
vum ſunt illa, de quibus homo ſtolidu
furioſus deliberat, hoc eſt, homo menti
pos & exul, non compos & conſul, qu
quæ indeliberabilia, & deliberabundi
tiùs, quàm deliberantis. Cum enim q
tur, quæ res in & ſub deliberationem
dant, id non capiendum de iis rebus, d
bus deliberant interdum ſtulti, ut ſi qu
cum deliberet, quando in cœlum volare
ſit, verùm de iis, de quibus delibera
pientes, adeoquè ii, qui duplum vident
unus, ſive plures numero ſint, uti fit in
magni momenti, in quibus ſolemus aſ
re ſocios ad conſultandum, quò fiat a
gatum ex pluribus conſiliis, hoc eſt,
gnum conſilium ſive conſidium, inde
quòd multi conſideant ad conferendu
conſultandum ſimul de re aliquâ.

6. *Objectum* Βϐλεύσεως *Speciale Nega*

ſunt: I. *Res Sempiternæ*, quæ ſemper ſunt tales, ut Deus, mundus, principia naturâ nota, adeoquè ea omnia, quæ in ſcientiis & diſciplinis liberalibus ad abſolutam neceſſitatem pertinent, qualia principia neceſſaria, & concluſiones neceſſariæ, de quibus nemo ſanæ mentis conſultat, ut in quibus ſit quædam ut principiorum ita concluſionum neceſſitas. Quæ enim certis atque exquiſitis in artibus ac ſcientiis determinata ſunt, de his non videtur deliberandum, ut quibus v. g. litteris vox quæque ſit ſcribenda, quâ ratione ſyllogiſmus primæ figuræ ſit conficiendus? II. *Res Naturales*, ſive eodem ſe illæ ſemper habeant modo, quæcunque tandem ejus perpetui motus ſit cauſa, neceſſitas, an natura, ſive varient. Prioris generis ſunt, ortus & occaſus ſolis, aliçquè converſiones corporum cœleſtium, ſicut & illa, quæ his à motibus dependent, ut annorum, menſium, dierum, noctium viciſſitudo & varietas, æquinoctia, ſolſtitia, ver, æſtas, autumnus, hiems, eclipſes, & alia congenera. Poſterioris generis ſunt, ſiccitates, imbres, venti, ſterilitates, æſtus, frigora, tonitrua, temperamenta corporum, canities, quia hæc omnia alieniſſima à conſultatione, quoniam hæc circa ea vertitur & verſatur, quæ à nobis fieri poſſunt, illa autem non poſſunt fieri à nobis, atque ut plerunque accidant ita, non accidunt tamen

ratâ & ftatâ ratione. III. *Res Fortuitæ*, qualis thefauri effoffio, & aurei tripodis in pifcatu inventio. Quanquam enim etiam ea, quæ fiunt à fortunâ, dicantur fieri à mente humanâ, tamen fiunt per accidens, & ideò non videntur propriè & proximè fieri à nobis, quia fiunt atque eveniunt præter intentionem noftram, quà caufam efficientem, quà media, quà finem denique. IV. *Res Humanæ*, quæ per nos effici nequeunt, & ad nos nil attinent, quomodo nemo v.g. Spartanorum deliberat, quâ ratione Scythæ Rempublicam fuam conftituant quàm optimè. Utut enim de alienis quæri poffit, quando fieri quàm commodiffimè queant, tamen illa difquifitio non eft βέλδυσις, quę femper actionis ergò inftituitur, fed potiùs ζήτησις: Utut item confiliarii principum deliberent de attinentibus ad principes, patres de attinentibus ad filios, viriquè prudentes de attinentibus ad alios, quorum actiones rectâ confultatione dirigere & corrigere cupiunt, tamen illa confultatio non eft propriè de iis, quæ ad nos haud pertinent, cùm per nos intelligere debeamus, non folùm nos individuos, fed infuper omnes, qui ad nos pertinent, qui nobis funt juncti, noftræquè curæ ac diligentiæ crediti, cujus claffis etiam funt, filii, amici, familiares, alumni, clientès. Etc. Quòd fi nonnunquam confultamus de alienis, vel

id

id facimus exercitii gratiâ, quò rectiùs nostras actiones valeamus dirigere, prudentioresquè exinde evadamus, vel consultationes tales sunt inanes, fineque destitutæ, unde fit, ut sæpè nos ipsos carpamus eo nomine, quòd inaniter laboremus: Vel dicendum, nos hoc facere ex suppositione, nec alio animo & consilio, nisi hoc, quòd si hæc ad me pertinerent, his simulibusquè mediis uterer, perquè hæc in finem tenderem. Ut multa paucis complectar, cõsultatio pressè est περὶ τὰ οἰκεῖα, circa ea, quæ ad nos tantùm spectant, non etiam, quæ ad alios, nisi in quantum aliorum facta, de quibus consilium capessitur, sunt quodammodò unum nobiscum, vel per unionem effectus, sicut amicus consilium capit de his, quæ ad amicum spectant, velut de suis, vel per modum instrumenti, quomodo dominus consilium capit de his, quæ sunt agenda per servum, tanquam de suis. Sed nec de impossibilibus deliberat quisquam mentis integræ, quia eadem deliberatio sic est περὶ τὰ οἰκεῖα, ut insimul sit περὶ τὰ ἐφ' ἡμῖν πρακτά, circa ea, quæ à nobis fieri possunt, qualia possibilia, non impossibilia. Hinc videas homines, quando in consultando perveniunt ad id, quod est impossibile, re infectâ discedere, quasi non valentes ulteriùs procedere. Et qui de impossibilibus deliberet quis, cùm ad id, quod est tale, nemo moveatur? Ideò

quippè ferimur in finem, tanquam possibilem, quia apparet id, quod est ad finem, possibile. Neque enim finis potest esse possibilis, nisi id, quod est ad finem, fuerit compossibile. V. *Res Præterita*, quia facta infecta fieri nequeunt, eò quòd non sint in nostrâ potestate, quâ re solâ, juxta Agathonem Poëtam, privatur Deus, ut facta nõ infecta possit reddere, nedum ut homo id possit, qui consultat quidẽ etiam de futuris eventibus, qui & ipsi non sunt in manu nostrâ, verùm in quantum per futuros eventus cognitos dirigitur ad operandum, hoc est, aliquid faciendum, vel evitandum: Jam verò consilium non solùm de his, quæ aguntur, sed etiam de his, quæ ad operationes ordinantur, agiquè possunt, igitur & de futuris, saltem istactenus. VI. *Res Singulares*, sub sensum cadentes, ut an mons Bructerus in Saxoniâ sit altissimus? Sitnè hic panis, & an rectè coctus? Sed cur non cadunt sub deliberationem hujus segmenti res, cur? Tum quia sensu cognoscuntur & dijudicantur, deliberatio autem est cum ratione, & animi agitatione, tum quia alioqui efficeretur, ut vana & irrita foret deliberatio. Nam si etiam sensibus fides non habetur, & omnia in disputationem revocantur, tunc ad exitum perduci deliberatio haud poterit, eritquè infinita, si infinita, ergò vana, semper siquidem deliberabitur, nihil verò geretur,

cùm

cùm tamen deliberatio rei gerendæ causâ instituatur. VII. *Finis*, qui in omni deliberatione præsupponitur. Alioquin enim ex parte finis esset processus in infinitum, quomodo Medicus v. g. præsupponit sanitatem, deinde consultat de iis, quæ ducunt ad sanitatem, orator supponit suasionem, deinde consultat de argumentis suasoriis & persuasoriis. Franciscus Piccolomineus hîc distinguit inter finem ultimum, & subordinatum, & de illo, tanquam indeliberabili, sicut primum principium Theoreticum est indemonstrabile, nullam esse penitùs vult consultationem, eò quòd eum ita velint omnes, ut nemo eum possit nolle, cùm nihil includat, quod non omnibus faciat satis, quam consultationem tamen admittit in hoc, eò quòd finis, relatus ad ultimum, obtineat rationem medii, aliudquè sit consultare de fine, aliud consultare pro fine, quomodo studiosus deliberat v. g. de facultate, cui se consecrare velit, tanquam de fine subordinato, non item de eruditione, tanquam finé ultimo. Contra VVolfgangum Heiderum, qui etiam de ultimis finibus vult esse consultationem, non intermediis tantùm, mediorum instar se habentibus, eò quàd sæpè de finibus, non ratione sequentium, sed ratione antecedentium, deliberetur, ut, si bellum viciniis sit inferendum, pœ-

pœnænè, recuperationisnè, an defensionis ergò sit inferendum? Quod si verum, tunc ea, quæ Πειρασπικῶς dicta sunt, in sensu cōparativo accipienda fuerint scilicet, hoc est, ita, ut in comparatione magis de mediis, quàm de finibus, deliberationes instituantur, instituantur tamen, nempè tunc, si minùs sint certi, pluresvè.

7. *Objectum* Βουλεύσεως *Speciale Positivum sunt:* I. Τὰ Ἐνδεχόμενα, *Contingentia,* hoc est, res, quæ plerunque accidunt, saltem accidere possunt, id quod eo ipso invitat ad deliberandum. Cuivis siquidem accidere potest, quod cuiquam potest. II. Τὰ Ἄδηλα, *Incerta*, quia enim deliberatur de rebus incertis, non certis. III. Τὰ Δυνατὰ, *Possibilia,* qualia, quæ nostri sunt arbitrii, quæquè per nos aut amicos peragi possunt: Nam & tunc principium in nobis est positum, cùm amici agant nostri respectu, hoc est, nostrâ voluntate & jussu: Jam verò, quod quis per alium facit, per seipsum fecisse videtur, præsertim cùm amicus sit aliter idem, vel alter ego, adeoquè instrumentum. Quemadmodum ergò instrumentorum usus principium est in nobis, ita & amicorum. IV. Τὰ Ὡρισμένα, Finita actu. Dico, finita actu. Nihil quippè prohibet, ut consilium, ita consultationem, infinitam esse potentiâ, secundum quod in infinitū possunt aliqua occurrere consultabilia, alia videlicet ex aliis, & super-

ſuper alia, & poſt alia, ita ut, quemadmodum lana lanam trahit, ſic unum conſilium aliud, unum conſultabile aliud atque alterum. V. Τέχναι *Artes*, quæ universè magis in deliberationem cadunt, quàm ſcientiæ, quia plures dubitationes in illis, quàm in his, oriuntur, præſertim ϛοχαϛικαὶ conjecturales, quas conſtat eſſe incertas, deliberatur verò de rebus incertis, hoc magis, quò ſunt incertiores. VI. Τὰ Μέσα, Media, ſive ordinata ad finem, in quo aſſequendo omnis conſultandi labos eſt poſitus, aſſequimur autem eum per media, aliâs plura, aliâs pauciora, aliâs per unicũ tãtùm. Sed heic ſcilicet interdum media, ſiquidem abſint, quærenda, ſin adſint, ratio ineunda, quomodo iis commodè uti valeamus. Nonnunquam enim quæritur, quibus mediis, quandoque πῶς quomodo his utamur, ſemper autem quæritur, unde deliberatio ipſa quæſtio, & qui deliberant, quærere dicuntur.

CAPUT XXXII.

Quæ Βυλητὰ *Volibilia propriè, quæ non? Atque ſeorſum de Libertate Arbitrii Topicè, quid illa ſit, & an detur in terminis?*

§. I. *Sicut* τῆς βυλεύσεως *Objectum* τὰ βυλευτὰ *Conſultabilia, ita* τῆς βυλήσεως *Objectum* τὰ βυλητὰ *Volibilia, & ſicut illius Objectum pingui Minervâ, vel Negativum, vel Poſitivum, item ſimiliterquè hujus.*

2. *Objectum βελήσεως Negativum est, in genere Malum, in specie Medium.*

3. *In genere Malum*, quod percipit voluntas sub ratione malitatis, sive mali, non equidē volendo illud, sed nolendo, quia nolibile de se, sicut intellectus concipit falsum sub ratione falsitatis, sive falsi, non equidem affirmando illud, sed negando, quia negabile de se. Quicquid sit, *saltem voluntas non vult malum, quà malum, sive sub ratione & notione mali*, tum quia impossibile, ut quis velit malum, quà malum, quoniam malum, ut malum, est non ens, à quo omnis naturalis appetitus abhorret, ideoquè in se inappetibile, quod propterea non magis appetere possumus, quàm sentire, quod non est sensile, aut scire, quod non est scibile, tum quia appetitus est inclinatio appetentis in aliquid, nihil autē inclinatur in id, quod est inconveniens, vel saltem, quod apprehenhenditur ut tale, quale malum utrovis modo, tum quia, quod appetitur, id obtinet rationē finis, cùm in eo consistat finis causalitas, ut metaphoricè moveat appetitum, malum verò non habet rationem finis, quoniam nemo intendens ad malum operatur, licet interim hoc stante, neque tamen obstante, malum voluntas possit velle sub ratione & notione boni, putà, si id, quod malum est, bonum esse appareat; quomodo sub ratione boni sæpè volumus illud, quod

pessimum,

pessimum, & contrà sub ratione mali nolumus illud, quod optimum. Ut ita his positis & suppositis actus nolendi pro objecto habeat malum tantùm, sive ὄντως, verâ re tale, sive φαινομένως, apparenter tale, illud per se, hoc per accidens, idquè vel perpendiculariter & directè, quia apparet simpliciter malum, vel appendiculariter & obliquè, quia non quidem simpliciter apparet tale, verùm cum eo conjungibile, conjunctumvè. Unde triplex resultat ratio nolendi. Aut enim non vult voluntas aliquid, vel quia reverà malum est simpliciter, vel quia apparet simpliciter malum, vel quia non quidem simpliciter apparet malum, verùm secundum quid, hoc est, quatenus cum malo aliquo est copulatum.

4. *In specie Medium*, quia voluntas propriè est ipsius finis, tanquam per se boni & voliti, non mediorum, sive eorum, quæ sunt ad finem, quæ, quia non bona propter seipsa, ideò nec volita, nisi in ordine ad finem. Unde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem, quo fit, ut hoc ipsum, quod in eis vult, sit finis, planè sicut τὸ intelligere est eorum propriè, quæ secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum, non eorum, quæ cognoscuntur per principia, nisi in quantum in eis ipsa principia considerantur. Sic siquidem se habet finis in appetibilibus, sicut se habet principium in intelligibilibus, & contrà. Ob-

5. *Objectum* βουλήσεως *Positivum est*, *in genere Bonum*, *in specie Finis*.

6. *In genere Bonum*, quod percipit voluntas sub ratione bonitatis, sive boni, non equidem nolendo illud, sed volendo, quia volibile de se, sicut intellectus concipit verū sub ratione veritatis, sive veri, non equidem negando illud, sed affirmando, quia affirmabile de se. Atq; adeò voluntatis objectū positivum esse bonum, id dant rationes. I. Quia duplex actus voluntatis, unus improbativus, sive nolendi, qui pro objecto habet malum tantùm, sive verum, sive apparens, illud per se, hoc per accidens. Dico, sive verum, sive apparés, quia velle posse voluntatem etiam quod malum est, & nolle, quod bonum, scrupulo caret, putà, si id, quod malum est, bonum esse nobis appareat, vel quod bonum, malum. II. Quia bonum est convenientia rei cum appetitu, qui nihil aliud, quàm inclinatio appetentis in aliquid, non inclinatur autem quicquam, nisi in id, quod est conveniens sibi, vel saltem apprehenditur ut tale, quare nullus appetitus ferri in alia potest, nisi in ea, quæ vel bona sunt reverà, vel apparent esse, si nullus, ergò nec voluntas. Ut ita his positis & suppositis actus volendi pro objecto habeat bonum tantùm, sive verum, atque ὄντως tale, sive apparens, atque φαινομένως tale, illud per se, hoc per accidens, idquè vel perpendicu-

dicularirer & directè, quia apparet simpliciter bonum, vel appendicnlariter & obliquè, quia non quidem simpliciter apparet tale, verùm cum eo conjungibile conjunctumvè. Unde triplex consurgit ratio volendi. Aut enim vult voluntas aliquid, vel quia reverà bonum est simpliciter, vel quia apparet simpliciter bonum, vel quia non quidem apparet simpliciter tale, verùm secundum quid tantùm, id est, hactenus, quatenus cum bono aliquo est conjungibile, conjunctumvè.

7. *In specie Finis*, sumto vocabulo voluntatis, secundum quod propriè nominat actum ejus, non quemvis, sed volitionem, quæ finis, in quem ut sic fertur voluntas, *ἀπροβουλεύτως* quidem, hoc est, sine præviâ deliberatione, quæ mediorum, sed non *ἀκρίτως*, hoc est, sine prævio judicio mentis, quod voluntas supponit, quia nihil appetitur, nisi præcognitum, cùm nulla ignoti sit, ut sciéntia, ita cupido. Nimirùm voluntas quandoque dicitur ipsa potentia, quâ volumus, quandoque actus ejus. Quòd si loquamur de voluntate, secundum quod nominat potentiam, sic se extendit, & ad finem, & ad media: Ad ea enim se extendit unaquæque potentia, in quibus inveniri potest quocunque modo ratio ipsius objecti, sicut visus se extendit ad omnia, quæcunque participant quocunque modo colorem, ratio autem boni, quod est objectum potentiæ volun-

luntatis, invenitur non solùm in fine, v. g. sanitate, sed etiam in his, quæ sunt ad finem, v. g. his, quæ sunt propter sanitatem: Sin loquamur de voluntate, secundum quod propriè signat actum, ut sic est finis tantùm, quoniam omnis actus, denominatus à potentiâ, nominat simplicem actum illius potentiæ, τὸ intelligere v. g. actum intellectus, simplex autē actus potentiæ est in id, quod est secundum se objectum illius potentiæ, quod est in nostro argumento finis, tanquam bonum propter se volitum, non medium, quod bonum volitum propter illum.

8. *Movetur ergò voluntas diversis respectibus, & in finem, & in media, sive ea, quæ ad finem, & pro fine ἐν πλάτει: Sed an eodem volendi actu, & in illum, & in ista, an verè distincto?* De hoc lemmate ita Scholæ. Voluntas ferri dicitur in finem dupliciter, uno modo absolutè, & secundum se, quomodo fertur in finem, in quantum hujusmodi, sine hoc, ut feratur in ea, quæ sunt ad finem, alio modo, sicut in ratione volendi ea, quæ sunt ad finem, quomodo fertur in ea, quæ sunt ad finem, tanquam volita propter illum, motibus, ut distinctis, ita distinguendis, ut cùm quis, non usque adeò bellè valens, de sanitate recuperandâ cogitat, neque statim tamen, verùm per intervalla, de Medico & medicamentis anquirit, quo in casu actus, quo is vult sanitatem,

nem

næ distinctus tempore ab eo, quo vult media sanitatis. Utut verò actus volendi finem, ut sic, sępè sit distinctus ab actu volendi media, quando scilicet in finem absolutè atque in se fertur voluntas, tamen uno eademquè actu ferri potest in utrumque, si non formaliter & explicitè, saltem virtualiter & implicitè, putà, cùm finem appetit voluntas eâtenus, quatenus ille rationem includit, propter quam appetuntur etiam ea, quæ ad finem illum conducunt. Sicut ergò in intellectu, cùm priùs cognoscuntur principia, & deinde ex iis conclusiones eruuntur, actus, quo cognoscitur principium, non est formaliter idem cum eo, quo conclusio ex principio illo deducitur, cùm sæpè etiam tempore sejungatur, & tamen virtualiter cognitio conclusionis includit cognitionem principii, ita quoque appetitus finis, licet non sit formaliter vel explicitè simul appetitus mediorum, est tamen implicitè & virtualiter, quin immò interdum etiam uno actu formaliter atque explicitè, ut si quis cogitet de sanitate per medicinam recuperandâ.

9. *Agendi Facultas*, quæ circa bonum & malum, finem & media, libertatem servat contrarietatis, quâ homo potest agere tam bonum, quàm malum, atque è duobus objectis contrariis eligere unum præ alio, virtutem prę vitio, libertatem contra-

dictio-

dictionis, quâ media potest eligere, vel non eligere, finem velle, vel non velle, libertatem à coactione, quâ, quod agit, agit spontè, nemine extùs urgente, libertatē à necessitate, quâ positis quantumvis omnibus requisitis ad agendum, iisquè nihil mutatis, potest agere, & non agere, elicere atque suspendere actum, ad utrumque oppositorum, sive utramque partem contradictionis, indifferenter se habens, atque æquè ad utrumque, ita, ut positis requisitis necessariis, adhuc possit velle & nolle, adeoquè eodem instanti, quo quid vult, nolle, quo non vult, velle, *hæc agendi*, inquam, *facultas, Græcè Philosophantibus* Ἀυτεξȣσία, Ἀυτεξȣσιότης, Ἀυτεξούσιον, *Latinè Philosophantibus, modò Libertas Arbitrii substantivè, modo Liberum Arbitrium adjectivè vocitatur.* Quid enim aliud ἀυτεξούσιον sive liberum esse, quàm dominum suarum actionum, agereque, & non agere, quidquid quando & quantum libet, idquè præeunte consilio?

10. *Libertas hæc Arbitrii, sive Liberum Arbitrium, est facultas hominis, ut totius agentis, intellectus verò & appetitus, ut partialium agentium, quâ homo per intellectum discernit bonum & malum, per appetitum verò spontè eligit illud, negligit hoc, sine omni coactione, necessitatevè, motu proprio, cum aptitudine ad alterutrum, ei munere Dei & naturæ, pro sui perfectione, tributa.*

11. Juvat

11. Juvat ἀναλύειν, sive resolvere.

12. *Genus liberi Arbitrii est Facultas.* Cùm enim libertas sit aliquid, necessariò vel erit substantia, vel accidens. Non substantia, quia non materia, non forma, non compositum ex materiâ & formâ, quare aliquid, per quod forma vel compositum denominatur, hujusmodi autem debet esse accidens, & vel actus, vel habitus, vel facultas naturalis, non est autem actus, quia principium ejus, idquè permanens, quod adest nobis, etiam cùm nihil agimus, nec habitus, cùm naturâ insit & insideat, quare facultas, & ea quidem activa.

13. *Differentia Specifica Liberi Arbitrii sumitur à Causâ Efficiente, Materiâ, Formâ, & Fine.*

14. *Causa Efficiens Liberi Arbitrii est solutio sive abjunctio facultatis à materiâ corporeâ.* Ex eo enim, quòd forma, primumquè agendi principium, à corpore ac materiâ non pendet, libera ac sui domina esse dicitur, neque manceps corporis, hoc liberior, quò magis à materiâ soluta, minùs libera, quò magis mersa in materiâ. Quo fit, ut libertas πρώτως primò sit in Deo, cùm omni ex parte sit à materiâ sejunctus, ideoquè non solùm maximè liber, sed ipsamet libertas, δευτέρως verò & proximè in separatis mentibus, tanquam immaterialibus, inde in homine, qui solus animalium rationis particeps,

ex

ex eodemquè libertatis confundamento. Duorum quippè alterutrum oportuit, aut rationis hominem expertem esse, aut si ratione sit præditus, liberum habere arbitrium. Qui enim ratione præditus est, non solùm contemplatur ea, quæ sunt, sed etiam deliberat de iis, quæ fieri debent, ut, quod in consilio prælatum est cæteris, eligat, agatquè, quod elegit.

15. *Materia Liberi Arbitrii duplex est, una, cui tanquam affectio convenit, altera, circa quam versatur.*

16. *Materia Liberi Arbitrii, cui tanquam affectio convenit, duplex est. Vel enim est Subjectum ut Quod, vel ut Quo.*

17. *Subjectum Liberi Arbitrii ut Quod est Homo,* qui integrum agendi principium, cujus ut totius agentis dicuntur esse actiones, ita ut liberè possit velle & nolle, idquè agere, quod vult, & inagere, quod non vult, ut qui liberè decernat, quod judicat sibi expedire, ideoquè non possit non velle, & nolle, agere atque inagere, adeoquè hoc potiùs velle & agere, quàm illud, convenienter judicio suo, eò quòd, quidquid intellectus potest apprehendere, ut bonum, in id appetitus possit tendere, atqui intellectus potest apprehendere, ut bonum, non solùm hoc, quod est velle, agerevè, sed etiam, quod est nolle, inagerevè, ergò. *Non Bestia.* Etsi enim & ipsa agere aliquid & non agere certo

modo

modo possit, idquè prævià cognitione aliquâ, non tamen libertas hæc arbitrii est, eò quòd objecto præsente, sequè præsentante, cum requisitis omnibus, quæ ad actionem aliquam agentis requiruntur, ita in rem feratur, ut suspendere actionem nequeat. Dico, objecto præsente, sequè præsentante cũ omnibus requisitis ad agendum. Si enim vel objectum ipsum non adsit, vel illud non sit ita dispositum, ut movere appetitum bestiæ possit, vel, si moveat, sit tamen aliud, quod impediat, quò minùs illa genio suo obsequi valeat, nihil mirum est, actionem non sequi, quomodo canem, quando à fame urgetur, cibusquè præsens est, ita ut videre & odorari eum possit, ejusquè cõpos fieri, nihilquè sit, quod illum impediat, putà plagæ, aut metus earum, cernas ferri in cibum necessariò, sive ita, ut temperare sibi nequeat, neque facere aliter, facerevè posse, quàm diu requisita illa aderunt, licet interim id, quod facit, faciat incoactè, hoc est, motu spontaneo, cum prævio judiciolo aliquo, quantum id esse in cognitione sensus potest. Atque hinc patet discrimen, quod est inter hominem & bestiam hâc parte, quòd homo sit agens liberum, non à coactione solùm, uti bestiæ, verùm etiam à necessitate, quoniam non ut omnes grues vigilias agunt, omnes lupi insequuntur agnos, naturali quâpiam speciei suæ necessitate, ita

omnes homines perindè furantur, perindè latrocinantur, id quod fieri tamen necesse foret, si à coactione solùm esset solutus, non etiam à necessitate.

18. *Subjectum Liberi Arbitrii ut Quo est Intellectus & Appetitus*, arbitrium ratione intellectus, qui arbitratur & judicat, liberum ratione appetitus, qui eligit unum, ita tamen ut eligere quoque etiam possit alterum.

19. *Rationes pro Intellectu contra Appetitum sunt.* I. Quòd facultas appetens non cognoscit, cùm distinguatur à cognoscente. II. Quia ea facultas, quæ libera est, debet esse movens, non mota, agens, non patiens, cùm id, quod movetur & patitur, dirigatur, contrahatur, determinetur, ideòquè serviat moventibus & agentibus: Atqui talis facultas appetens, hoc est, mota & patiens: Ergò. III. Quia libertas facultati nobiliori competere debet, cùm importet perfectionem: Quare facultati cognoscenti, cujus officium imperare, non appetenti, cujus officium exequi, atque implere imperata. IV. Quia libertas maximè fulget in ordinatis ad finem: Quare facultatis cognoscentis potiùs, quàm appetentis, quæ finis.

20. *Rationes pro Appetitu contra Intellectum sunt.* I. Quia, ut quis sit præditus facultate cognoscente utrumque oppositum, coactusquè interim sit velle definire unum eorum, statim perit eôpse universa libertatis for-

ma,

ma, facultate appetente contrahente talem hominem indifferentem ad unam definitam partem. II. Quia facultatis cognoscentis judicium non est positum in ipsius potestate, ut quæ non possit bonum v. g. judicare malum, & contrà, sed cogatur tale judicare objectum, quale se offert: Quare judicium ejus non est liberum. III. Quia facultas appetens imperat facultati cognoscenti, & est causa, ut liberè cognoscat & judicet: Ergò liberior in comparatione. IV. Quia libertas arbitrii ἐν τῷ velle & nolle, appetere & non appetere, est posita: Quare in facultate appetente, non cognoscente. V. Quia in eo posita libertas, ex quo pēdet ratio probitatis & improbitatis, virtus, inquam, & vitium actionis, undequè digni præmio vel pœnâ, laude vel vituperio reddimur: At hoc pendet, non à facultate cognoscente, sed appetente: Quare in hâc, non illâ, posita est libertas. VI. Denique, quia positâ facultate appetente ponitur libertas, & demtâ demitur: Quare in facultate appetente ea, non cognoscente, nedum vegetante, locovè motivâ. Quamvis enim hæc rationi obediat, liberequè ut sic agere videatur, liberè v. g. ambulare, tacere, loqui, tamen hæc liberè fieri dicuntur tantùm, ut actus imperati, non ut eliciti, hoc est, libertas illa propriè est in facultate, quæ actum imperat, non quæ elicit.

21. *Sed scilicet in utroque datur Libertas Arbitrii, sive Liberum Arbitrium, & in Intellectu, & in Appetitu*, cum distinctionis virgulâ tamen, in illo, ut in dirigente, in hoc, ut in exequente, in illo primò secundum naturam, in hoc primò nobis, quorum appetitus est proximius agendi principium, in illo sicut causa, cùm ex hoc appetitus possit ad diversa ferri, quia intellectus potest diversas habere conceptiones boni, in hoc, ut in subjecto, denique in illo radicaliter & præsuppositivè, in hoc formaliter & positivè. Etsi enim in intellectu sit radix libertatis, tanquam origine & fundamento, ipsum tamen intelligere, neq; quoad actus exercitium, neque quoad ejus specificationem, formaliter atque in se liberum est. Non quoad actus exercitium. Ut enim potentia se determinet ad agendum, necesse est id fieri, vel impetu naturę, vel liberâ appetitione actus: Atqui potentia libera, quà talis, nõ agit ex impetu naturæ: Ergò ex liberâ inclinatione sive appetitione. Sed nec quoad specificationẽ actus. Vel enim res est perspicua & evidens, & tum necessariò assentitur intellectus, siquidẽ vera est, dissentit, siquidem falsa, vel penitùs est obscura, & tunc neutrum actũ elicit, eò quòd objectũ non repræsentetur, planè sicut non videmus, cùm lumen deest, vel denique res in utramque partem probabilis est, & tunc iterum nec dissentit nec assentitur naturaliter, non liberè.

21. *Materia Liberi Arbitrii, circa quam versatur, sunt res Humanæ Innecessariæ, sive necessitate carentes.* Quanquam enim appetitus, stante & durante intentione efficaci, per eam aliquo modo determinetur ad persecutionē finis, atque electionem mediorum, aliquandò quoad speciem sive specificationem tantùm, si tantùm sit unum medium, quo in casu necessariò illud eligit, aliquandò quoad exercitium tantùm, si in intentione præscribatur certum tempus, quo quis finem velit consequi, sint autem plura media, aliquandò quoad utrumque, quando utrumque illorum concurrit, aliquandò quoad neutrum, nisi in confuso, quando plura quidem sunt media, neque appetitus tamen sibi in intentione præscribit certum tempus, quanquam, inquam, omnis intentio aliquo modo determinet ad electionem, licet non determinet ad aliquod medium in particulari, determinatumvè tempus semper, verùm ad alicujus medii utilis ad finem in confuso electionem, indeterminato tempore faciundam, tamen non necessitatur hic aut nunc eligere appetitus, siquidem unum tantùm sit medium, aut hoc præ illo eligere, siquidem sint plura, cùm electio omnis in se simpliciter sit libera, quoniam procedit ab appetitu cum dominio actus, sive illa sit bona, sive mala. Neque enim necessitas & determinatio,

orta ex ſuppoſitione liberâ concomitante & conſequente, tollit libertatem, verùm quæ ex antecedente, quomodo concoctio, v. g. cibi neceſſaria eſt, licet comeſtio prævia fuerit libera, homicidiumquè, per ebrietatem commiſſum, non eſt liberum in ſe, licet ebrietas fuerit libera.

23. *Forma Liberi Arbitrii, vel Subſtantialis eſt, vel Accidentalis.*

24. *Forma Liberi Arbitrii Subſtantialis* eſt virtus appetitus interna, bonum ſine coactione motu proprio eligendi, & malum repudiandi, utrumque neceſſariò, magis tamen in univerſali, quàm particulari, quoniam illud ratio non poteſt apprehendere ſub ratione mali, v. g. beatitudinem, quæ bonum univerſale perfectum, bonivè, v. g. miſeriam, quæ malum univerſale perfectum, hoc poteſt. Quamvis enim ſanitatem, quæ bonum particulare, nemo ita appetat, ut poſſit eam etiam non appetere, contrariamquè invaletudinem nemo ita fugiat, ut poſſit eam etiam non fugere, ſi utramque in ſe ſpectes, tamen poteſt illam non appetere, propter malum aliquod conjunctum, ſive defectum boni, habentis rationem mali, hanc non fugere, propter bonum aliquod conjunctum, ſive defectum mali, habentis rationem boni. Vocatur ſubſtantialis, quia eſt intrinſeca appetitui, ideoquè ab eo non magis ſeparari poteſt, ac calidum à calore.

For-

Formalis absoluta aliter.

25. *Forma Liberi Arbitrii Accidentalis* est rectitudo appetitus, quâ objectum rectè cognitum, rectè, si bonum, apprehendit, si malum, aversatur, ita ut eligere interim possit bonum præ bono, & ratione objecti, & ratione modi ac gradus, malum item præ malo, loquendo de malo pœnæ, ejusquè promeritæ, id quod eligere potest, & de jure, & de facto, non autem culpæ, & pœnæ non promeritæ, id quod de facto quidem, at non de jure, eligere potest, exemplo Principis Condæi, ineligendum in se: Formalis relativa aliter.

26. *Finis Liberi Arbitrii est Humana Perfectio.* Cùm enim homo sit mundi epilogus, meritò libertate est donatus, per quam in seipso, ut in parvo mundo, valeat imitari opificem magni mundi.

27. *An verò talis libertas arbitrii, suis caussis descripta, in hominem lapsum, ante regenerationem, in statu naturæ corruptæ, hoc est, peccati, cadat & quadret*, de hoc lemmate ita Moralistæ, distinguendo inter actiones spirituales, ad supernaturalem finem tendentes, & civiles, tendentes ad finem naturalem. Libertas arbitrii, inquiunt, in homine lapso, & moraliter sauciato, quoad actiones spirituales, planè nulla est, tum quia intellectus in statu lapsæ naturæ has non cognoscit, quare nec appetitus appetit, cùm

rem ignotam appetere nequeat, tum quia appetitus, præviâ quantumvis cognitione, sine speciali ac supernaturali inclinatione, in res spirituales haud fertur, ideoquè ad illas non habet naturalem libertatem, cùm suopte nutu, suisquè viribus, in objectum cognitum non inclinet. Libertas contrà arbitrii, in homine lapso, moraliter sauciato, quoad actiones civiles rationi subjectas, illa verò est aliqua, præsertim ante habitus contractos. I. Quia homo rationis particeps, quare & libertatis: Eccur id? Quia enim alioquin inaniter tributa esset ei ratiocinandi vis. Ideò quippè utitur ratione, ut præterita cum futuris, opposita cum oppositis cōparans, judicet, quid eorum eligendum, quid negligendum sit. II. Quia corpus habet ita fabricatum, ut nervi motibus appetitus inserviant. Cùm enim ratio commovet appetitum, hic spiritus animales ciet, quò effluentes è cerebro nervis influant, musculosquè secum trahentes motus efficiant liberos, exemplo Achillis Homerici, qui, quanquam ardet irâ, tamen à Pallade, id est, ratione commonefactus coërcet manus, ne feriant Agamemnonem, imperatquè pedibus, ut discedant. III. Quia libertate arbitrii sublatâ è regno morum, insimul tollitur omne virtutis, ut studium, ita præmium, omnis vitiorum, ut culpa, ita pœna, omnis legum, ut promulgatio, ita observatio, deliberatio, omnis,

omnis, electio omnis, precatio & deprecatio omnis, cohortatio increpatio castigatio educatio omnis, judicium omne, magistratus omnis, ipsa quin immò Politia. Ideò quippè damnamus improbos, laudamus probos, hortamur juvenes ad virtutem, dehortamur à vitiis, leges istorsum condimus, cæteraquè consimilia facimus, quia hæc facere atque omittere in ipsorum est manu & potestate. IV. Quia idipsum loquitur experientia, quæ in motibus externis, tam in actionibus moralibus, quàm artificialibus, ipsoquè adeò motu locali hominis quocunque, agnoscit libertatem, ita ut appetitus eligere possit hos motus, aut non eligere, eis imperare, aut non imperare, idquè spontè, absque necessitate & coactione, quomodo Eva spontè, & sine necessitate, coactionequè, elegit esum pomi, imperavitquè organis mandere id pomum, Scipio se cohibuit, ne attingeret alterius sponsam, Fabricius, ne aurum à Pyrrho missum, hocquè eodem exemplo pictor potest cervum aut chimæram pingere, Plato ex Academiâ in urbem ire, vel non ire, omnia liberrimè. Dico, ante habitus contractos, quia sicut contractus ratione initii voluntarii, post initium verò necessarii, voluntatisquè adeò contrahere, at necessitatis, contractum præstare, voluntatis, adire arbitrum, necessitatis, arbitri sententiâ stare, sic habitus ratione

tione principii voluntarii, post illud necessarii. Quamvis enim ante eorum acquisitionem liber sit appetitus, quod ad delectum boni & mali attinet, tamen progressu ætatis, longâ consuetudine, crebris actionibus, sic devincitur ac mancipatur habitibus, & τῷ ἔθει ita imbuitur, ut in potestate sit moris acquisiti, cujus quisque voluntarius est faber. Usque adeò factorum initia progressus & extrema in nostrâ sunt potestate, siquidem ea non ignoremus, habituum autem ex factis orientium initia duntaxat, hoc est, in nobis positum est, habitus suscipiamus, necnè, non item, ut abjiciamus. Antequam namq; habitus acquiruntur, in nobis situm est, eos amplecti, vel fugere, postea verò quàm inveteraverunt, non item, quomodo si quis ignem v. g. accendere velit, potest; si nolit, potest id quoque, subjectâ verò face, quò minùs ardeat, non potest peræquè, non magis, quàm se Laucade præcipitans sustinere, cùm velit.

28. *Quo loco notandũ in calce discrimen inter actus hominis, & humanos,* quorum illi homini cum bestiis communes, hi hominis, quâ hominis, proprii, vel quoad substantiam & entitatem, quo pacto omnes & solæ operationes, quæ manant à potentiis propriis hominis, ut homo est, humanæ dicuntur, ut ratiocinari, flere, ridere, vel quoad modum operandi homini proprium, qui est, ita age-

re, ut dominium sui actus habeat agens, quomodo eæ tantùm actiones humanæ dicuntur, quas homo in suâ habet manu & potestate, illæ humanæ Physicè, hæ Ethicè.

Caput XXXIII.

Assuitur sive attexitur Togæ Libertatis lata fimbria, de Harmoniâ hujus Doctrinæ cum Sacrâ Theosophiâ, & Sanâ Philosophiâ disciplinatim.

§. 1. *Doctrina hæc de Libertate Arbitrii, sive Libero Arbitrio, in Moralibus & Civilibus, homogenea est, & Sacræ Theosophiæ, & Sanæ Philosophiæ. Sacræ Theosophiæ, quia optimè & bellissimè cum Providentiâ Divinâ, Fatoquè, quod vocant, Theologico, conspirat & concinit.* Quamvis enim respectu providentiæ divinæ, quatenus illa consideratur ratione relati, ut est in Deo, tanquam decretum necessitans res & actus futuros, & correlati, ut est in causis secundis, divinam providentiam exequentibus, ut sic, omnes eventus sint necessarii, tamen hoc non impedit, quò minùs eventus, aliarum causarum intuitu, sint & possint esse contingentes, necessarii respectu causæ primæ, contingentes respectu proximæ, quia enim necessitas, quam affert providentia divina voluntariè agentibus, non absoluta sive Stoica, tollens contingentiam ac libertatem, sed conditio-

nata, atque ex suppositione, neque consequentis, sed consequentiæ, ut quæ importet solùm necessitatem infallibilitatis sive incommutabilitatis, non autem coactionis, extrinsecè sive ab extra se habens, non intrinsecè, ideoquè actui relinquens suam contingentiam, ita ut agens liberum atq; incoactũ sit & maneat intrinsecè, quamvis necessariũ sit extrinsecè: Jam verò unumquodque à principiis suis internis & proximis denominandum, non externis. Et qui coactum sit, amabò, cùm concursus providentiæ divinæ ad res providentiales non reâpse differat ab actione causæ secundæ, nulla verò actio una eademquè cogat seipsam violenter?

2. *Sana hinc Philosophia, quia eadem amicè conspirat, & cum Metaphysicâ saniori, & cum Physicâ, & cum Astronomiâ, & cum Politicâ & cum Logicâ inclusivè.*

3. *Cum Metaphysicâ saniori conspirat hactenus*: Quia, ut prima causa operetur cum quâdã naturæ necessitate intrinsecè, ideoquè & pendentia ex primo principio necessario connecessariò, tamen extrinsecè non item, nisi ex suppositione Deus, qui, quia ab æterno liberè sic vel sic prædefinivit, neque mutatur, ideò sic operatur, & non aliter, cum reduplicatione homo, siquidem necessarium, quod agitur, adæquatè actionis vel acti fuerit causa.

4. *Cum Physicâ saniori conspirat hactenus*, quia,

quia, quamvis motores secũdi non moveant sine primo, ideoquè egeant alio præmovente ac prædeterminante, tamen hæc determinatio motoris primi & ipsa nullam affert necessitatem, nisi consequentiæ, quæ non tollit contingentiam, nedum libertatem, cùm non mutet in naturis contingentibus, voluntarievè agentibus, modum agendi, quoniam Deus, qui est natura naturans, & causa prima, ita utitur ministerio naturæ naturatæ, & causarum secundarum, ut eas minimè destruat, sed cuique suam conditionem, proprietates, vires, ac motus, ut plurimùm relinquat, per necessarias causas agens necessariò, per contingentes contingenter, per naturales naturaliter, per voluntarias voluntariè, quomodo fruges v. g. crescere vult Deus, & horsum ex montibus decidere pluviam, pluviam irrigare terram, solem iterum è terrâ haurire pluviam, heustam κυκλογενίσ redire in nubes, verùm sine ullâ vi per naturam, homines item idem vult deliberare atque eligere, verùm illud sine necessitate, hoc sine coactione.

4. *Contra veteres Physicos, & Stoicos*, quorum illi libertatem hominis catenâ ferreâ atque insolubili fati, connexionequè causarum, devinxerunt, hi connexionem, atque, ut ita dicam, concatenationem necessariam causæ primæ cum secundis, & ipsarũ secundarum inter se, introduxerunt, ita ut nec

prima causa aliter ciere posset, quàm ut secundæ causæ feruntur, nec voluntas hominis aliter agere, quàm ut impellitur à præcedentibus causis. Utrique non tantùm ἀφυσικῶς sed etiam ἀθεολόγως. Ἀφυσικῶς Physici casci. Cùm enim operum naturæ quædam semper, alia frequenter, nonnulla nec semper, nec frequenter, fiant, non omninò omnia fieri necessariò supponendum est, sed quædam contingenter, idquè vel ob materiam, quæ contingentiæ, vel ob voluntatẽ, quæ libertatis causa, quæ libertas haud servatur, ubi intercedit necessitas, siquè, quemadmodum causæ secundæ, purè naturaliter agentes, ad certos ac definitos effectus producendos ordinantur, similiter causæ secundæ voluntariè agentes ordinentur ad eosdẽ, non ad diversos, & varios, atq; etiam oppositos, contrariosquè. Scilicet naturaliter agentia agunt vi naturæ, absq; deliberatione, agunt eodem modo semper, nec possunt suspendere actionem admotâ materiâ, enimverò agentia voluntariè agunt cum deliberatione, agunt dissimiliter, atq; cũ suspensione actionis, quomodo ignem admoto ferro videas non non urere naturaliter, fabrum imponere ferrum igni voluntariè, ignem eodem modo furcam facere, fabrum dissimiliter, ignem usque urere, neque suspendere posse actionem, quam potest faber, qui vel jam facit, vel alio tempore. Æquè ἀφυσικῶς

Stoici,

Stoici, veterum Physicorum germani fratres, quia non, ut maximè causæ secundæ, quæ sustentantur à primâ, necessariò agerent omnes, ocyùs & prima sustentans, quoniam necessitas illa non est absoluta, sed Physica, ideoquè Deo subjecta, & hactenus conditionalis, nec concludentior in voluntariè agentibus, quàm si dixeris, ignis admotus materiæ combustibili necessariò urit, quare à fabro necessariò admovetur. Neque verò ἀφυσικῶς tantùm physicantur utrique, sed & ἀθεολόγως, quia juxta doctrinam Ecclesiæ causa prima, hoc est, Deus, non pendet ex secundarum causarum naturâ, sed causæ secundæ ex primâ, quæ sicut respectu inferiorum causarum sunt moventes, ita respectu superiorum motæ, liberè haud raro utrinque, quomodo doctorem videmus docere discipulum, discipulum discere à doctore, utrumque liberè, & illum & istum, & istum & illum.

5. *Cum Astronomiâ & Astrologiâ saniori conspirat hactenus*, quia, ut astra necessitate quâdam, sibi à primo creatore inditâ, agant in sublunaria omnia, quoad motus eorum naturales & necessarios, conquè venienter etiam in hominem, quoad actus hominis, ipsi cum bestiis communes, quales, accretio, concoctio, nutritio, sensio, appetitio, tamen non item in actus humanos, qui in solidum pendent à libero hominis arbitrio, ideo-

ideoquè cogi, & fato astrologico impelli nequeunt, vel ideò, quòd omnis actio à fortiori, spiritus autem noster immortalis fortior corpore astrico. Quòd si vaticinio astrologico interdum respondent actionum eventus, prædicti cum formidine oppositi, per accidens id fit. Quemadmodum enim, qui assiduè jacit aleam, vel talos figit, is aliquandò seniones, aliquandò venerem jacit, sic cùm millies mentiatur astrologus, quid mirum, si semel verum dicat.

6. *Cum Politicâ saniori conspirat hactenus*, quia, utut per leges civiles homo civis perdat quadamtenus libertatem facti, quoad actus imperatos, propter impedimentum, quod inter facultatem, & actum externum facultatis, interjicitur, quod efficit, quò minùs tantum possit facultas, quantum cupit, retinet tamen in illâ ipsâ impedientiâ libertatem facultatis, quæ semper, quoad actus elicitos, in suo sinu libera manet, suæquè spontis, ex se determinata intrinsecè, ut incoacta, ita incogibilis, ut sic in eligendo altero oppositorum.

7. *Cum Logicâ denique saniori conspirat hactenus*: Quia enim homo non tam ideò dicitur liber, quòd sit indifferens ad ea omnia, quæ, per Intellectum Practicum proponuntur voluntati, cùm summum bonum huic oblatum non possit ab eâ respui, quàm quòd ratione præditus valeat judicare finem.

nẽ,atq; indagare media,dequè his ratiocinari,unumquè ex iis præ altero eligere, cõpetente ejus voluntati libertate, & antequam præeligit, & dum præeligit, antequam præeligit, quo in articulo quamvis non agat, valet tamen agere, liberequè, quam velit, partem præeligere, dum præeligit, quo in punctistitio liberè facit, quod facit.

CAPUT XXXIV.

De tertio Fonte Morali Actionum Elicitarum, perſuade Phantaſiâ, quam Cogitativam & Æſtimativam ſive Exiſtimativam nuncupant Averroiſta, verùm inconſulto Apolline Philoſophico.

§. I. **T***Ertius Fons Moralis Actionum Elicitarũ eſt Phãtaſia*,cujus ἴδιον ἔργον, propriũ munus, non tantùm res externas, ſenſibus perceptas,etiã abſentes, cognoſcere, easquè componere & dividere, licet non eodẽ, quo objecta fuerant in ſenſibus externis,modo, cùm aliàs, quæ percepta fuerant ſeorſim, conjungat, quæ conjunctim, dividat, verùm etiam de rebus, externis ſenſibus perceptis, formare notiones boni ac mali, eâdẽquè judicare, convenientianè ſint objecta, an inconvenientia, mediantequè hoc judicio movere affectus objecti boni vel mali, quaſi per intellectum reſpectivè paſſivum.

2. Dico,quaſi per intellectum reſpectivè paſſivum,quia enim phantaſia in homine ſimilis intellectui, hoc eſt, ęſtimativę & cogitativæ

tativæ potentiæ ejus, vel quia immediatè inservit intellectui suis operationibus per rationem castratis, vel quia ita eminet inter omnes vires sensitivas internas & externas, itaquè alios omnes sensus excedit, ut respectu illorum videatur esse intellectus quidam: Sed similis scilicet, non eadem, tum quia æstimatio propriè dicta est animæ rationalis, & quasi quoddam commune genus ad intelligentiam, scientiam, sapientiam, prudentiam, artem, & opinionem, eliciens species, cognitionemquè specierum non sensatarum, ex speciebus ac cognitione formarum sensatarum, v. g. amicitiam, inimitiam, quæ dicuntur species non sensatæ, quia formæ earum non sunt sensibiles sensibus externis, ut sunt formæ v. g. colorum, tum quia per cogitativam in nobis percipienter percipimus individua omnium prædicamentorum distinctè, ut hanc substantiam, hanc vel illam quantitatem, non sic per phantasiam.

3. Contra Averroëm, & sequaces, qui post sensus externos duas ponunt potentias sensitivas perceptivas tantùm, putà, sensum communem & cogitativam, totidemquè retentivas tantùm, putà, imaginativam & memorativam, sive phantasiam & memoriam, quod τὲλεχόστοιχον Philosophicum inventoribus suis remittimus, cum Nota Benè Philosophico.

CA-

Caput XXXV.

De quarto Fonte Morali Actionum Elicitarum, Appetitu, quem vocant, Irrationali sive Sensitivo. ejusquè Motionibus seu Affectibus, & quoad Ὀνοματολογίαν *sive Nominalitatem, & quoad* Πραγματολογίαν *sive Realitatem.*

§. 1. Q*Vartus Fons Moralis Actionum Elicitarum est Appetitus Irrationalis sive Sensitivus: Irrationalis*, quia licet sit rationalis per œconomiam in subjecto homine, hoc est, licet sit aptus natus in eo obedire rationi, non repugnare rationi, tamen est irrationalis de se, sive de naturâ suâ atque essentiâ, ut qui subindè responset rationi: *Idem Sensitivus dicitur*, quia sicut voluntas rationem, ita hic appetitus sibi relictus sensum sequitur in suis motibus.

2. *Motus hi Appetitus Sensitivi Affectus dicuntur, de quibus multifarii agunt artifices, agit Theologus, agit Physicus, agit Politicus, agit Medicus, agit Rhetor, agit Ethicus denique: Theologus*, cùm de bonitate pravitatequè functionum humanarum sermocinatur: *Physicus*, quatenus hi motus accidunt certæ speciei corporis naturalis, animæquè appetentis naturales sunt affectiones: *Politicus*, quatenus consideratur in legibus condendis, interpretandis, jurequè adeò reddendo & dicundo, erratisquè emendandis vel remittendis,

tendis, pacatonè, an turbato ab affectibus animo, quid sit factum: *Medicus*, quatenus ad tuendam valetudinem, si adsit, restituendã, si absit, faciunt, ad quietem revocati cum Galeno, qui gloriatur, se quotannis ægros non paucos sanâsse hoc alexipharmaco: *Rhetor*, quatenus faciunt ad movendos atque incitandos potenter animos auditorum, sive sit suadendum quid, sive dissuadendum: *Ethicus*, quatenus ad virtutis mediocritatem, cujus sunt objectum, & materia interna, redigendi veniunt. Scilicet res eadem sub diversas cadere est nata disciplinas, quà illarum objectum est materiale, licet quà objectum formale, non cadat nisi sub unam, v. g., affectus ut sic sub Ethicam, de quibus ea, & in quos, proximiùs intimiusquè inquirit, tum quia numerantur inter principia ac causas actionum humanarum, tum quia in his cicurandis atque domandis, dirigendis atque corrigendis, excubat virtutis vigilia, quæ cum suis actionibus argumenti utique Ethici, tum quia sic nescio quomodo meliùs, næ meliùs, animadvertere est discrimen inter virtutes & affectus, ex quibus illæ ad primam speciem qualitatis pertinent, hi ad tertiam. Triverbio, affectuũ naturalium theoria Physicæ germana est, earundem praxis variarum disciplinarum, interquè eas jure domestico & singulari nostræ.

3. *Nomen sive nominalitatem vocis si spe-*

ctes;

ctes, Gracè Philosophantibus motus hic appetitus sensitivi Ὁρμὴ *Impulsus sive Impetus*, Πάθος *Passio sive Perpessio*, Ἦθος, *Mos sive Consuetudo certa, Latinè Philosophantibus, Stoicè Perturbatio & Ægritudo, Academicè Affectio, Peripateticè Affectus appellatur.* Ὁρμὴ, *Impulsus sive Impetus*, à commotione, quia incitat, impellit, trahit, rapit hic motus. Πάθος, *Passio sive Perpessio*, quia subjectum suum variè afficit, movet, mutat, inclinat, sistit, avertit, adeoquè pati facit, ita tamen, ut agat quoque.

4. *Neque enim affectus meræ passiones sunt, sed ex actionibus & passionibus simul misti. Passiones sunt affectus.* I. Quatenus appetitus movetur ab objecto cognito. II. Quatenus idem appetitus, ab objecto cognito excitatus, suum ipsius actum in se recipit, id quod pati Philosophi appellant, verùm translato patiendi vocabulo, cùm hoc pati potiùs sit perfici, quomodo aërem pati dicunt, cùm illustratur à sole, atqui τὸ pati propriè dictum est mutari in deterius, non melius. III. Quatenus cor, reliquumquè corpus, spirituum adminiculo innaturali mutatione afficitur, sanguine nunc ad externas & extremas corporis partes sese effundente, nunc ad internas recurrente, tanquam ad arcem salutis. *Actiones sunt affectus*, quatenus appetitus, ab objecto cognito excitatus, hujusmodi motus in se ciet ac producit, quæ productio quędam actio est haud dubiè. Agit siqui-

siquidem appetitus, quando v. g. amat, quia ciet actum, agit, quando odit, ob geminam causam, & tamen quoque etiam patitur, quia afficitur utrinque. *Sed universè interim affectus magis sunt passiones, quàm actiones*, quia passiones in his motibus manifestiores sunt, quàm actiones. Licet enim ex parte objecti sint tantùm actiones, tamen ex parte facultatis sunt, primò passiones, quatenus videlicet facultas movetur, mox actiones, quatenus eadem facultas, persuade appetens, ab objecto cognito proritata aut irritata movet, actumquè suum in se admittit, respectu verò corporis, tantùm passiones, ut quod se habeat merè passivè, neque moveat, sed moveatur. Ut ita ratio formalis affectuum in passione potiùs quàm actione vertatur. Etenim actualis propensio ad prosequendum bonum, & persequendum malum, non est affectus, neque activa corporis ad prosecutionem vel persecutionem incitatio, verùm mutatio, quæ ex hâc inclinatione oritur in facultate appetente, subjectoquè ejus corde. Quamvis non eadem omnium affectuum heic sit ratio & natura. Nam qui rationem, vel antèvertunt, vel evertunt & evirtuant, præcipuo quodam jure passiones appellari merentur, cùm ab iis ducatur & rapiatur quodammodò appetitus, at qui sequuntur rationem, eiquè se malacissandos permittunt, nescio quomodo magis ad actio-

actionum naturam videntur accedere.

5. *Neque verò* Πάθος *tantùm appellitatur hic motus appetitus sensitivi, sed* ἦθος, *hoc est, Mos sive Consuetudo certa, fortè ideò*, quia vocabulum τοῦ ἤθους, non tam morem, quàm moris proprietatem, signat, id est, usum ac consuetudinem vitæ bonæ aut malæ, distinctam ἀπὸ τοῦ ἔθεως, consuetudine quâvis in rebus quibuslibet. Propriè siquidem ἦθος mores significat, ex quibus hominum animi cognoscuntur, v. g. ex bonis operibus virtuosi sive studiosi, ex malis vitiosi.

6. *Quo loco in transitu notandum intergerinum discrimen inter* τὸ πάθος *καὶ* ἦθος. Scilicet τὸ πάθος significat affectum in genere, sive sit mitior, & mitificet, sive concitatior, & concitet, τὸ ἦθος verò qualemcunque affectionem, à quâ ἔθος, quomodo πάθος v. g. ira, ἦθος iracundia, ἔθος irascentia, sive consuetudo irascendi. Scaliger aliquis diceret, πάθος καὶ ἦθος non solùm gradibus differre cum Fabio, ut πάθος sit ἦθος vehemens, sed ipsâ οὐσίᾳ, ita ut τὸ ἦθος sit principium agendi, τὸ πάθος verò patiendi, quomodo v. g. qui perturbat, ἦθος habet, ut iracundus, qui perturbatur, πάθος, ut invidus. Atque adeò, quanquam in omnibus affectibus sit perturbatio, tam iis, qui perturbant alios, quàm iis, qui ab aliis perturbantur, tamen qui propriè loquuntur, ita dicunt, ut ἦθος exeat ad actionem, πάθος

verò

sic definiveris sanè motum hunc appetitus sensitivi : *Affectus est motus appetitus sensitivi in corde, cum aliquâ mutatione non narali corporis, ex apprehensione boni vel mali, mediantibus spiritibus & humoribus, ortus, illius consequendi, hujus vitandi gratiâ.* Quâ definitione signanter signatur, præter ejus genus, etiam subjectum, & causa, maximè finalis, fide sequentium.

Caput XXXVI.

Quod Affectus propriè dicti, Genusquè, Subjectumquè, Causaquè, maximè Finalis?

§. 1. Juvat quoque etiam hic ἀναλύειν, sive resolvere.

2. *Definitum est, τὸ Πάθος, Affectus.*

4. *Definitur Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Affectus est, non Naturalis Animæ Facultas, non Habitus Naturalis Facultatis, verùm Motio ejus sive Motus.*

5. *Non Naturalis Animæ Facultas.* I. Quia recipitur in eâ, estquè affectio ejus, sive commotio ejus, media inter facultatem & habitum. Ut enim per naturam v. g. præditi sumus facultate ridendi, postea ridemus, aliâs ex facultate, aliâs ex habitu, ita & à naturâ, & per naturam, præditi sumus facultate concupiscendi atque irascendi, postea concupiscimus & irascimur, aliâs ex facultate, aliâs ex habitu. II. Quia facultas per-

tinet ad secundam speciem qualitatis, affectus verò ad tertiam.

6. *Non habitus Naturalis Facultatis.* I. Quia nullus affectus, ut genus, de habitu dici potest. II. Quia affectus naturæ ventrem quasi partus ejus sequitur, habitus autem comparatur aliquâ operationum repetitione, Theoreticus studio & disciplinâ, Practicus more & consuetudine, Pojeticus exercitatione in efficiendis operibus artis. III. Quia affectus inest omnibus, non tantùm hominibus, sed etiam bestiis perfectis, non item habitus. IV. Quia affectus est subitus & repentinus motus animi absq; προαιρέσει sive consilio, non item habitus, ut in quo partim τὸ λογικὸν habitet, partim τὸ λογιστικὸν, illud in habitibus intellectualibus, hoc in moralibus & artificialibus. Atq; hinc adeò est, quòd ab affectu dicimur aliquo modo κινεῖσθαι commoveri, quoniam illo animus alteratur nonnihil, & quasi mutatur, ab habitu verò διακεῖσθαι καὶ διατίθεσθαι, aliquo modo disponi, καὶ ποιοί τινες, cujusdam modi, hoc est, apti & idonei ad aliquid contemplandum agendum & efficiendum fieri. V. Quia ab habitu laudamur, vel vituperamur, ab affectu nō itē, cùm per se sit quiddam indifferens, id est, nec bonum, nec malum, nisi rectè aut secùs gubernetur. Quatenus namq; affectus est motus naturalis, ut sic, nec laudatur, nec vituperatur, nisi quid moralitatis, hoc est, moralis vel moderationis

nis vel immoderationis accesserit, sive illud sit à naturâ, sive ab assuefactione. Quamvis enim dentur quidam affectus, qui sint laudabiles, ut verecundia, nemesis, misericordia, tamẽ nõ tam sunt tales propter se, quàm propter modum, quòd earum sit aliquis modus, neq; ἁπλῶς tales, sed πῶς, quomodo odium & maligoitas vituperioque dignæ. VI. Quia affectus pertinet ad tertiam speciem qualitatis, habitus verò ad primam.

7. *Sed Naturalis Facultatis Motio sive Motus*, sive affectum consideres Physicè, ut motum cordis innatum, ad usum naturalem determinatum, contradistinctum à pulsu cordis, sive Ethicè, ut motum cordis acquisitum, ad usum moralem determinatum, saltem determinabilem, ut eo mediante animus noster commoveatur, v. g. gaudendo, amando, desiderando, irascendo.

8. *At qualis Motio sive Motus, Immanens, an Transiens?* Immò verò immanens, quia enim in eâ facultate recipitur, ut in subjecto, à quâ manat, ut à causâ efficiente, id quod proprium actionis immanentis, quę ita intra agens manet, ut ad aliud extra agens objectũ nõ referatur, in quod transeat, quasi in subjectũ aliquod, distinctũ à supposito, quod agit, vel saltẽ quasi in distinctâ suppositi partẽ, à parte eâ, quæ in eo est activa, qualis sensatio, sive actio sentiẽdi, quæ recipitur in parte organicâ corporis, non in animâ, à quâ fit, cùm

actionis transeuntis sit proprium, quòd terminetur in subjectum re distinctum ab agente, qualis actio calefaciendi ab igne, quæ terminatur in aquam vel ferrum.

9. *Differentia Specifica Affectus sumitur à Subjecto ejus, & Causâ, maximè Finali.*

10. *Subjectum Affectus, persuade Inhæsionis, duplex est, ut Quod, & ut Quo.*

11. *Subjectum Inhæsionis Affectus ut Quod, iterum vel Negativum est, vel Positivum.*

12. *Negativum Subjectum Inhæsionis Affectus ut Quod est Deus & Planta.*

13. *Deus*, tum quia in eo non sunt organa affectuum propriè dictorum, tum quia hi ad mediocritatem revocandi, τὰ πάθη autem, ad mediocritatem redigenda, Deo appingere, aut affingere, non tantùm ἄθεόλογον, sed etiam ἀφιλόσοφον. Dico, affectuum propriè dictorum. Ἀναλογικῶς siquidem atque impropriè eos etiam Deo tribuimus, quomodo Deum v. g. irasci facimus, pœnitere, misereri, per metaphoram, atq; ad humanum apprehendendi ac considerandi modum. Nos enim, cùm omnia agamus affecti affectibus, ideò supernis agentibus similem agendi modum attribuimus, verùm per quandam eminentiam, ut hîc Deo, in quo affectus nihil aliud sunt, quàm actus divinæ voluntatis, quibus aliquo modo assimilant affectuum humanorum actus, quatenus perfectionem includunt, quomodo etiam alia

Deo

Deo assignamus, uti audire, videre, de loco in locum progredi, manu uti, quæ sunt sensuum & locomotivæ.

14. *Planta*, cùm ob alias rationes, tum quia affectus sequitur sensum, estquè partus appetentis facultatis, ideoquè non diffunditur infra animalia, & per consequens, nec ad plantas. Quāvis enim quædam arbores rerū accessum sensu percipere videantur, illisquè appropinquantibus ramos constringere, recedētibus explicare, reperiantur quin immò plantæ, se invicem amantes atq; appetentes, ut palmæ mares & fœminæ, item fugientes se invicem, atque odio persequentes, ut quercus & olea, hæc & cucumis, vitis & brassica, tamen in has non cadunt affectus propriè dicti, nisi fortè per sentiendi facultatem, quam cum animalibus aliquo modo communem habent, cùm sint zoophyta, verùm obscuriorem scilicet, aliarum plantarum sympathiis atq; antipathiis, amoribus, inquam, & odiis, quorum origo non à sensu, sed à peculiari temperamento, à categoriâ affectuum hâc virgulâ sequestratis, vel ideò, quia veri & germani affectus, prævio sensu eliciti, assuefactione mitescere immò deponi possunt, id quod in sympathiis & antipathiis plantarum non fit.

15. *Positivum Subjectum Inhæsionis Affectus ut Quod, est in genere Animal, in specie Bestia & Homo, etiam Infans, etiam Puer.*

16. *In genere Animal*, quia affectus accidit certæ speciei corporis naturalis, putà animali, non omni illius speciei indifferenter.

17. *In specie Bestia*. I. Quia in bestiis sunt causę affectuum, anima videlicet sentiens & appetens, suis cum requisitis, quare & affectus, quia positis causis ponuntur effecta. II. Quia in iisdem principia & post-principia affectuum, hoc est, voluptas & dolor. III. Quia in iisdem signa atque opera affectuum. IV. Quia in iisdem species affectuum, τὸ irasci, inquam, amare, odisse, lætari, tristari, metuere, sperare, desperare. V. Quia, si affectus non caderent in bestias, tunc procul dubio id inde futurum esset, quia sejungi à rationis usu haud possent: Atqui falsum consequens, cùm in infantibus etiam ante rationis usum deprehendantur: Ergò & antecedens.

18. Contra Stoicos, acutum sapientes in obtuso, qui ajebant, bestiis quidem competere motiones illas primas, quæ in homine antevertunt consultationem, affectus verò minimè, at eorũ vice in iis reperiri feritatem, rabiem, incursionem, quæ nonnisi per metaphoram affectus nuncupentur, affectionesquè tantùm sint affectibus similes. Scilicet sic argumentabantur Stoici: Animalia, quæ non valent ignoscere, illa nec valent irasci, quare nec affici. Febriculosè! Dantur siquidem subjecta, quę contrariorum sunt inca-

incapacia, quomodo ignis v. g. calidus, qui tamen frigidus esse nequit, glacies contrà frigida, quæ tamen calida esse nescit. Ne dicam, bestias & ipsas ignoscere, ut sine ratione, ita non sine imaginatione, quomodo canis ab hero percussus non mordet, mordet percussus ab ignoto, illi igitur ignoscit, huic non item. Instant Stoici, affectus esse rationis depravationes, ideoquè nō cadere in bestias rationis expertes. Nę convenienter suis hypothesibus, sed non thesi veritatis. Constat quippè affectus per rationē reduci posse ad mediocritatem, saltem in homine, ita ut amicè consentiant rationi, eiquè tanquā instrumenta serviant ad præclaras & homini salutares actiones. Excipiat fortean Stoicus: *Quòd si affectus cadunt in bestias, ergò & moderatio affectuum sive mediocritas, quare & virtus moralis!* Regero, ut moderatio in eas cadat materialiter, quomodo videmusque etiā ferocissima domari ac mitigari animalia, leones, ursos, elephantos, equos & tauros silvestres, nō tamē cadit formaliter, persuade, sub formalitate morali, tum quia moderatio illa nō est à ratione propriâ & internâ, sed alienâ & externâ, nempè domantis & domitātis, tū quia finis ejus non est honestū, sed hominis commodum & compendium, tum quia non proficiscitur ex προαιρέσει, sed ex phantasiâ tantùm forti, & memoriâ sensitivâ. Taceo, quòd moralis virtutis ratio formalis nō con-

sistat abscissè in moderatione affectuum, sed hæc ipsa moderatio potiùs sit effectum & consequens virtutis moralis.

18. *Item Homo, ad Hominem Infantem & Puerum usque inclusivè*, cùm ob easdem rationes, quæ hîc commilitant, quia in eis se produnt & promunt bonâ fide causæ affectuum, principia & post-principia, signa atque opera eorundem, necnon species, tum quia affectus ante usum rationis non sunt distincti specie ab iis, qui post usum rationis, quare nec in homine infante, puerovè.

19. *Subjectum Inhæsionis Affectus ut Quo, & ipsum vel Negativum est, vel Positivum.*

20. *Negativum Subjectum Inhæsionis affectus ut Quo est Facultas Cognoscens, sive Mens Stoicorum, & Facultas Appetens, sive Voluntas Scotistarum.*

21. *Facultas Cognoscens sive Mens Stoicorum*, qui affectus statuebant esse opiniones & judicia, ac proindè ad cognoscentem facultatem referebant. Ἀ'φιλοσόφως! I. Quia affectus, γνησίως sic dictus, in objectum fertur, ab eovè aufertur, non sub ratione veri aut falsi, id quod facultatis cognoscentis, verùm sub ratione boni aut mali, id quod facultatis appetentis. II. Quia maxima vis est affectus in corpus animalis, quod inde alteratur vehementissimè, hujusmodi autem alteratio non potest proximè esse à facultate cognoscente, sed ab appetente. Neque enim

vel.

vel mens vel phantasia per se, tanquam immediata & proxima causa, potest movere sanguinem, aut spiritus, hisquè instrumentis alterare corpus, verùm inter eas & effectum intercedit appetitus, qui, dum prosequitur vel fugit objectum, tanquam ministros assumit sanguinem & spiritus, quos vel in objecti emittit occursum, vel ad interiora revocat. Cùm enim magna sit in corpore συμπάθεια inter partes ejus corporeas invicem, quidni quoque sit inter has & facultates animæ materiales, qualis appetitus sensitivus. III. Quia facultas cognoscens in cerebro residet, in quo affectus bonâ fide poni nequit, quia ibi vigent operationes & facultates, quæ affectui adversantur, judicium videlicet & ratio, eadem verò facultas actiones pugnantes eodem tempore non producit. IV. Quia affectus sequitur actum facultatis cognoscentis. V. Quia nihil movetur in rem quampiam cognoscendo, sed appetẽdo, τὸ moveri verò proprium affectus. VI. Quia actio & facultas semper occupãtur circa idẽ subjectum: Jam verò affectus se manifestat per corporalia organa, cùm sit materialis & organica operatio: Quare non cadit in potẽtiam intellectivam, cum quâ non est tanta corporis συμπάθεια. VII. Quia nullum accidens reperitur, nisi in suo adæquato subjecto: Atqui bruta & pueri, licet usu rationis destituãtur, quâ bruta prorsus carent, nihilo-

minùs affectibus agitantur: Ergò mens non potest esse adæquatum subjectum affectus!

22. *Facultas Appetens, sive Voluntas Scotistarum*, qui, licet affectus, conjunctos cũ alteratione corporali, collocarent & ipsi in appetitu sensitivo, aliquos tamen affectus propriè dictos locitabant in voluntate, cujus proprium foret, ut condelectari appetitui sensitivo, ita & contristari eidẽ, Αφιλοσόφως! I. Quia affectus propriè dictus subindè repugnat voluntati, ejusquè imperium detrectat, quare alterius atq; à mentis appetitu distinctæ facultatis, quoniam in eàdem facultate simul contrariæ actiones vel passiones non dantur, vel ipso Scoto teste in loco. II. Quia omnis animi affectus conjunctus est cũ corpore, quod cum eo semper quid patitur, vel experientiâ suffragante, quæ docet, quoties animus affectu turbatus est, variè agitari spiritus, moveri sanguinẽ, concuti cor, ac sæpè totum corpus: At voluntas immaterialis & inorganica est: Quare motâ voluntate non necessariò movetur corpus, nisi cũ eâ simul moveatur appetitus sensitivus, quæ voluntas ideò esse nequit sedes & patria affectus propriè dicti. III. Quia, si in volũtate habitaret affectus propriè dictus, tunc nullus in nobis surgeret subitus motus nobis invitis. Utut interim non diffitear, in voluntate dari aliquid affectibus ἀνάλογον, hoc est, affectus per similitudinem & metaphoram, quomodo af-

fectus.

fectusquè ascribimus Deo,& separatis mentibus,per humanum apprehendendi ac considerandi modum, & cum quâdam eminentiâ. Hujusmodi-motiones,quibus sic movetur voluntas à judicio rationis, sicut appetitus sensitivus movetur à judicio sensus, si quis velit affectus nominare, non erit funis contentionis propterea ducendus,modò caveatur,ne motiones appetitus sensitivi cum motionibus voluntatis confundantur.Quòd si dicas, dari nihilominùs affectus homini proprios,qui ad gloriã honorẽ justitiã pertineant,aliaquè non sensu sed ratione cognita, quomodo quotidiè cernimus hominẽ verecundiâ duci, æmulatione accendi,cõmoveri maximè imminutâ existimatione, excandescere læso honore,quã jacturam & quod detrimentum inferior appetitus non percipit, quoniã ratio offensam illã concipit ut turpẽ, voluntas ut detrimentosam, quare saltẽ hos pertinere ad facultatem hominis propriam: Responsitabo, hos non constituere novam speciem aut sortẽ affectuũ, quia & ipsi mediante sensu excitantur à ratione, ministerio phantasiæ supernè commotæ, argumento, quòd etiam tales affectus excitentur per cõmotionem sanguinis & spirituum,licet interim à reliquis affectibus differant objecto, quod bonum vel malum intellectui cognitum, differant subjecto, quod homo, differant efficiente, quod intellectus præfatus,
 diffe-

differant ordine inexistentiæ, quia secundò insunt, hoc est, homini, non ut animali, sed ut tali animali, hoc est, homini.

23. *Cur verò hominis affectus plures sint, quàm reliquorum animalium congenerum*, regio ejus rationis hæc est, quia homo plura cognoscit, ideoquè & cognoscendo appetit, neque unum sed multiplex vitæ genus natus est vivere, pro cujus varietate affectus existunt varii, quos varia cõcitant objecta: *Plures autem? Immò & vehementiores*, tum quia maximè omnium animalium homo voluptate & dolore afficitur, quæ principia fomites & asseclæ affectuum, quo fit, ut homo solus nonnunquam nimiâ voluptate moriatur, doloreve, solus semper coitum expetat, cætera animalia destinatis temporibus, solus, dum vehementi aliquâ affectione turbatur, magis nescio quomodo extrinsecùs mutetur, pallescendo, erubescendo, contremiscendo sive palpitando, tũ quia externi sensus, gustus, inquam, & tactus, in homine sunt exquisitissimi, per quos ideò vehementissimi excitantur affectus, ob tenuitatem & titillationem cutis, alimentorumquè ac condimentorum varietatem, tum quia cognitio in homine exquisitior & major ob animæ præstantiam, majorem autem cognitionem atque appetitionem vehementiores sequi solent affectus, tum quia objecta, quæ homini se offerunt, eumquè sede suâ movent, majora

majora, præstantiora, incitatiora atq; concitatiora, magisquè impulsiva & compulsiva, tum denique, quia sanguis & spiritus hominis subtiliores, qui ideò faciliùs & vehementiùs commoventur, quàm crassior brutorum spiritus & sanguis, præsertim cùm homo præditus sit tenuissimis humoribus, temperamentoquè facillimè nato alterari, cordequè calidissimo & spirituosissimo.

24. *Subjectum Inhæsionis Affectus ut Quo Positivum est Facultas Appetens, sive Appetitus Sensitivus Peripateticorum & Thomistarum.* I. Quia affectus homini communis cum brutis animalibus: Quare secundum facultatem ipsi competit, quam cum brutis communem habet: Ergò secundum appetitum sensitivum. II. Quia affectus est passio materialis, cujus ideò in alterandis corporibus proxima vis, per sanguinis & spirituum multam ac magnam commotionem, quæ ad facultatem rationis immaterialem atque inorganicam immediatè referri nequit, cùm nullus motus ejus cum mutatione corporis primò fiat, proximequè corpus moveat. Thomas diceret, passionem sive affectum propriè inveniri ibi, ubi est transmutatio corporalis, hanc verò reperiri in actibus appetitus sensitivi, non intellectivi, ut qui non sit virtus alicujus organi, quare in illo non in hoc quærendum affectum. III. Quia affectus formam & modum recipit à virtute in more positâ:

Quare in eâ regione animæ, in quâ illa. IV. Quia in appetitu sensitivo id persecutio & fuga, quod affirmatio & negatio in facultate cognoscente: Atqui affectus non consistit in affirmatione & negatione, sed persecutione & fugâ: Ergò! V. Quia objectum, quod actione attingitur, vel vitatur, est singulare, singularium verò sensus.

25. *Nominatim Cor, suâ naturâ dilatari vel constringi aptum.* I. Quia, si subjectum affectus propriè dicti non est cor, tunc aut cerebrum erit, aut epar: Non illud, quia in eo sedes quasi & domicilium rationis, quæ affectui sæpenumerò adversatur: Non hoc, quia affectus, qui sunt in epate, judicio & ratione nequeunt regi, ut fames, sitis, impetus ad procreationem: Ut enim possit judicium seu ratio imperare facultati moventi, ne cibum capiat, ne bibat, neu generet, attamen ne se prodat, ne incitet, ne perturbet & extimulet, nequit efficere: Ergò cor, convenienter scripturæ, quæ nos jubet Deum diligere ex toto corde. II. Quia ipse pulsus hominis est indicium, cor vehementer feriri agitari tremefieri ab affectibus, à quibus nulla pars corporis graviùs affligitur, quàm ipsum cor, quod, quò calidius & siccius, hoc vehementiores excitat affectus, quò frigidius & humidius, hoc languidiores, quò majus & solidius, hoc majores & constantiores, propter spirituum copiam, quò minus & laxius.

laxius, hoc minores & inconstantiores propter eorundem inopiam. Unde propter diversum harum qualitatum cordialium temperamentum homines vel Cholerici vel Melancholici vel Sanguinei vel Phlegmatici audiunt, quorum illi ad iracundiam proclives, isti ad invidiam & tristitiam, hi partim ad lætitiam & amorem, partim ad metum & ignaviam synclimaticè, quomodo in Europæis, propter caloris interni excessum, notare licet audaciam, in Africanis ob ejusdem defectum timiditatem, in Asiaticis propter temperiem horum affectuum moderationem. III Quia, sicut nimia animi intensio, quæ cerebri opus, affert insaniam, ita lætitia & tristitia nimia mortem vel repentinam, id quod fieri haud posset, nisi hæ commotiones ipsum vitæ fontem peterent rectà, hoc est, cor, quod sicut primum vivens, ita ultimum moriens. Utut interim non desint, qui singulis affectibus singulas sedes tribuant, lætitiæ splenem, iræ fel, libidini jecur, quæ tamen partes non tam subjecta affectuum, quàm organa, incentiva, inquam, atque incitamenta intrinseca, sua per temperamenta.

26. *Scilicet in affectu triplex datur motus subordinatus* ἐν πλάτει, quorum primus facultatis cognoscentis, quæ excitata ab objecto illud cognoscit & judicat, primò absolutè, mox cũ conditione boni vel mali, afferentis

nobis.

nobis delectationem, vel tristitiam: Secundus facultatis appetentis, quæ expergefacta hoc judicio de objecto, illud appetit, si bonum, fugit, si malum: Tertius locomotivæ, quia excitatâ appetitione, vel fugâ, mox alterantur spiritus, certoquè modo corpus afficiunt, concitatis & coincitatis unà cum appetitu instrumentis motus, pro adeptione vel fugâ moventium: Quorum motuum primus affectus non est, verùm ejus origo & principium: Sed nec tertius, qui effectus veriùs, quàm affectus: Ergò medius, hoc est, motus facultatis appetentis, vergentis ad objectum, vel devergentis ab objecto, cum quâdam spirituum & corporis agitatione.

27. *Causa Affectus quadruplex est, Efficiens, Materia, Forma, & Finis.*

28. *Causa Efficiens sive Conficiens, Affectus vel Principalis est, vel Minùs Principalis. Principalis Causa Efficiens Affectus est idem Cor*, è cujus thalamo egrediuntur, & ad quem regrediuntur spiritus vitales, qui affectibus serviunt. *Minùs Principalis Causa Efficiens Affectus vel Instrumentalis est, vel Adjuvans. Causa Efficiens Instrumentalis Affectus* sunt fibræ cordis, quibus illud dilatatur & constringitur, quibusquè attrahit ac depellit quasi manibus objectum. *Causa Efficiens Adjuvans Affectus sunt Spiritus & Humores: Spiritus*, quia postquam apprehendimus objectum, & judicamus illud bonum aut malum.

lum esse, mox spiritus moti in cognitione feriunt cor, quod quasi ictum & pulsatum cietur, atque aut appetit objectum, aut fugit: *Humores*, quorum alii exæstuant in aliis affectibus, in irâ v. g. flava bilis, in tristitiâ nigra vel atra bilis, in lætitiâ sanguis. Ut ita Temperamentum, hoc est, naturalis temperatio spirituum & humorum, cùm in toto corpore, tum in vasis & visceribus interioribus ac principalibus, sit causa adjuvans affectuum. Dico, causa adjuvans. Neque enim affectus totaliter & necessariò pendent à corporis temperamento, uti sapores, odores, colores, verùm partialiter & contingenter. I. Quia plures ad affectuum generationem in homine concurrunt causæ, tam internæ, quo de numero institutio atque assuefactio, quæ unicuique dæmon, quàm externæ, qualequid objectum, quod ad varia variè homines allicit, tum ratione quantitatis, quoniam objectum, quò objectivius, hoc magis hominem movet, tum ratione qualitatis, quoniam idem, quò cognoscibili & cognitius, hoc magis eum impellit, quoniam quantò plus inest in cognitione intellectus, tantò plus est in desiderio appetitus: Atqui ratio, quæ affectibus superior, institutione atque assuetudine adjuta, naturæ dominatur, ejusquè propensiones in actum vel internum vel externum prorumpere semper non sinit, prout documentoque esse-

esse possunt biliosi, quos quandoq; temperare iræ cernas, phlegmatici, quos habenas laxare eidem, sanguinei, quos, in lætitiam proni cùm sint, ferri nihilominùs in contrarium per morem atque assuetudinem videas non semel. Usque adeò temperamenta inclinant tantùm, non necessitant! Quamvis enim homines ut plurimùm ita vivant, prout per naturam sunt proclives, tamen in viro moraliter renato, id est, rectè instituto, atque educato, secùs se res haber, superante ratione, & congruente consuetudine, depravatas naturæ inclinationes. II. Quia, si affectus totaliter, sive in solidum, sequerentur temperamentum corporis, tum verò inanes ac supervacaneæ essent omnes disciplinæ, elusoriæ atq; illusoriæ forent omnes rectæ institutiones, frustraneæ leges, inutiliter præmia probis pœnæ improbis proponerentur: Eccur? Quia enim de iis solùm leges & disciplinæ decernunt, quæ pertinent ad mores, haud aliâ de causâ, nisi quia ea sola sunt in nostrâ potestate, non item, quæ à naturâ temperamentovè in solidum. Nam deridendus profectò esset legislator, qui sanciret v. g. lege, viperas & scorpiones non debere esse venenosos, cancrum debere recto gradu incedere, conderidendus idem, siquidem viros naturâ deformes gibbosos claudicantes reprehenderet eo nomine, legeque statueret, ut tales non essent, qui si
vitiis

vitiis inquinatos perurgeat, cum ratione id facit, quia tales non naturâ, sed moribus.

29. *Objectum sive Materia circa quam Affectus* est bonum & malum in genere, sive ὄντως, verâ re tale, sive φαινομένως, apparenter atque adumbratè. Etenim cùm affectus non à sensu solùm, sed etiam à ratione, oriantur, non solùm bonum jucundum, & malum triste, ut in bestiis & pueris, puerorumque simillimis adultis, verùm etiam bonum utile ac honestum, & malum inutile ac turpe, affectus concitare possunt, ut in homine rationis compote, qui, si ratio cũ phantasiâ in ęstimatione boni vel mali consentit, sine ullâ tergiversatione amplectitur objectũ bonũ, aut repudiat objectum malũ, sin ratio & phantasia dissentiunt in judicaturâ boni & mali, tunc verò surgit in eo conflictus, saltem fluctuatio quædam animi, quæ non priùs componitur, quàm vel ratio affectum, Hercules Antæum, superaverit, vel affectus rationem, Antæus Herculem. Sed in homine benè affecto vincit Hercules scilicet, Dei filius, hoc est, ratio, non Antæus, terræ filius, hoc est, affectus. Cùm verò omnia sensuum objecta cient aff ctus, tum objecta visus & auditus vel maximè, quomodo v. g. sonum asperum raucum fractum ad indignationem & confidentiam provocare videas Alexandrum, quem Timotheus cantu suo exacuere solebat, mollem contrà sonum blan-

blandum & concinnum, ad castitatem & moderationem Clytemnestram, quâ non nisi post Demodoci cantoris cædem potiri Ægystus potuit, oculorum illiciis in eum amorem indutus & inductus.

30. Quamvis verò magna objectorum vis sit hâc parte, affectuum multò major, tanta tamen non est, ut propterea τὰ ἄλογα πάθη minùs sint ἀνθρωπικὰ, in hominis potestate, quàm ὁ λογισμὸς, persuade Ethicè, non Physicè. Nam Physicè quidem necessarii sunt affectus, & quà concipiuntur, & quà foventur, & quà deponuntur, nec magis in hominis potestate, quàm sensus, aut quidvis aliud naturâ ei insitum, enimverò Ethicè voluntarii sunt, & quà λῆψιν sumtionem, & quà φυλακὴν custodiã., & quà ἀφαίρεσιν depositionem. I. Quia homo liberè determinare potest suos affectus ad bonum vel malum morale, eosquè rectæ rationis imperio subjicere liberè, vel non subjicere, non valiturus id, nisi in ipsius essent potestate. II. Quia affectus diriguntur habitu, cujus nos sumus autores ad aliquem modum. Quanquam enim eorum principalis causa sit natura, & res objecta, tamen quia reguntur habitu, cujus causa nos sumus, certè hâc ratione ipsorum quoque causa in nobis est aliquo modo. Quorum namque causæ in nostrâ sunt potestate, etiam ea, quæ sunt effectus, in nostrâ sunt potestate. III. Quia nisi hoc esset, tum

verò

verò iterum vana foret omnis puerorum institutio, quâ ab ineunte ætate condocefiunt, ut discant affici iis rebus, quibus quando & quantum decet, frustraneæ forent omnes leges ac præceptiones de sedandis & compescendis affectibus, nullusquè mortalium ampliùs vituperari posset puniri vè ob affectuum intemperiem, cædem v. g. ex irâ, fugam ex metu.

31. *Forma Affectus* est ipse motus cordis, quo homo prosequitur aut fugit objectum, sive rem monstratam, vel, quod in idem recidit, ipsa persecutio, aut fuga. Scilicet objectum affectus, vel bonum est, vel malum: si bonum, tunc cor illud prosequitur: si malum, tunc aversatur, atque hæc persecutio aut fuga est causa formalis affectus.

32. *Finis Affectus, vel Remotus est, vel Proximus: Remotus* est salus & incolumitas animalis, quæ duabus rebus conservatur, boni consecutione, & mali propulsatione: *Proximus*, consequi idemmet bonum, & vitare idemmet malum. Etenim re cognitâ sub ratione boni fertur affectus in illam, quò obtineat eam, & contrà re cognitâ sub ratione mali aufertur ab illâ, quò eam viter.

33. Unde sequitur corollariè, *Affectus non esse in & per se sive toto genere malos*. I. Quia tendunt in bonum, atque ipsam adeò salutē animalis. Aut ergò natura frustrà homini cōcessit appetitum sensitivum, vel etiam perperam,

peram, aut motiones appetitus sensitivi, id est, affectus non sunt in malis numerandi, vel arguente id naturæ opificio, quæ implantavit homini facultatem irascendi & concupiscendi, deditquè huic appetitiones varias, harumquè instrumenta, cor, splenem, fel, jecur, haud dubiè ob finem aliquem, cùm natura nihil faciat frustra., sed omnia referat, vel ad cōservationem speciei, vel ad conservationem individui. Sicuti ergò huic insevit procreandi appetitum, propter conservationem illius, famem sitim propter conservationem hujus, ita & alias appetitiones, lætitiam, v. g. mœstitiam, amorem, metum, spem, iram, misericordiam indidit, ad expetenda convenientia, fugiendaquè contraria. II. Quia Deus non tantùm hominem affectibus obnoxium condidit in naturâ integrâ, sed etiam post lapsum eósdē præcepit, ut amorem sui, nostri, proximi, conjugum, liberorum, odium contrà turpitudinis; Jam verò haud dubiè Deus ter optimus præcipit res optimas. III. Quia ipsi quin Deo, & beatis mentibus, tribuuntur affectus in sacris, saltem καθ' ὁμοιότητα, secundum quandam similitudinem. Dicitur enim Deus irasci, misereri, pœnitudine duci, diligere, quæ minimè ei tribuerentur, si tantùm vitium & declinationem à ratione indicarent, nihilquè perfectionis & rectitudinis includerent. Quæcunque enim in homine

mine denotant perfectionem, ea verò tribuuntur quoque etiam Deo, verùm κατ' ἐξοχὴν, secundum eminentiam scilicet. IV. Quia ipse Dei filius, qui ab omni peccato fuit alienissimus & expurgatissimus, affectibus fuit præditus. Bis quippè flevit, cœpit angi, lætatus est, excanduit, misericordiâ affectus fuit. V. Quia nonnulli affectus facultatis irascibilis contra cupiditatem pugnant pro ratione, quare damnari nequeunt, quin ipsa damnetur ratio. VI. Quia id, quo benè vel malè uti possumus, non est ex se malum, quoniam, quod de per se malum est, nunquam ad laudabilem mediocritatem redigi potest: Atqui affectus sunt hujusmodi, cùm cupiant timeant lætentur doleant boni pariter & mali, sed illi benè, hi malè: Ergò. VII, Quia potentiùs ferimur in optatos fines affectuum beneficio, consequimur eos perfectiùs, fruimur his jucundiùs, siquidem affectibus non abutamur, verùm utamur ut famulis rectæ rationis, id est, non tanquam ducibus & consiliariis, sed tanquam comitibus & auxiliariis. Cùm enim affectus sint instrumenta, instrumentorum autem conditio & natura ex congruente usu sit æstimanda, per rectum porrò usum varias ex his eliciamus utilitates, jure utiles judicari debent, neque damnari infructuositatis aut infrugalitatis. Conspicimus siquidem v. g. iram conducere fortitudini,

qua-

quatenus vires auget, nosquè reddit expeditiores: Est & suus timori usus in declinandis periculis, misericordiæ item suus, quò aliis hoc promtiùs opem auxiliumquè feramus, item spei, quæ erigit afflictos. Geminum de reliquâ tribu affectuum judicium. VIII. Quia amor & odium ita per universam vitam, omnesquè nostras actiones, diffusa sunt, ut sine his vita nostra ne vitalis quidem sit. Absque amore namque & odio si foret, nemo se bonis adjungeret, nemo malis abjungeret, eorumquè consuetudinem fugeret. Atque adeò, quis non eum jure arguat, qui non amet amandos, oderit dignos odio? Qui, pro quibus oportet, non irascatur? Eorum, quorum misereri convenit, non misereatur? Qui non timeat timenda, speret speranda? Ut breve faciam: Omnis affectus est passio, passio est qualitas, qualitas est accidens, accidens est ens, omne ens est bonum, quare & affectus.

34. Sed & illud exindè sequitur, *Affectus quoque etiam cadere in Sapientem*. I. Quia affectus sunt motus naturales, qui in homine oriuntur naturaliter objecto proposito, quare sapiens illis non caret. Etenim, si affectus sunt naturales, ut sunt, tunc nemo ab illis potest esse liber: Aut, quid causæ dicemus subesse, cur ea, quę per naturam insunt omnibus, viro sapienti non insint, eaquè, quæ in & per se bona, non sint bona bono,

huic-

huicquè insint? Cùm enim affectus ex se non sint mali naturaliter, ad mediocritatem verò si revocentur. etiam sint boni moraliter, ergò in sapiente esse possunt. II. Quia affectus sunt pars imaginis divinæ in homine, quam inducere velle atque expungere in sapiente, impium. III. Quia heroici impetus sunt affectus: Hi verò singularia Dei dona: Quare boni: Si boni, ergò cadunt in sapientem, qui non impenetrabilis, ut rupes, nullum sensum admittens, uti poëta ille anonymus, qui sic Stoicabundus de se saxeo ore & pectore:

Nescio, quid sit amor, nec amo, nec amor,
nec amavi.

Dico Stoicabundus, hoc est, Stoicos sequens, qui sic logicabantur captiosè: Qui morbosi sunt, sani non sunt: Qui sani non sunt, insipientes sunt: Ergò, qui morbosi sunt, sapientes non sunt: At ii, qui affectus sentiunt, morbosi sunt, quoniam hi sunt morbi animi: Quare affectus nullatenus cadunt in sapientem, ut qui sanus, non morbosus! Quasi verò hoc verum sit de affectibus in genere, & non potiùs de æquivocis affectuum appositionibus, hoc est, excessu & defectu affectuum, affectibusvè rationi adversis, in quibus medium ferire non licet, ut sunt ἐπιχαιρεκακία, ἀναισχυντία, φθόνος.

CAPUT XXXVII.

Annon Bellum hoc Ethico-Patheticum quadamtenus possit componi inter partes, serram contentionis reciprocantes, per syncretismum Philosophicum, idquè viâ conciliationis sequestræ?

§. 1. BEllum, fas ita loqui, *Ethico-Patheticum Peripateticorum & Stoicorum*, *partim Nominale est*, *sive Philologicum*, *partim Reale*, *sive Philosophicum*, *utrumque Logomachicum*.

2. *Nominale sive Philologicum hactenus*: Quia enim non convenit partibus de significatione vocis. Quod enim affectum volunt esse Stoici, quibus affectus est nomen rei naturâ suâ & per se vitiosæ, id Peripatetici negant, quibus affectus nomen rei, per se & naturâ suâ non vitiosæ, sed quæ tamen per excessum & defectum vitiari possit. Hinc, quod hi affectum, illi ægritudinem & perturbationem vocant, ipso nomine involventes vitium.

3. *Reale sive Philosophicum hactenus*: Quia Stoici affectus omnes opinione definiunt, ut qui primò in geniturâ eorum considerent φαντασίαν, visionem animi subitam, quâ mens hominis primâ statim specie rei objectæ movetur, secundò εἶξιν, cessionem sive admissionem motus, quâ eadem mens hominis, sic mota, vi quâdam pellitur, ut si sonus aliquis formidabilis è cœlo, aut ex ruinâ, sit datus, repentinusvè periculi nuncius allatus,

tus, quo in casu sapientis quoque animum paulisper moveri contrahi pallescere ajunt, ita tamen, ut quamvis breviter ac strictim colore & vultu mutetur, statum interim vigoremquè sententiæ suæ retineat, quam de hujusmodi visis terrificis semper habuit, neque tam moveatur præsentiâ mali, quàm motu rapido atque inconsulto, ideoquè involuntario, tertiò συγκατάθεσιν consensionem, quâ eadem mens humana dictam φαντασίαν atq; εἶξιν assensione suâ approbat stultorum more, qui, qualia sibi esse primo animi sui impulsu visa sunt sæva atq; aspera, talia esse putant, proptereaquè perturbantur quoque, quartò ὁρμὴν, appetitus concitationem, adeoquè ipsum affectum: Enimverò Peripatetici non opinione hos sed motu definiunt, eoquè sensitivo, sive appetitus sensitivi, cujus affectus sunt motus. II. Quia Stoici omnes affectus toto genere, sive in totâ latitudine suâ, malos esse pronunciant, distinguendo etiam atq; etiam inter πάθος, quod de eorum sententiâ nihil aliud, quàm aversa à rectâ ratione & vehemens contra naturam animi commotio, quæ, si oriatur ex opinatis bonis, libido his & lætitia, sin ex malis, metus atque ægritudo, & εὐπάθειαν, quæ de eorundem sententiâ nihil aliud, quàm commotio animi placida, constans, & secundum rationem, quæ, si oriatur ex opinatis bonis, voluntas his & gaudium, sin

 ex

ex opinatis malis, cautio, quoniam ægritudini, tanquam πάθει, nullam εὐπάθειαν, sive affectionem laudabilem, opponunt, eò quòd nolint sapientem suum præsentis mali opinione affici. Non sine ratione in speciem. Voluntas siquidem bonum appetit, id quod quoque facit sapiens, collaterale huic gaudium est de bono adepto, quod & sapiens adipiscitur, cautio hinc devitat malum; quod & sapiens debet effugere, qui, sicut vult & gaudet, ita quoque cavet cavenda, at quia ægritudo de malo est, quod jam accidit, nullum verò malum potest accidere sapienti, ideò nihil in animo sapientis pro illâ ponere Stoici. III. Quia Stoici negant, affectus cadere in sapientem, quem velle quidem concedunt, at non cupere, gaudere, at non lætari, cavere, at non metuere, nedum præsentis mali sensu permoveri, cujus contrarium astruunt Peripatetici.

4. *Utrumque Logomachicum, & quà λόγον, quatenus signat orationem, & quà λόγον, quatenus designat rationem.*

5. *Quà λόγον, quatenus signat orationem:* Quia, utut rectè de hoc articulo morali senserint Stoici, malè tamen locuti sunt, ut qui universum genus perturbationum damnando, damnârint eam partem, quæ ab ipsisquè damnatur Peripateticis: Atqui non tantùm sentiendum cum doctis, sed & loquendum, minimùm usu artis, quoniam Philosophum

phum δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, oportet argutari.

6. *Quà λόγον, quatenus designat rationem.* I. Quia affectus opiniones & judicia, si non propriè, saltẽ metonymicè, si minùs in sensu formali, minimùm in causali, quomodo eclipsinquè solis dicimus esse interpositionem lunæ inter solem & oculum nostrum, eò quòd interpositio hæc defectus solaris sit causa, similiterquè eclipsin lunæ interpositionem terræ inter solem & lunam, quia interpositio hæc deliquii illius causa, quo dicendi charactere metum ipse Aristoteles appellat expectationem mali, non quòd sit ipsa expectatio mali, verùm quòd affectus ortus ex expectatione ejus. II. Quia, si affectus consideres ut motus cum Peripateticis, ita moraliter indifferentes sunt, hoc est, nec boni, nec mali moraliter, naturaliter interim boni, quoniam tunc nihil intelligitur aliud, quàm ipsæ appetitiones simpliciter, appetitio autem, ut appetitio, naturalis est, ideoquè bona: Sin eosdem consideres cum Stoicis, ut extravagantes, & quatenus à præscripto rationis exorbitãt, tunc omnes utiq; mali sunt: Aliud autem est, dicere, affectus non esse bonos aut malos moraliter, quatenus sunt affectus, id quod dicunt Peripatetici, aliud dicere, affectus nullo modo esse bonos aut malos moraliter, quod ne ipsi quidẽ dicunt Stoici. Sicut enim actiones multæ sunt malæ, & nulla tamen earũ est mala,

quà est actio: Ita etiam affectus mali esse possunt, ut sunt omnes, qui contra rationem pugnant, neque tamen mali sunt, quatenus sunt affectus. Sic ire v. g. contrectareque rem, malum non est, quatenus est ire & contrectare quippiam, licet ire in ganeum, & contrectare rem alienam invito domino, malum sit: Ad eundem modum, nec irasci nec dolere malum est, quatenus utrumque est tale, licet irasci innocenti, aut dolere propter voluptatem amissam, malum sit. Quare sicut non sequitur, omnis dolor, qui ex re capitur, ob quam dolere non oportet, qualis dolor invidia, est malus, igitur dolor simpliciter: sic non sequitur, omnes affectus exorbitantes ab honestate sunt mali, ergò affectus simpliciter! III. Quia affectus considerari possunt, vel simpliciter, & sic in sapientem quoque cadunt, quoniam quà naturales cadunt in omnes homines, vel cum adjectione, & sic partim cadunt in sapientem, partim non cadunt in sapientem, cadunt, si boni moraliter, non cadunt, si mali.

7. Ut ira affectatum sit discrimen Stoicorũ inter τὸ πάθος καὶ εὐπάθειαν, quorum illud cadere volunt in animum insipientis tantùm, quem cupere, lætari, metuere, ægrè ferre patiquè faciunt, hanc in animum sapientis tantùm, quem velle, gaudere, cavere, non item perturbari. Neque enim patet ratio,

cur

cur, dum animus sapientis movetur post rectum judicium, vult, gaudet, cavet, non debeat ea motio appellari πάθος, præsertim cùm pertineat, vel ex Stoicantium sententiâ, ad eandem facultatê, nempè cognoscentem. Deinde, si ea motio est εὐπάθεια, bona affectio, affectio utique erit: Dicere autem, quòd non sit affectio, verùm constantia affectioni opposita, hoc verò est mutare nomen, non rê, immò uti nomine minùs rectè.

CAPUT XXXVIII.

Divisio Stoica Affectuum in quatuor, & Peripatetica in duas classes, Ἐπιθυμίαν Concupiscentiam, & Θυμὸν Animositatem sive Animi Vigorem.

§. 1. *Varia na varia Affectuum celebrantur Divisiones in Scholis Philosophicis, sed receptissima, una Stoicorum, altera Peripateticorum.*

2. *Una Stoicorum, cùm secundum differentiam Præsentis & Futuri Boni Malivè hos dividunt*, ita ut Desiderium sit boni absentis, ejusquè fons & fundus jecur, Lætitia boni præsentis, ejusquè fons & fundus splen, Fuga mali absentis, ejusquè fons & fundus cor, Tristitia mali præsentis, ejusque fons & fundus fel.

3. *Altera Peripateticorum, cùm eosdem dividunt in* Ἐπιθυμητικὰς καὶ Θυμικὰς. Quæ divisio non tantùm suo diviso condivisa, cùm

non dentur affectus extra hos, verùm etiam contradivisa in se quoad partes dividentes. Probatur. I. Quia affectus ἐπιθυμητικοὶ καὶ θυμικοὶ habent diversa objecta formalia : Atqui diversitas speciei sequitur diversitatem formæ, vel in eâdem materiâ, sicut diversitas generis diversitatem materiæ, quo fit, ut affectus prænominati differant sicut species illius generis, respiciendo ad diversa objecta specialia, comprehensa sub uno objecto materiali, quod in præsentiquè argumento bonum & malum sensibile, in quod affectus ἐπιθυμητικοὶ tendunt absolutè, θυμικοὶ sub ratione ardui, prout est vel adipiscibile, vel fugibile, cum aliquâ difficultate, non quasi difficultatem illam expetant, sed quòd utilitatem, cujus causâ difficultatibus obluctantur, easquè superant, removendo obstacula, quæ obstant, quò minùs bonum consequantur, malumvè fugiant.

4. *An verò, sicut Affectus* Ἐπιθυμητικοὶ καὶ Θυμικοὶ *re & specie differunt à se invicem, ita & τὸ* Ἐπιθυμητικὸν καὶ Θυμικὸν *? Et utrum horum prius sit ordine naturæ ac dignitatis ?* De hoc dilemmate & bicommate ita Scholæ.

5. *De priori, quòd τὸ* Ἐπιθυμητικὸν καὶ Θυμικὸν, *hæ duæ confacultates, non realiter, sed ratione tantùm, sint distincta*, per ordinem videlicet ad diversos actus & objecta, ita ut unus idemquè reâpse appetitus sensitivus, sub unâ consideratione, & respectu quo-

quorundam affectuum, dicatur concupiscibilis, sub aliâ verò consideratione, & respectu aliorum affectuum, irascibilis. Firmatur: I. Quia unus idemquè appetitus potest omnes illos actus præstare per diversos modos tendendi in suum objectum. Sicut ergò non statuuntur diversi intellectus, qui res spirituales & corporeas cognoscant, aut diversæ voluntates, quę in res sensibiles & immateriales inclinentur, ita nec statui debent diversi appetitus ex solâ objecti diversitate, cumquè una voluntas ad totam boni latitudinem se extendat, cur non etiam appetitus sensitivus ad omne bonum sensibile? II. Quia unicum est objectum formale adęquaquatum appetitus sensitivi, quare unica quoque potentia. Quamvis namque appetitus irascibilis feratur in bonum arduum, tamen illud bonum, quà arduum, non est illi ratio appetendi, eò quòd difficultas appetitum arceat potiùs, id quod tamen dicendum foret, si bonum arduum diversam constitueret potentiam. Ut enim τὸ arduum inprimis fulgeat in appetitu irascendi, sive attinentibus ad appetitum irascendi, tamen propterea non est ocyùs ratio constitutiva facultatis, non magis quàm τὸ intelligibile arduum intellectus, visibile arduum visus distincti. III. Quia unicus est sensus internus, qui se extendit ad cognoscendum omne sensibile, ergò & unus appetitus ad appetendū omne

bonum sensibile: Eccur id? Quia enim appetitus sequitur potentiam cognoscendi, illiquè conformatur.

6. *De posteriori, quòd ex duabus prædictis facultatibus & potentiis ordine naturæ prius sit* τὸ Ἐπιθυμητικὸν τῷ Θυμικῷ, *ordine verò dignitatis prius* τὸ Θυμικὸν τῷ Ἐπιθυμητικῷ.

7. Τὸ Ἐπιθυμητικὸν *prius* τῷ Θυμικῷ *ordine naturæ*, tum quia affectus concupiscibiles versantur magis circa finem, irascibiles verò potiùs circa ordinata sive destinata ad finem, jam verò finis prior ordinatis in finem, tum quia naturaliter ex affectibus concupiscibilibus cæteri, qui in irascibili sunt, oriuntur, tum quia affectus concupiscibiles vertuntur circa objectum, sub generali ratione, affectus verò irascibiles sub ratione contractiore. Superaddit siquidem objectum irascibilis objecto concupiscibilis arduitatem, quod propterea ordine naturæ non non posterius illo, tanquam proprium communi, respectivum absoluto.

8. Τὸ Θυμικὸν *prius* τῷ Ἐπιθυμητικῷ *ordine dignitatis*, tum quia objectum ejus præstantius, tum quia proximius rationi, pro quâ pugnat, tum quia spiritalior hæc pars, & robustior in comparatione, ideoquè generatione quidem posterior, at dignitate prior. Quāvis non desint, qui τὸ Ἐπιθυμητικὸν etiā ordine dignitatis prius esse contendāt τῷ Θυμικῷ, eò quòd appetitus irascibilis

sit

sit minister concupiscibilis, animaliaquè irascantur propter concupiscibilia, non concupiscant propter irascibilia, sed contendant.

9. Ac de distinctione affectuum in genere, in specie verò affectuum in ἐπιθυμητικὸς καὶ θυμικὸς, secundum τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν appetitus, tantum est, nisi quòd in caudâ addendum aliquid de numero eorum undenario, cujus hæc reddi solet ratio. Affectuum, inquiunt, quidam respiciunt bonum aut malum simpliciter, pertinentquè ad appetitum concupiscibilem, alii bonum aut malum arduum, pertinentquè ad appetitum irascibilem. Illi sex sunt numero, tres respectu boni, totidem respectu mali. Oblatâ siquidē re bonâ excitatur primùm in concupiscibili illius amor. Quòd si ea res sit absens, consurgit inde desiderium, quod est motus in rem absentem: Sin præsens, lætitia, quæ rei præsentis & adeptæ: Similiter oblatâ re sub ratione & notione mali, oritur primùm in concupiscibili odium, objectivum sive contrarium amori. Quòd si res, quam odio persequimur, absit, oritur atque exoritur inde fuga, objectiva sive contraria desiderio, quâ malum absens aversamur: Sin adsit, nascitur inde tristitia, objectiva lætitiæ, quâ malum præsens refugimus. Hi quinque numero, duo respectu boni, tres respectu mali. Etenim, si objiciatur res respectu boni ardui, quam quis obtinere

ſe poſſe judicet, tum provenit ſtatim in iraſcibili ſpes: Sin putet, eam ſe conſequi non poſſe, exiſtit deſperatio: Non eſt autem in iraſcibili aliquis motus reſpectu boni, quod adſit & poſſideatur, quoniam quod jam adeptum eſt, non habet rationem ardui. Cæteri tres affectus, qui malum arduum ſpectant, vel illud ſpectant ut abſens, vel ut præſens: Si ut abſens, oritur inde timor, vel audacia, ille, ſi id formidemus propter difficultatem, hæc, ſi aggrediamur illud, quò depellamus eam. Quòd ſi malum arduum ſit pręſens, tunc conſurgit ira, quâ animus exardeſcit ad depellendum malum pręſens.

10. Nos in hoc ancipitio Peripateticabimur in Stoâ, & Stoicabimur in Peripato, revocatis Affectibus ad duas claſſes cum Peripateticis, Ἐπιθυμίαν videlicet & Θυμὸν, ad quatuor verò cum Stoicis, Deſiderium videlicet, Fugam, Lætitiam, & Triſtitiam, ſubordinatis ſubordinandis Pathologicè.

CAPUT XXXIX.

Species Affectuum Ἐπιθυμητικῶν, ſive Primæ Claſſis.

§. 1. *SUmma Genera Affectuum, & quaſi Prædicamenta, ad quæ cæteri affectus reducuntur completivè, cum Stoicis ſunt quatuor, Deſiderium videlicet, Fuga, Lætitia, Triſtitia,* ſecundum differentiam temporis futuri & præſentis, inducentis ſpecificam differentiam.

tiam in actibus sive modis tendendi in objectum absens & præsens, quibus illud diversimodè apprehenditur: *Species verò Subordinata, horum Generum Subordinantium, cum Peripateticis sunt, inter Affectus* Ἐπιθυμητικοὺς, *Desiderii duæ, Gratia & Amor, Fugæ totidem, Malevolentia & Odium, Lætitia una, persuade, ἡ* Ἐπιχαιρεκακία, *Tristitia septem, Misericordia, Nemesis, Invidia, Zelus, Zelotypia, Pudor, Pœnitentia, inter Affectus verò* Θυμικοὺς, *Desiderii tres, Spes, Desperatio, Audacia, Tristitia duæ, Metus & Ira.*

2. De singulis agemus ordine atque ordinatè, de Affectibus Ἐπιθυμητικοῖς hoc capite, Θυμικοῖς proximè insequenti.

3. *Desiderium Subordinans* est affectus appetitus sensitivi, quo expetimus bonum absens, sive bonum futurum nondum obtentum, quod uti conveniens fuerit perceptum. Hoc nominis accepit à sideribus, quasi de sideribus peteremus, quod mediante eo petimus & appetimus. *Differt à Spe, Concupiscentiâ, & Amore*: A spe hactenus, quia spes de bono arduo, & difficilis adeptionis, desiderium contrà de bono, quod facilè obtinetur, spes minùs constans & firma, desiderium magis, pro subjecti sperantis & desiderantis conditione: A concupiscentiâ hactenus, quia desiderium rationalius, tanquam bonum rationis atque animæ, concupiscentia verò sensibilior, ut

quæ boni secundum sensum : Ab amore hactenus, quia amor rei habitæ, sive absentis, sive præsentis, desiderium verò rei habendæ, sive absentis, ut quod re præsente cesset, cùm amor naturâ suâ magis augeatur præsentiâ objecti amabilis.

3. *Gratia Subordinata Desiderio* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, per quē, qui habet, dicitur gratificari indigenti, non ut aliquid pro eâ benevolentiâ sibi reddatur, aut utilitas aliqua ex eo officio obveniat, sed solùm, ut illi, cui quis gratificari vult, aliquid boni contingat. Dico, pro eâ benevolentiâ. Neque enim vocabulum gratiæ heic significat, vel ipsum *δῶρον* beneficium, vel *ἀντίδωρον* sive *ἀντίδοσις*, retributionem beneficii, vel *τὰ φιλητά*, conciliativa benevolentiæ alienæ, ceu sunt, gratia morum, formæ, orationis, vel effectum gratiæ, tam nostræ, quàm alienæ, quomodo hominem gratiosum dicimus inde passivè, verùm benevolentiam, quâ alios complectimur, ad quam quinque requiruntur ingredientia vi definitionis. 1. Ut detur, quod datur, gratis, hoc est, animo benefaciendi. 2. Ut indigenti. 3. Ut non remunerationis loco, sive pro re aliquâ. 4. Ut non ideò, quò is, qui dat, aliquid recipiat. 5. Ut ideò, quò is, qui indigus est, sublevetur. Atque hinc pendet gratiæ, ut incrementum, ita decrementum: Incrementum, si res, quæ dantur, sint magnæ,

gnæ, difficiles, opportunæ, si, qui gratificantur, aut soli sint, aut primi, aut præcipui: Decrementum, si qui suum commodum in dando aucupentur, si fortuitò & casu dederint, si coacti, si denique reddiderint potiùs beneficium, quàm dederint, idquè sive scientes, sive ignorantes, quoniam utroque modo quid pro quo redditur, aliquid pro aliquo.

4. *Amor Sensitivus sive Animalis, Subordinatus Desiderio*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis; per quem expressivâ apprehensione boni in illud fertur, eiquè per effectum sese coaptat. Undè affectus unionis Scaligero, allubescentia appetitus Ludovico Vivi, complacentia ejusdem Thomæ in eo, quod uti bonum fuerit perceptum, audit. Dico, amor sensitivus, ut hoc genere comprehendam, & amorem amicitiæ, qui affectus in personam, cui bonum desideramus, & concupiscentiæ, qui fertur in rem, quam alteri personę vel nobis desideramus, qui duo amores unum perfectum integrant amorem. *Differt à Dilectione & Charitate*: A dilectione hactenus, quia amor aliquid cõmunius dilectione, quæ supra amorem addit electionem præcedentem, ad complacẽtiam, inquam, rationis delectum, ut vel ipsũ nomen sonat: A charitate hactenus, quia hæc species dilectionis, addens huic ad rationem communem amoris perfectionem, quan-

quandam amoris, in quantum id, quod amat, magni precii æstimat, ut ipsum iterum nomen designat. Magni quippè ęstimare, quod diligas, hoc est charum habere, sicut amare cum delectu rationis, diligere. Ut ita omnis dilectio, omnisquè charitas quidem sit amor, illa amor quidam cum rationis delectu, hæc amor rei, quam magni facimus, non contrà omnis amor dilectio, charitasvè, ad eum modum reciprocationis, quo bis duo sunt quatuor, & cõtrà quatuor bis duo, aut quo rectilineum rectas lineas habens, & contrà rectas lineas habens rectilineum.

5. *Fuga Subordinans* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, quo nolumus atque aversamur malum, quod nobis imminet, inappetitus, inquam, mali futuri nondum præsentis, quo præsente non cessat interim, eò quòd natura malum perpetuò detestetur. *Differt eodem modo à Desperatione atque Odio, quo Desiderium à Spe atque Amore.* Sicut enim desiderium est boni facilis nondum obtenti, spes verò boni difficilis obtinendi, ita fuga mali facilis inobtenti, desperatio verò boni difficilis inobtinendi, sicutquè in fugâ datur recessus à malo, ita in odio displicentia mali, respondens recessui.

6. *Malevolentia sive Malignitas, Subordinata Fuga*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, quo malefacimus ei, qui nihil mali intulit, id quod pessimum. Sicut enim

enim reddere bonum pro malis optimum, reddere bonum pro bonis justum & æquum, ita non reddere bonum pro bonis malum, reddere malum pro malis pejus, reddere denique malum pro bonis, vel etiam non malis, id verò pessimum.

7. *Odium, Subordinatum Fuga*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, quo appetitus avertitur à re, vel personâ, ex aliquâ disconvenientiâ, præcisè in eâ apprehensâ, repugnantia, inquam, appetitus adversus id, quod apprehendimus, orta ex incongruitate rei apprehensæ cum appetitu, sive displicentia ejus in re sibi minùs conveniente. *Differt ab irâ, etiam inveteratâ*. I. Quia odium ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, ira ἐν τῷ θυμικῷ, illud mali, hæc boni, quod minùs urget, quàm malum. II. Quia odium habitui simile, cùm sit obfirmata affectio, ira verò dispositioni, quo fit, ut ira sanetur tempore, odium non item, saltem non æquè, iratus acquiescat ultioni, odio habens non item, iratus sæpè misereatur ejus, cui irascitur, odio habens non item. III. Quia odium sine mensurâ naturâ suâ, ut quod cupiat non esse illud, quod odit, ira verò cum mensurâ, ut quæ spectet justitiam. Omnis siquidem, qui irascitur, arbitratur se præter jus fasquè læsum esse, & ideò quærit æqualitatem, eâquè obtentâ quiescit, ut vel ex incontinente iræ patet, qui aliquâ ex

parte

parte audit rationem, ejusquè mandatum exequi conatur, peccans in eo, quòd citò. IV. Quia odium studet inferre damnum potiùs, quàm dolorem, quo vacat, ira dolorem potiùs, quo-cum est conjuncta. V. Quia odium fertur in certa hominum genera, sycophantas, parasitos, lenones, ira in singularia sive individua. VI. Quia odium excitatur in rebus, quę ad nos aut nostros haud pertinent, quomodo odimus piratam, furem, mendacem, ira contrà. Sed cur ab irâ etiam inveteratâ & adultâ, cùm tamen à nonnullis per eam definiatur? Quia enim genus à specie abesse nequit, ira autem ab odio abesse potest, v. g. in sapiente, qui odit ea, quę virtutum luminibus officiunt, neque tamen commovetur, odit iniquum judicem, neque tamen offenditur.

8. *Lætitia Subordinans* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, ex bono præsenti ac percepto proveniens, non quasi appetitus per eam ad aliquid tendat, sicuti in desiderio contingit, aut quasi semper requirat realem boni possessionem, plenamvè; sed quòd ab appetibili præsente afficiatur atque immutetur ferè, mediâ suavi quâdam spirituum animalium circa cor alteratione, & thalamorum cordis dilatatione, sic dicta quasi latitia exinde: Ab appetibili præsente autem? Immò etiam præterito, etiam quin futuro, quoniam sicut recordatione præte-

rito-

ritorum ita futurorum perceptione sæpenumerò lætamur. *Differt à Gaudio*, secundum alios, ut genus & species, ita ut lætitia illius sit nomen, gaudium hujus, secundum alios ut species distincta, ita ut gaudium sit appetitus rationalis, lætitia verò sensitivi, secundum alios, ut latius & angustius, ita ut lætitia sit communis tam brutis quàm hominibus, gaudium verò hominibus proprium, secundum alios modo apprehensionis, ita ut lætitia exteriorem rei apprehensionem sequatur, conquè sequenter sensus, gaudium verò interiorem, hoc est, memoriam & imaginationem.

9. Ἡ Ἐπιχαιρεκακία, *Subordinata Lætitia*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, quo lætamur rebus adversis bonorum, & rebus secundis malorum, exemplo Timonis, qui, cùm alios odisset omnes, unum exosculabatur Alcibiadem, quòd eum Atheniensibus magno futurum malo prospiceret, hasquè sibi leges tulit apud Lucianum: Si quando conspexero incendio conflagrantem, & obtestantem, ut restinguam, oleum & picem affundam, si alium flumen undis abstulerit, isquè manum porrigens imploret, ut retineatur, hunc quoque, ne possit emergere, propellam. *Differt ab* Ἐπιχαιραγαθίᾳ, quòd hæc bonis alienis gaudeat, illa malis, hæc plerunque bona sit, nisi malorum felicitate gaudeat tamen

aliis.

aliis perniciosâ, illa plerunque mala, nisi impiorum è miseriis capiatur tamen. Neque enim peccâsse videtur populus Romanus, quòd interitu Tiberii, Caligulæ, Neronis, Domitiani, Heliogabali, lætatus est. Quamvis interim viri boni non tam afficiantur gaudio ob res adversas malorum, quàm ob bonorum res secundas & lætas.

10. *Tristitia Subordinans* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, ex malo præsenti & percepto proveniens, cum aliquâ cordis contractione, affectus, inquam, ex apprehensione mali præsentis ortus, aliâs exterior, ex malo conjuncto corpori, per sensum exteriorem apprehenso, aliâs interior, ex malo conjuncto appetitui, per sensum interiorem apprehenso: Mali præsentis autē? Immò præteriti & futuri. Etenim non præsentia tantùm, sed & præterita ac futura mala nos haud raro tristitiâ afficiunt, præterita, si malè tibi sis conscius, futura, siquidem pœnas delictorum impendere perspicias, in quorum altero locum habet pœnitentia, in altero anxietas. Quòd si dolor hic sit premens, *Angor* dicitur, à verbo ἄγχω, quod est strangulo, si flebilis, *Mœror*, à verbo μείρομαι, quod est in sortem accipere, unde μοῖρα, quæ propriè portio, deinde fatalis portio, demùm portio fatalis felix, vel etiam infelix, cujus mœror pars, si permanens,

manens, *Lamentatio*, si cum ejulatu conjunctus, *Planctus*, indignus heroibus, quos tamen poëtæ miserabiliter ejulantes passim inducunt, si cum ploratu, *Luctus*, si cum labore corporis, *Ærumna*, si cum labore animi, *Solicitudo*, quæ si diuturnior fuerit, & animum ægritudine pertinaci vexaverit, appellatur *Molestia*, sin corpus ægrotatione, *Afflictatio*, quæ ægritudo animi cum corporis vexatione, finitore Cicerone.

II. *Misericordia, Subordinata Tristitiæ*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, natus ob malum, quod videtur perniciem aut molestiam allaturum ei, qui isto malo est indignus, & quod ipse putet se pati posse, aut suorum quempiam, ac inprimis, cùm malùm videtur imminere, alienæ, inquam, miseriæ in corde nostro compassio, unde & nomen accepit ex eo, quòd miserum faciat cor dolentis alienam miseriam, sed absque miseriâ scilicet, quomodo in Deoque datur misericordia; ejusquè imitatore sapiente, sine ullâ cordis miseriâ, licet uterq; miserans cor habeat super afflictum; ille analogicè, hic verè, quoniam verè ejus cor miseratur alium, id quod proprium misericordiæ, quæ hîc non definitur, ut dispositio, habitusvè acquisitus, id est, ut compassio ex virtute, aut vitio, quarum illa laudabilis, hæc culpabilis, verùm ut est inclinatio & affectus naturalis, sive compassio ex naturâ,

naturâ, in & per se irreprehensibilis, ut quæ nec habeat culpam, quia à naturâ, nec præmium, quia non ex virtute. *Differt à Miseratione, sicut Misericors à Miseratore, τὸ Misereri à τῷ Miserari*, quia enim misericordia dolor animi interior, miseratio ejusdem doloris significatio exterior, misericors anxius animi propter alienam calamitatem, miserator exhibitivus operum misericordiæ cum compassione, τὸ misereri conjunctum cum cordis affectu, τὸ miserari cum rei effectu.

12. *Cæterùm duo complectitur definitio Misericordiæ, Subjectum & Objectum, tam Reale, quàm Personale. Subjectum Misericordiæ est Homo Misericors, sive is, qui misericordiâ afficitur*, quo de numero, calamitosi vel nunc vel olim, timidi rerum adversarum, contumeliæ expositi &c.

13. *Objectum Reale Misericordiæ est Malum*, non quodlibet, sed φθαρτικὸν perniciosum, ut sunt, verberationes, lacerationes, sive corporis cruciatus, morbi, mors, λυπηρὸν, grave sive molestum, ut sunt, defectus membrorum, deformitas, orbitas, miseria vitæ æqualis, mors, postquam se offert occasio vitæ melioris, utrumque vel ὄντως vel saltem φαινομένως tale, cùm fieri possit, ut, quem homines miserabilem esse existimant cum Abderitis, is sit felicissimus, denique πλησίον, imminens sive propinquum, quia, si longinquum sit, non magnoperè alterius

eo malo afflicti calamitate movemur: *Personale ii, qui hoc malum patiuntur*, personæ putà miserabiles, ceu sunt, noti & familiares, dummodò nimiâ sanguinis propinquitate nobis conjuncti non sint, erga quos attoniti magis esse solemus in ipsorum calamitatibus, quàm misericordes, &c.

14. *An verò affectus misericordiæ etiam cadat in sapientem*, anquiritur? Stoici negant, qui somniabant, suum sapientem nullâ animi commotione teneri, nedum hâc, eò quòd ei sat sit, culpâ vacare, iniquumquè sit, sapientem alienam culpam luere, alienovè incommodo torqueri, cùm ne suo quidem moveatur, inducti ad hoc paradoxum haud dubiè etymo misericordiæ, quæ ex eo videtur appellata, quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo. Quasi verò non ab omni miseriâ liber sit sapiens, etiam tunc, cùm subvenit inopi, cùm esurienti cibum prçstat, potumquè sitienti, cùm vestit nudũ, cùm peregrinum recipit tecto, cùm oppressum liberat, cùm deniq; humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum, quoniam id facit mente liberâ, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis. Cur enim huic obsit nomen, cùm absit miseria? Quòd si æquum, prosperis hominis rebus lætari, quidni & adversis ejus rebus angi, præsertim cùm videamus hîc suo exemplo nobis præire bruta, quæ non

non mediocriter commoventur, cùm intuentur aliquod sui generis verberibus aut dolore aliquo affici, horumquè cadavera exhorrent, quasi interitum illorum aliquâ misericordiâ prosequerentur: Bruta autem? Immò ipsum Christum, τὸν τελεάγιον, qui non semel misericordiâ motus fuit, convenienter proverbio, quo viri boni dicuntur facilè lacrimari, contrà verò viri improbi viscera non mollescere.

15. *Nemesis sive Indignatio, Subordinata Tristitia*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, conceptus ob immerentium felicitatem, sive bona, non promiscuè atque indifferenter omnia, non utique ob bona honesta, seu virtutes, quæ homines dignos reddunt, non indignos, sed ob illa, quæ in indignos quoque cadere possunt, ut sunt divitiæ, potentia, nobilitas, pulchritudo, quibus bonis digni quidem, immò bis digni, sunt viri boni, existente nihilominùs possessione eorum ipsis communi etiam cum viris non bonis. *Differt à Misericordiâ*, quia hæc aliorum in malis occupatur, in bonis verò Nemesis. Sicut enim illa est dolor propter indignas res adversas, ita hæc dolor propter indignas res secundas, & sicut illa condolet iis, qui præter meritum sunt infelices, ita hæc succenset illis, qui præter meritum sunt fortunati.

16. *Invidentia, Subordinata Tristitia*, est affectus

ctus appetitus concupiſcibilis, conceptus ob proſperitatem, quæ apparet in externis bonis, erga ſimiles, non ut aliquid boni accedat invidenti, ſed propter illos, quibus invidetur.

17. Juvat ἀναλύειν. *Definitum eſt Invidentia*, quæ hoc diſſidet ab invidiâ, quòd hæc ſe habeat merè paſſivè, quomodo dicimus aliquem laborare magnâ invidiâ, hoc eſt, pati quid magni ab invidis, invidentia verò etiam activè, quomodo dicimus aliquem laborare invidentiâ magnâ, hoc eſt, triſtitiâ, ob alterius res ſecundas conceptâ: Sic dicta, vel ab invidendo, hoc eſt, non videndo, ut τὸ in ſit στερητικὸν, eò quòd invidis oculi doleant ob alienum bonum, eaquè ægrè videant & inviti, quomodo inviſosquè dicimus, quos ne aſpectu quidem dignamur, vel ab invidendo, hoc eſt, nimis intuendo aliorum fortunas, & quaſi fixo continuo curioſoquè obtutu aſpiciendo, ita ut τὸ in ſit αὐξητικὸν ἢ ἐκτατικὸν. Eſt enim hoc proprium invidiæ, ut mœreat alienis bonis, & lætetur alienis malis. Aliter livor appellatur, per metonymiam effecti, quia invidentia, quæ phtiſis animi, dominum ſuum exedens, hoc ſigno ſe prodit in vultu & corpore invidentis, quod & ipſum facit φθισιᾶν, tabe conſumi.

18. *Definitur Genere, & Differentiâ Specificâ.*

19. *Genus Invidentiæ* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, tristitiæ subordinatus, adeoquè tristitia quædam, ut quæ occupetur circa bonum quidem, idquè alienum, ast ut malum proprium, non quasi tristetur de eo ob imminentis detrimenti periculum, veluti cùm quis de inimici incrementis tristatur ex metu, ne damni inferendi occasionem inde arripiat inimicus, verùm quòd bonum alterius suæ obstare gloriæ atque excellentiæ opinetur.

20. *Differentia Specifica sumitur, partim ab Objecto, partim à Fine.*

21. *Objectum Invidentiæ vel Reale est, vel Personale. Reale* sunt bona aliena, quæ quadrifariàm considerari possunt, vel quatenus nobis nocent, vel quatenus non nocent, vel quatenus alios nolumus ea consequi, vel quatenus dolemus alios ea consecutos, id quod proprium hujus affectus: Nec hæc quævis, sed externa, ceu sunt, divitiæ, aliaquè hujus commatis. Circa virtutes siquidem nunquam se fatigat invidia. Neque enim invidus invidet virtutis possessionem, quia eam contemnit, sicut nec oppositam miseriam, quoniam miseris nemo invidet. *Personale* sunt pares sive similes, hoc est, ii, qui horum bonorum possessione, vel æquales, vel non multò superiores, nec multò inferiores sunt, idquè ideò, quia inter quos magna distantia, in illis invidia non invenit locum, cùm nemo, qui pro-

priæ

priæ virtuti confidit, alienæ invideat, æquales item ætate, tum rerum earundem cupidi, nominatim corrivales & competitores eorundem studiorum.

22. *Finis Invidentiæ universè vel Negativus est, vel Positivus. Finis negativus exprimitur illis verbis*, cùm dicitur, non ut aliquid boni accedat invidenti, quo commate distinguitur ab æmulatione, quâ quis se macerat, non quòd habeant alii, sed quòd non & ipse: *Finis positivus istis*, sed propter illos, quibus invidetur. Hinc Bias, videns invidum quendam, vultu in terram depresso, aut huic homini, inquit, magnum aliquod malum accidit, aut magnum bonum alteri, quòd ita tristatur: Nec abhorrenter dictis Publius, qui cùm Mutium, hominem invidum, solito tristiorem cerneret, aut Mutio nescio quid incommodi accessit, inquit, aut alii quid commodi.

23. *Zelus sive Æmulatio, Subordinata Tristitia*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, conceptus ob bona honorata, quæ alius habere videtur, quæquè quis etiam adipisci potest, existens inter eos, qui sunt naturâ similes, non quòd alius illa habeat, sed quòd quis non habeat, sic dicta Græcè Philosophantibus, vel ἀπὸ τοῦ ζηλεῖν, quod est φθονεῖν, qualem zelum zelavit Arachne contra Minervam, Marsyas contra Apollinem, Lepreas contra Herculem, Dionysius Major contra

contra Philoxenum & Platonem, Alexander contra Perdiccam, Lysimachum, Seleucum, Attalum, Ptolemæum, vel ἀπὸ τοῦ ζηλόειν, quod est imitari, qualem zelum zelaverunt Platonis & Aristotelis discipuli, Alexandri item amici, illi contrahendo humeros, isti balbutiendo, hi referendo projectam cervicem regis, oculorum volubilitatem, & vocis asperitatem, oppidò quam ineptè omnes, qualem item zelum zelavit Theseus adversus Herculem, Themistocles adversus Miltiadem, Thucydides adversus Herodotum, Aristoteles adversus Xenocratem, Cæsar adversus Alexandrum.

24. Juvat iterum ἀναλύειν. *Genus Zeli* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, tristitiæ subordinatus, quæ dolor internus sive animi.

25. *Differentia Specifica sumitur, partim ab Objecto, partim à Fine.*

26. *Objectum Zeli, vel Reale est, vel Personale. Reale* sunt bona honorata, ut sunt virtutes, & charismata spiritualia, item bona utilia, atque ad benefaciendum idonea, ut sunt divitiæ, utraque sub adeptionis possibilitate, illa πρώτως, hæc δευτέρως. *Personale, vel Passivum est, vel Activum*, illud τῶν ζηλωτῶν æmulandorum, hoc τῶν ζηλωτικῶν, æmulatorum sive æmulorum.

27. *Finis Zeli vel Negativus est, vel Positivus:*

tivus : *Negativus* exprimitur illis verbis, non quòd alius illa habeat, quo commate zelus distinguitur à zelotypiâ, quoniam zelotes sive zelator dolet, quòd sibi absit bonum, quod habet alter, zelotypus verò, quòd alter eodem secum fruatur bono: *Finis Positivus* istis, sed quòd quis ea non habeat, quomodo v. g. æmulor virtutis ergò, si quem videam habere fortitudinem, hoc est, cupio idem bonum & ipse consequi, non invidens ei, qui illud bonum possidet, verùm ipse quoque vir fortis esse volens & studens.

28. *Zelotypia, Subordinata Tristitia*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, ex eo susceptus, quòd alteri quoque sit illud, quod quis habet, metus, inquam, alienæ fruitionis cum Scaligero, quo metuimus, ne de amatæ rei exturbemur possessione, sic dicta ἀπὸ τοῦ ζήλου καὶ τύπου, quarum vocum altera æmulationem signat, quoniam per hunc affectum non patimur consortium in amato, quod integrè nequit possideri à pluribus, sicut videmus à pluribus integrè cognosci veritatem, altera figuram & formulam ejus æmulationis. Quòd si hæc zelotypia fuerit moderata, honesta, sin nimia, qualis in Junone, Prognide, & universè in populis Australibus, qui proni ad amores, sed debiliores propter caloris inopiam, (ut de oloribus, columbis,

gallis, tauris, nihil dicam,) turpis fuerit scilicet.

29. *Pudor, Subordinatus Tristitiæ*, est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, conceptus à pudibundis, ob malum, vel præsens, vel præteritum, vel futurum, quod infamiam afferre videtur.

30. Juvat & hîc *διαλύειν. Definitum est Pudor, Subordinatus Tristitiæ*, cujus signum erubescentia, oculorumquè demissio, quæ utraque in vultu pingit peccatum, liberalemquè præ se fert criminis commissi culpam, sicut illiberalem pallor, isquè nimius.

31. Id nominis accepit, de mente Scaligeri, quòd in eo adversetur sensus, sicut in putidis, aut avertatur potiùs, sicut à putidis, eôpse differens à verecundiâ, eò quòd pudor etiam in malefactis quandoque dicatur, verecundia verò recti honestiquè rationem habeat, ut quæ secum ferat magnam reprehensionis opinionem, sic dicta à væ, quod est valdè, & reor, quod est puto, quoniam ea, quæ timemus, magni & multi facere, diuquè cogitare ac recogitare solemus. Sed hoc discrimen non est perpetuæ observantiæ, quia verbum pudet, tam ad verecundiam honestarum rerum, quàm ad pudorem turpium, adhibetur *κλαστικῶς*, idquè tam in genere dicti, quàm facti. Latinis elementis respondent græca. Ὁ *αἰδὼς* siquidem est metus ob expectationem vituperii, & præcedit delictum, idquè ne perpetretur, cavet, certissimumquè est bonæ men-

mentis & probitatis, vel prçſentis, vel mox ſecuturæ, argumentum, virtutis tinctura Diogeni, color pulcherrimus Pythiæ, bonæ indolis criterium Catoni, ſic dictus ab ἀεὶ συντικῶς καὶ ἰδεῖν, quaſi non ſinat, ut aliquem intueamur, ἡ αἰσχύνη verò eſt quidem & ipſa metus, verùm ob aliquid turpiter factum, utut in bonam ſubindè accipiatur partem quoque, gradu diſtincta ut ſic, non ſpecie, ἀπὸ τοῦ αἰδοῦς, quia ὁ αἰδὼς præcedit, ἡ αἰσχύνη ſequitur.

32. *Definitur Genere, & Differentiâ Specificâ.*

33. *Genus Pudoris eſt affectus, non virtus.* I. Quia virtus eſt habitus longo uſu acquiſitus, firmiterquè animo impreſſus, non item pudor, qui metus infamiæ, citò oriens, citò moriens, ſi metus, ergò affectus. II. Quia virtus eſt perfectio quædam, cui quod repugnat, etiamſi bonum ſit, næ illud deficit à ratione virtutis: Atqui pudor repugnat perfectioni, cùm ſit timor alicujus turpis, quod eſt exprobrabile, ille autem, qui perfectus ſecundum habitum virtutis, non apprehendit quid exprobrabile, ac turpe ad faciendum, ſed nec actu quid turpe facit, unde opprobrium timeat: Ergò non eſt virtus, vel ideò etiam, tum, quia virtus per ſe bona & laudabilis, pudor non laudabilis per ſe, ſed ex hypotheſi, & per accidens, quatenus videlicet eſt pœnitentia quædam ob admiſſum delictum, tum quia virtus cadit in bonos viros, pudor etiam in

improbos, hoc eſt, eos, qui, quæ turpia ſunt, faciunt, & igitur demùm pudeſcunt, tum quia virtus omnis ætatis, ſi puerilem excipias, pudor hujus vel maximè, tum quia virtus ab electione & propoſito, non item pudor. Quin tantum abeſt, ut genus pudoris ſit virtus, ut ne ſemivirtus quidem, eò quòd ſit paſſio quædam, atque ex paſſione levis impreſſio ſive diſpoſitio, quæ ſubindè deſinit in hominibus certis, & facilè mutatur in contrarium, nominatim in adoleſcentibus, qui per naturam ignei, & fœminis, quæ imbecilles. Quid ergò pudor, ſi nec virtus, nec ſemivirtus? Affectus certo modo ſe habens, vel naturaliter, vel moraliter, ob acceſſum educationis, deceſſumvè.

34. *Differentia Specifica Pudoris ſumitur à Subjecto ejus & Objecto.*

35. *Subjectum Pudoris duplex eſt, ut Quod, & ut Quo.*

36. *Subiectum Pudoris ut Quod in genere ſunt Homines Pudibundi*, quales, qui alios habent actionum ſuarum ſpectatores arbitros & cenſores, quiquè quid fecerunt faciuntvè pudendum: Etc. *In ſpecie Pueri & Iuvenes, Viri item & Senes*, illi πρώτως, hi δευτέρως: *Pueri & Iuvenes*, ut quos vel maximè convenit verecundari, quia turpia, ſaltem turpicula, committunt vel maximè: *Viri & Senes*, tum quia etiam hi puden-

pudenda patrant, pœnitendaquè commitunt, quorsum ipsis peropus pudore, qui delicta vel antecedat, atque ab iis absterreat, vel consequatur, atque ad pœnitentiam invitet, tum quia, tam in illis, quàm in his, commendatur pudor, discommendatur impudentia, commendatur pudor, ut in Pompejo, quem coram pluribus erubuisse ferunt, Fabianoquè Philosopho, qui & ipse suberubuisse perhibetur, quoties in senatum fuit inductus testis, discommendatur contrà impudentia, pudori opposita, idquè vel ante factum, vel in facto, vel post factum remissivè.

37. *Subjectum Pudoris ut Quo, vel Totale est, vel Partiale* : *Illud Facies*, quam, qui pudore afficiuntur, rubore suffusam habent, vestequè cum Socrate involvunt : *Hoc Frons*, sic dicta à ferendo, quòd indicia animi præ se ferat, unde perfricare frontem, manum per frontem ducere, pro depudere, adagiorum scriptoribus: *Hinc Oculi*, quos pueri tegere assolent, cùm pudore corripiuntur: *Demum Aures*, quas & ipsas pudescere constat, ex exemplo Archytæ Tarentini, qui adeò verecundus fuisse perhibetur, ut, si quid obscœni proferendum esset, non diceret illud, verùm parieti inscriberet.

38. *Objectum Pudoris vel Personale est, vel Reale.*

39. *Objectum Personale Pudoris sunt Homines, quorum nos pudet*, nominatim,

qui nos admirantur, quosquè ipsi admiramur, quorumvè in admiratione esse cupimus, cum quibus de honore contendimus, quorumvè existimationem de nobis haud contemnimus, &c. *Reale, in genere Malum, quod videtur Turpe*, idquè vel præsens, vel præteritum, vel futurum: *In specie verò*: I. Opera & actus, à vitiis moralibus profecti, v. g. à timiditate, ut abjicere clypeum in præliis, fugere ex acie, ab injustitiâ, ut fraudare aliquem deposito, ab avaritiâ, ut quæstum facere è turpibus rebus, ab illiberalitate, ut nullam ferre egeno opem, cùm possis, aut minorem, quàm possis, ab adulatione, ut laudare præsentem, ab animi mollitie, ut labores non tolerare, quos aut seniores, aut delicatuli, aut nobiliores & potentiores, infirmioresvè corpore, toleraverunt, ab arrogantiâ atque ostentatione, ut de se multa prædicare, aliorumquè inventa sibi tribuere. II. Obsequia & ministeria fœda corporis, rerumvè turpium, ex quibus injuria contumeliosa nascitur. III. Defectus rerum commendabilium, ut non ita benè natum educatum atque eruditum esse, prout sunt alii, quibus non major contingit ad præclara studiorum opportunitas, quàm nobis &c.

4. *Pœnitentia: Subordinata Tristitia* est affectus appetitus sensitivi concupiscibilis, conceptus ob admissa peccata. *Differt à Resipiscentiâ*, quòd pœnitentia dicatur, cùm aliquem facti pœnitet, sive inde ad rectè agendi

di studium moveatur, sive non, resipiscentia verò, cùm quis cum animo simul mutat vitam & mores.

Caput XL.

Species Affectuũ Θυμικῶν, sive Secunda Classis.

§ 1. *Species Affectuum Θυμικῶν sunt quinque numero, Desiderii tres, Spes, Desperatio, Audacia, Tristitiæ duæ, Metus videlicet & Ira.*

2. *Spes, Subordinata Desiderio*, est affectus appetitus sensitivi irascibilis, quo nominatim animal, nominatiùs homines juvenes, appetunt bonum absens arduum possibile, idquè cum lætitiâ.

3. *Quâ definitione exprimitur, tum Subjectum Spei, tum Objectum.*

4. *Subjectum Spei est in genere Animal*, cùm non hominibus tantùm, sed & brutis, competat hic affectus, quæ, quamvis externo sensu non cognoscant futura, ut quę excedant cognitionem sensitivam exteriorem, tamen interno sensu cognoscunt, persuade, per phantasiam, per quam, tanquam umbellam quandam rationis, ex antecedentibus sequentia aliquo modo colligunt, atque ex præteritorum memoriâ futura, non secùs ac si ea prævi-derent, quomodo canem, aliquoties baculo percussum, monstrato atque intentato eo, ex metu futurorum verberum aufugere

videas, accurrere contrà ſuaviter habitum: *In ſpecie Homines Iuvenes*, qui neſcio quomodo procliviores ad ſpem, quàm ſenes, tum quia ſpes in futurum fertur, juvenes autem de futuro plus videntur habere reliqui, ut qui propiores & proximiores initio, quàm ſenes, qui propiores & proximiores fini, tum quia juvenes ſpiritibus & ſanguine abundant, quo indigent ſenes, qui triſtes & deſperabundi, ſicut è contrà juvenes læti & ſperabundi, tum quia experimentis carent juvenes, ſuisquè votis ac deſideriis non tam ſæpè exciderunt, ac ſenes, ideoquè futura minùs ſuſpecta habent, magisquè ex eo his fidunt, tum quia vitio juventutis, dicam, an juvenilitatis, non adeò intelligunt difficultatem ſperandorum, hocquè promtiùs & liberaliùs ſperant, quò faciliùs ſperata obtineri poſſe ſibi perſuaſum habent.

5. *Objectum Spei eſt Bonum Abſens, Arduum, Poſſibile: Bonum,* ut ſic diſtinguatur à Metu & Audaciâ, quorum affectuum objectum eſt malum: *Abſens,* ut ſic diſtinguatur à Lætitiâ, cujus objectum bonum præſens, atqui ſperamus propriè futura, ſaltem principaliter, dico principaliter, quia & præterita ſperare poſſumus, ut ſi cum hoſte ſit pugnatum, & noſtros victoriâ potitos ſperemus, & præſentia, ut ſi hoc momento noſtrates rem benè gerere confidamus, quanquam alii regerant, & hæc eſſe futura, non quidem ratio-

ne

ne temporis, ſed notitiæ: *Arduum*, ut ſic diſtinguatur à deſiderio, quod eſt boni futuri abſolutè, facilisquè adeptionis, cùm ſpes ſit boni quidem futuri & ipſa, verùm difficilis obtentu: *Denique Poſſibile*, idquè vel in genere, vel in ſpecie, ex quibus hoc poſſibile nobis, ita ut à nobis id effici atque obtineri poſſe credamus, illud poſſibile abſolutè, ut maximè noſtris id viribus effici nequeat, quorſum diſtinguitur à deſiderio, ad cujus objectum addit præter arduitatem poſſibilitatem, deſperationequè, ſecundum differentiam poſſibilis atque impoſſibilis.

6. *Deſperatio, Subordinata Deſiderio*, eſt affectus appetitus ſenſitivi iraſcibilis, quo is, difficultate victus, rem arduam abſentem averſatur, eiquè ut impoſſibili ſuccumbit cum triſtitiâ, receſſus, inquam, animi ab appetitione boni, ex opinione, quòd nunquam eo ſit potiturus, cujus averſionis & cujus receſſus cauſa, atque objectum formale, non eſt propriè bonum, cùm bonum potiùs ad ſe trahat, verùm difficultas, quæ in eo aſſequendo apprehenditur, maliquè rationem quandam habet: Quo fit, ut deſperatio ſpei ſit contraria iſtorſum, ſicut repulſivum attractivo, receſſus acceſſui. Habet habet namque ſpes rationem attractivi & acceſſus, prout bonum arduum conſideratur cum poſſibilitate adipiſcendi, deſperatio verò ratio-

nem repulſivi & receſſus, quatenus idem conſideratur cum impoſſibilitate obtinendi, ita ut communis terminus ſpei & deſperationis ſit bonum arduum, in quod ſub ratione poſſibilis tendit ſpes, recedit contrà ab eodem deſperatio ſub ratione impoſſibilis, implicantis mali ſpeciem.

7. *Audacia, Subordinata Deſiderio*, eſt affectus appetitus ſenſitivi iraſcibilis, quo in genere homines audaces, in ſpecie homines juvenes, neglectis periculis evaſibilibus ſive ſuperabilibus, quæ imminent, noſquè adeptione boni alicujus prohibere poſſunt, immò prohibent, opus difficile aggrediuntur, quò bonum arduum ſperatum obtineant: Vel breviùs, audacia eſt deſiderium aggrediendi mali difficilis, conjunctum cum ſpe ſalutis, quam audacia amat ſequi, neque tamen omnem, ſed intenſam, ſicut deſperatio metum, non omnem, verùm exceſſivum.

8. Sed juvat ἀναλύειν tumultuariè. *Definitio hæc Audaciæ continet, tum Subjectum ejus, tum Objectum.*

9. *Subjectum Audaciæ in genere ſunt Homines Audaces*, quales, quibus pulmones ſunt ſanguinolenti, cor fervens exiguum & piloſum, ſed &, qui nunquam experti ſunt pericula, ſed in gerendis rebus fuerunt fortunati, aut experti quidem, verùm ex iis effugerunt, quiquè in aggrediendo priores cùm ſint, ſe

aut

aut nihil posse pati, passurosvè esse, autumant, sicut & , qui omnibus affluunt pariter ac destituuntur, illi ideò, quia arbitrantur se omnia posse superare, hi ideò, quia nihili ducunt omnia, denique ebrii: *In specie Homines Iuvenes*, tum quia maximè sunt calidi & fervidi, tum quia inexperti rerum, ideoquè tam Physicè quàm Ethicè proni in spem, & per consequens ad audaciam. Ex hoc enim, quòd quis sperat superare τὸ terribile imminens, audacter persequitur illud.

10. *Objectum Audaciæ, vel Materiale est, vel Formale. Materiale* est Malum Arduum, verùm Evasibile sive Superabile, secundum æstimationem audacis: *Formale*, Bonum Arduum Speratum: *Differt, uti à Spe, ita à Metu*, ab illâ Objecto Materiali, quia spes desiderat ipsum finem, & bonum, non obstante, quòd per media difficilia debeat acquiri, audacia autem quoque tendit in media difficilia propter finis bonitatem, sic ut istam difficultatem prę istâ bonitate contemnat, ab hoc, non quidem Objecto Materiali, quod utriusque est malum, sed Formali, cùm audacia sit accessus ad illud, ut quę aggrediatur illud propter spem superandi, victoriamquè sui super illud, ex opinione virtutis proprię, imbecillitatisquè alienę, metus contra recessus ab illo, ut qui ab eodem refugiat propter desperationem superandi, victoriamquè mali super ipsum timentem, ex opinione imbecilli-

cillitatis propriæ, virtutisquè alienæ, & verò etiam metus pro objecto tantùm habeat malum, audacia quoque bonum, nempè victoriam, vindictamvè, quamvis per malum, seu medium difficile, id consequi laboret.

11. *Metus, Subordinatus Tristitiæ*, est affectus appetitus sensitivi irascibilis, ortus ex imaginatione impendentis mali, quod vel perniciem vel molestiam afferre possit.

12. Juvat denuò ἀναλύειν. *Definitum est Metus*, sic dictus, vel à motu cordis & corporis, quo futurum malum fugit appetitus, cum cordis ac corporis alteratione, vel ab Ionico μετιέναι pro μεθιέναι, quod est dimittere, remittere, omittere, missum facere, eò quòd in metu & per metum amittatur constantia. Græcis φόβος dicitur, à φέβεσθαι, quod est φεύγειν fugere, concordanter etymo sive notationi priori.

13. *Definitur Genere, & Differentiâ Specificâ.*

14. *Genus Metus est affectus.* Quid enim aliud metus, quàm motus appetitus sensitivi, conjunctus cum aliquâ corporali transmutatione, sequens apprehensionem sensus, qualis motus affectus.

15. *Differentia Specifica Metus desumitur ab Objecto, quod Malum Futurum* Φθαρτικὸν καὶ Λυπηρὸν; *Corruptivum & Contristativum*, quorum illud contrariatur naturæ, sive sit à causâ naturali, ut mors naturalis, sive non, ut mors violenta, hoc voluntati. *Malum, in-*

quam,

quam, *idquè vel absolutè tale*, *vel comparatè. Absolutè tale*, atque hoc non quodvis, non utique malum culpæ, quod metuere homines non solent, vel quòd non intelligant, vel, si maximè intelligant, spontè tàmen atque ultrò admittant, minimùm parati sint admittere, quia nihil inde doloris molestiævè metuunt, quin immò id naturæ suæ corruptæ conveniens esse judicant, sed malum pœnæ, oppositum bono animi, quale malum infamia; bono corporis, quale malum destructio ejus, & bonis fortunæ, quale malum facultatum & libertatis amissio, cujus commatis mala non non metuunt homines. *Comparatè hinc tale*, hoc est, majus minusvè in comparatione, malum tamen, quia metus est motus appetitus sensitivi, importans non prosecutionem, quæ bonum aliquod habet pro objecto, sed fugam, quæ malum, sive vocem mali juvet sumere privativè, pro amissione bonorum, sive positivè, pro successione malorum. *At quale? Futurum sive Impendens*, quia homines non magnopere metuunt, quæ procul abesse putant, v. g. mortem, quam quilibet longè abesse arbitratur, contrà mala imminentia vel maximè horrent, hoc magis, quò majora sunt, magisquè imminent, sicut & mala insolita ac repentina, quoniam in his subtrahitur facultas occurrendi malo, locusquè

què nullus relinquitur consilio ac præparationi, minusquè pausæ datur naturæ laboranti, item ignota, quæ minus adhuc consilii admittunt, majoraquè existimantur, quàm reverà sunt. Quod si malum existimetur prorsus inevitabile atque irremediabile, tunc habetur veluti præsens, dequè eo non tam est timor, quàm tristitia, uti animadvertere est in iis, qui in judiciis sententiâ damnatoriâ adjudicantur morti, qui non tam timent mortem, sicut canes cernas verbera nondum inflicta timere propter metum futuræ inflictionis, quàm de eâ tristantur, pallore invadente vultum, tremore poplites, horrore ac sudore corpus, ob fugam credo caloris, & spirtiuum debilitationem in isto articulo. *Tum φθαρτικὸν Corruptivum, καὶ λυπηρὸν Contristativum*, quia enim non omnia indifferenter mala metuunt homines, sed ea, quæ interitum aut dolorem magnum afferre possunt, hoc est, magna & gravia Natura namque magis nescio quomodo horret & refugit, quæ sibi magis inimica judicat, & à quibus se faciliùs posse destrui, aut magis affligi, credit. Atque hinc est, quòd mala levia, & quæ de facili depelli possunt, haud timeamus, nisi sub levitatis umbrâ lateat gravitas, quomodo inimicum, quamvis humilem, vetamur contemnere in scholâ sapientię, inquè tenebris etiam levia metuimus, tum quia mala imminentia per eas prævideri nequeunt, tum quia ob fortiorem imaginationis

nis vim majora videntur mala, quàm sunt, & verò etiam pericula in iis plura nos manent ab improbis tenebrionibus, terribilioraque.

16. *Differt à Pigritiâ*, quæ metus consequentis laboris, gravantis naturam, sive facultatem operantis excedentis: *A Pudore*, qui metus ignominiæ, vel justæ reprehensionis, *Verecundia*, siquidem conceptus fuerit ille metus ob actum præteritum, unde timeri potest convicium vel opprobrium futurū, *Erubescentia*, si contrà: *Ab Admiratione hinc & Stupore*, quæ & qui metus, illa de magno malo, hic de insolito, illa declinativa judicii præsentis de eo, quod miratur, ob defectus timorem, cum futuri inquisitione, hic & ipse declinativus judicii præsentis de eo, super quo stupet, sed absque inquisitione scilicet, quo fit, ut quemadmodum admiratio est principium Philosophandi, ita stupor Philosophicæ considerationis sit impedimentum: *A Timore*, qui metus imminentis aut appropinquantis alicujus magni mali, expectatio, inquam, censuræ eorum, qui sunt in dignitate constituti, sic dictus παρὰ τὸ τιμᾶν, unde τὸ ἐπιτιμᾶν, nisi simplicius sit deducere à voce δεῖμα, ita ut timere plus sit, quàm metuere, ex hoc fonte & capite: *A Terrore*, qui metus ex insuetæ speciei, hoc est, imaginis occursu, cum pallore & dentium crepitu sociatus ferè: *A Pavore*, qui metus subitus, cùm animus quasi verberatur imminentis mali opinione, sic di-

ctus

ctus παρὰ τὸ παίειν & λέλειν, quarum vocum altera valet idem, quod pavire, sive cooperire, eò quòd in pavore, fœminas, pueros, & molliores, oculos ac faciem velare, caputquè operire cernamus, altera idem, quod percellere, nisi rationem ejus accersere malimus à verbo παύεσθαι, quod est cessare, quoniam cessare facit paventem ab opere hic metus: *A Consternatione & Conturbatione*, quæ metus excutiens cogitata, omnia turbida atque ambigua reddens, mentemquè in varias cogitationes distrahens, spe & consiliis abjectis: *Ab Exanimatione*, quæ metus atrocior consternatione, per quem omnis animi vis adimitur, sapientiaquè expectoratur, stupore mentis & linguæ inducto: *A Tremore & Horrore*, qui corporis sunt alterationes, & affectus ex animi metuentis dispositione pendentes, ille motus ex motibus contrariis, hic asperitas corporis cum horripilatione: *A Trepidatione*, quæ & ipsa corporis, cum ita nos occupat tremor, ut pedare, hoc est, consistere nequeamus: *Denique à Formidine*, quæ metus inexpectatus, quo animus vehementer commovetur, adeò ut à seipso abeat, forasquè feratur, calorquè ex eo faciem invadat, ex sensu videlicet rerum formidolosarum, uti fit in somniis, insomniis, incubo, sic denominata à formis sive spectris.

17. *Ira, Subordinata Tristitia*, est affectus appe-

appetitus ſenſitivi iraſcibilis, quo ſinterveniente cum dolore & cupiditate vindicta appetitur de certis hominibus, propter apparentem contentum, quo quis ſe, aut quenquam ſuorum, contrà quàm oportet, ab iis affectum eſſe exiſtimat, cum accenſione aliquâ ſanguinis circa cor, ob malum læſivum præſens, arduum quidem, ſed tamen repulſabile iraſcenti.

18. Juvat more noſtro ἀναλύειν. *Definitum eſt Ira*, quæ ὀργὴ Græcis, ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι, quod eſt concupiſcere, quia ultionem expetit, item θυμὸς, ἀπὸ τοῦ θύειν, quod valet idem, quod ὁρμᾶν, ſubitò commoveri, quia cum impetu ruit hic affectus, aliâs minùs pertinace, aliâs magis, qualis ira θυμὸς ἐμμένων, ἢ χόλος ἐπίμονος, ira permanens ſive permanſiva, audit, quæ μῆνις iiſdem, ἀπὸ τοῦ μένειν, à manendo, quia manet diutiùs, & κότος, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, quia altiùs animis hominum inſidet.

19. *Definitur Genere & Differentiâ Specificâ.*

20. *Genus Iræ eſt Affectus Appetitus Senſitivi Iraſcibilis, isquè Mixtus. Affectus Appetitus Senſitivi eſt Ira*, quia motus ejus conjunctus cum aliquâ corporali alteratione, ſequens apprehenſionem ſenſus, qualis motus affectus: *Affectus Appetitus Senſitivi Iraſcibilis eſt Ira*, quia enim reſpicit duo objecta, ſcilicet vindictam, quam appetit, &

& eum, quo de vindictam appetit, aut in quem, cum quâdam elevatione atque arduitate, id quod proprium affectuum irascentis facultatis, quibus ira condividitur, tanquam specialis affectus, non generalis, licet ad eam interim omnes motus hujus potentiæ terminentur, denominationemquè ab eâ accipiant omnes: *Isquè non Simplex, sed Mixtus*, quia ex concursu multarum passionum causatur, non tanquam ex partibus, speciebusvè, sed sicut ex causis, sive secundum continentiam causæ & effectus: Quî sic? Quia enim iram circumstant, cùm aliæ passiones, tum istæ quatuor, tristitia videlicet de injuriâ acceptâ; spes illam injuriam ulciscendi, desiderium vindictæ ut possibilis, denique odium ejus, qui injuriam intulit, ex quibus duæ priores antecedunt, duæ verò posteriores comitantur, atque ita motus iræ ex tristitiâ & spe oritur, dumquè iratus nititur malum ut sibi præsens apprehensum repellere, insimul vindictam de malo sibi illato appetit, tanquam sibi bonum, eumquè, qui malum intulit, detestatur atque odit, tanquam sibi malum.

21. *Differentia Specifica Iræ sumitur à Causâ Finali ejus, Efficiente Impulsivâ Externâ, Objecto, & Effectu.*

22. *Causa Finalis Iræ Vltio.* Ut plurimum enim tendit in ultionem, & fortè semper. Unde per appetitum ultionis definitur rectiùs, quàm

quam depulsionis, quæ generalior aliquantò ultione. Omnis siquidem ultio depulsio, non contrà omnis depulsio ultio, cùm quędam mala depellere gestiamus citra ullam ultionem, v. g. morbos, paupertatem, & similia. Neque obstat dictis, quòd irascamur sæpè iis rebus, quę ultionem nequeunt persentiscere. Quamvis enim nequeant sentire ultionem nostram, tamen eam de iis quandoque sumunt irati, dum eas frangunt, aut comminuunt, exemplo Julii Cæsaris, qui villam in Herculanensi pulcherrimam, quòd mater sua aliquandò in istâ custodita fuisset, diruit, utut ultio illa sit malesana interim, hoc est, non ultio, sed vitiultio, sive vitiosa ultio.

23. *Causa Efficiens Impulsiva Externa Iræ est in genere* Ὀλιγωρία *Parvipensio, in Specie* Καταφρόνησις *Contemtus,* Ἐπηρεασμὸς *Incommodatio, demùm* ὕβρις *Contumelia*. Cùm enim omnes propriam excellentiam maximi faciant, fit, ut quò excellentia illa major fuerit, alterius item vilitas & ipsa major, si dicta excellentia in aliquo lædatur, ut ὀλιγωρία ita ira exindè augeatur, ex contemtu, inquam, incommodatione, contumeliâ, vel præsumtivè, quomodo rebus quoque inanimatis irascimur, ut Xerxes monti Athoni, Pheron Ægyptius flumini, non quòd contemnerentur ab iis, sed quòd contemni sibi viderentur. Neque verò omnis ocyùs ὀλιγωρία causa sive motivum iræ, sed indigna sive immerita.

rita. Unde, si homines putent ab eis, qui læserũt, se esse justè passos, non irascuntur. Idẽ judiciũ de iis, qui vel per ignorantiam, vel ex passione, injuriam nobis intulerunt, quibus vel non irascimur, vel minùs irascimur, quia agere ex ignorantiâ, vel ex passione, diminuit rationem injuriæ, estquè quodammodò provocativum misericordiæ ac veniæ. Qui autem de induſtriâ nocumentum inferunt, nę illi per ὀλιγωρίαν peccant, & ideò his maximè irascimur propter apprehensionem ejus.

24. *Objectum Iræ, vel Personale est, vel Reale: Objectum Personale* sunt in genere homines, in individuo, non specie, cùm qui irascitur alicui singularium irascatur, Alexander v. g. Clyto, Cicero Vatinio, non universæ speciei, nec humanitati, sed homini huic illi isti, in specie ii, qui nos derident, vel damno afficiunt, qui, cùm antea nos soliti essent honorare, id intermittunt, qui nostro infortunio gaudent, saltem eo non afficiuntur, qui nos parvi faciunt apud æmulos, & quos ipsi admiramur, aquè quibus nos suspici volumus, quiquè nos verentur: &c. *Objectum Reale est Malum Læsivum Præsens, Arduum quidem, sed tamen Repulsabile irascenti.* Unde Cæsari aut regi haud irascimur, quia ulcisci non possumus, nisi fortè linguâ, in quâ imbellium arma.

25. *Differt ab Iracundiâ*, quia ira de causâ, iracundiâ de vitio irascentis, illa in actu & fervore,

vore, hæc in habitu ac diſpoſitione: Unde una ſine alterâ aliquandò eſſe poteſt, quis v. g. iraeundus, neque tamen iratus, & contrà, iratus, neque tamen iracundus, quemadmodum videmus, poſſe quem eſſe ebrioſum, & non ebrium, & contrà, ebrium, neq; tamen ebrioſum: Item ab Odio, eo quòd in odio appetatur alteri malum, quia malum, in irâ verò appetatur quidem alteri etiam malum materialiter, ſed non formaliter, ut conſideratur habere aliquam rationem boni, per compenſationem injuriæ, & æqualitatis reſtitutionem.

Caput XLI.

Oppoſitio Affectuum, eaquè duplex, Objectiva, & Terminativa.

§. 1. Oppoſitio *Affectuum universè duplex eſt, altera ſecundum Objecta, quam Objectivam inde vocant, altera ſecundum Acceſſum ad eundem Terminum, & Receſſum ab eodem Termino, quam Terminativam.* Cujus ſegmenti hoc fundamentum, quod omnis paſſio motus, unde oportet contrarietatem paſſionum coaccipere ſecundum contrarietatem motuum. Eſt autem duplex contrarietas in motibus, una ſecundum contrarietatem terminorum, quæ propriè eſt contrarietas motuum, quo oppoſitionis modo dealbatio, quæ eſt motus à

 nigro

nigro in album, opponitur denigrationi, quæ eſt motus ad albo in nigrum, alia ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem termino, quæ contrarietas eſt propriè generationis, quæ mutatio ad eſſe, & corruptionis, quæ mutatio ab eſſe. Ad hoc exemplum duplicem contrarietatem invenire eſt in paſſionibus animæ, unam ſecundum contrarietatem objectorum, ſcilicet boni & mali, aliam ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem termino. In paſſionibus appetitus concupiſcibilis, ſive affectibus ἐπιθυμητικοῖς, invenitur prima contrarietas tantùm, in paſſionibus verò appetitus iraſcibilis, ſive affectibus θυμικοῖς, utraque. Cujus rei ratio & regio hæc, quia objectum appetitus concupiſcibilis eſt bonum vel malum ſenſibile abſolutè, bonûm autem, in quantum bonum, non poteſt eſſe terminus ut à quo, ſed ſolùm ut ad quem, quia nihil refugit bonum, in quantum bonum, ſed omnia appetunt ipſum, inquè illud tendunt per acceſſum ad ipſum & proſecutionem, ſimiliter nihil appetit malum, in quantum hujuſmodi, ſed omnia fugiunt ipſum, & propter hoc malum non habet rationem termini ad quem, ſed ſolùm termini à quo, ut à quo omnia abeant per receſſum ab eo & fugam. Ut ita omnis paſſio appetitus concupiſcibilis reſpectu boni ſit, ut in ipſum, v. g. deſiderium, lætitia, amor, omnis contrà paſſio reſpectu mali, ut ab ipſo,

v. g.



v. g. fuga, triſtitia, odium. Quo ſit, ut in paſſionibus appetitus concupiſcibilis nequeat eſſe contrarietas ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem objecto, ſed benè in paſſionibus appetitus iraſcibilis, quarum objectum eſt bonum vel malum ſenſibile, non quidem abſolutè, verùm ſub ratione alicujus difficultatis ſive arduitatis: Atqui bonum arduum habet rationem, ut in ipſum tendatur, in quantum eſt bonum, id quod pertinet ad paſſionem ſpei, & ut ab ipſo recedatur, in quantum eſt arduum, id quod pertinet ad paſſionem deſperationis: ſimiliter malum arduum habet rationem, ut vitetur, in quantum eſt malum, id quod pertinet ad paſſionem timoris, & ut in ipſum tendatur, ſicut in quoddam arduum, per quod quid evadit ſubjectionem mali, id quod pertinet ad paſſionem audaciæ.

2. Scilicet in bono arduo duo ſunt, bonum ipſum, quod poteſt eſſe ratio appetendi, & difficultas ſuperaddita, quæ quandam mali rationem habet, unde fit, ut per acceſſum & receſſum, ſive proſecutionem & fugam, queat appetitus in illud ferri, & ab eodem auferri. Quæ ratio tenet & in malo arduo, quatenus à bono conſequendo impedit. Ratione enim ſuæ malitię & difficultatis, quam habet, ut ſuperetur, hactenus avertere poteſt appetitum per metum, quia tamen ad aliquod excellens bonum ducit, ſiquidem

ſuperetur, hactenus provocat appetitum, audaciamquè in eo gignit, quæ acceſſus & inclinatio in bonum arduum, ſicut metus receſſus & fuga ab eodem.

3. Neutram oppoſitionem ſive contrarietatem agnoſcit ira: Non illam, quæ eſt ſecundum objecta, quia malo difficili jam præſenti, quod iram concitat, opponitur bonum præſens & obtentum, quod rationem ardui habere nequit, quia κτητὸν poſſeſſum: Non hanc, quæ eſt ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem termino, quia enim ad præſentiam mali ardui appetitus vel ſuccumbit, id quod pertinet ad triſtitiam, vel ad invaſionem mali ſe accingit, id quod pertinet ad iram, quæ motus ad invadendũ malum læſivum, cui iræ Ariſtoteles opponit remiſſionem & ſedationem iræ, quæ ab eâ non differt ſpecie, ſed gradu, nedum ut ei ſit contraria, alii mutato nomine ceſſationem à motu iræ, quæ ceſſatio & ipſa contrariè motui non opponitur, ſed vel negativè, vel privativè, ſicut τὸ miteſcere ei, quod eſt iraſci.

4. Atqui iræ opponitur gratia & indulgentia, ergò non eſt ſine oppoſitione! Iræ autẽ? Immò iracundiæ, quæ vitium morale, non affectus, utquè ira non ſit ſine oppoſitione in ſpecie ſic dictâ, eſt tamẽ ſine contrarietate, atque ut maximè daretur aliquod ejus contrarium, non tamen illicò foret affectus.

CA-

CAPUT XLII.

De Fonte Morali Actionum Imperatarum, Facultate, quam vocant, Locomotivâ, operante virtute potentiæ superioris, elicientis atque imperantis, per tendentiam sive progressum ab Actu Elicito ad Actum Imperatum.

§. 1. Apertis *quatuor Fontibus Moralibus Actionum Elicitarum, Intellectu putà Practico, Voluntate, Phantasiâ, & Appetitu Sensitivo, cum suis Motionibus sive Affectibus, proximum est, ut de Fonte Morali Actionum Imperatarum, Facultate, quam vocant, Locomotivâ seu Locomotrice, operante virtute Potentiæ Elicitivæ Actionis Immanentis, hoc est, virtute potentiæ superioris, elicientis atque imperantis actum, per tendentiam sive condescensum ab Actu Elicito ad Actum Imperatum, sermo instituatur.*

2. *Dico, de Fonte Morali Actionum Imperatarum, Facultate, quam vocant, Locomotivâ,* quia enim hîc non tam Physicè eam consideramus, quàm Ethicè, id est, non tam prout est facultas animalis animæ sentientis, quæ causa ejus efficiens impulsiva principalis remota, cujus virtute membra exteriora, ministrantibus suo loco atque ordine nervis musculis & articulis, tanquam instrumento materiali & passivo locomotivæ, agitantur ad locum vel totaliter mutandum, sive in totum, quod sub-

jectum ejus absolutum, vel partialiter, sive in tantum, quod subjectum ejus limitatum, ad prosequenda ea, quæ bona sunt, idquè vel verè, vel apparenter, & fugienda contraria, quàm prout est talis facultas, cujus virtute homo, animal rationale, de loco in locum se commovet πῶς, cum moderamine videlicet & temperamento morali appetitus, non quasi locomotiva sit ipsemet appetitus, sed quiddam ex eo resultans.

3. *Dico, operante Virtute Potentiæ Elicitivæ Actionis Immanentis, hoc est, virtute potentiæ superioris, elicientis atque imperantis actum*, quia enim potentia secundum locum motiva non est activa actione immanente, verùm transeunte. Quamvis enim illius motus soleat dici immanens, quatenus manet in eodem supposito, propriè tamen immanens non est, quia non manet in eâdem potentiâ, ac nec in eâdem subjecti parte, animali per unam partem movente aliam, sæpè quin immò extrinsecum corpus, v. g. citharam, penicillum, calamum scriptorium: Quamvis item eadem potentia locomotiva in se indifferens sit quasi passivè ad efficiendos varios motus, applicatur tamen ad agendum per naturalem subordinationem à superioribus potentiis, potentiis, inquam, animæ imperantibus & dirigentibus motionem, ipso quin etiam ab usu determinatur ad certum motum moraliter artificialiterquè, per dispo-

poſitionem materialem, acquiſitam in membris per uſum moris & artis, per quem corpus ſecundariò diſponitur & habilitatur, aptumquè redditur ad promptè deſerviendum operationibus animæ, quemadmodum id quotidiè experimur in ipſis externis inſtrumentis artis, quæ ipſo uſu atque exercitio fiunt habiliora, vel quia perficiuntur, quoad figuram, vel quia efficiuntur magis lævia, molliorave, ſicuti videmus ipſas vires nutritivæ conſuetudine aſſueñeri ad abſtinentiam & moderationem.

4. *Dico, per tendentiam ſive condeſcenſum ab Actu Elicito ad Actum Imperatum*, quia actiones imperatæ ſunt actiones ejuſmodi, quæ ab aliis actionibus, quas Philoſophi elicitas appellant, ut à cauſis ac principiis ſuis, proficiſcuntur, quo fit, ut potentia locomotiva, quæ eſt actionum imperatarum, non imperativa ſit, ſed receptiva atque executiva eorum, quæ potentiæ ſuperiores, in quibus diſpoſitiones ad operationes ſunt principaliter, non in corpore organico, imperitant, cujuſmodi in noſtroque argumento ſunt, Intellectus Practicus, Voluntas, Phantaſia, & Appetitus Senſitivus.

5. Scilicet Intellectus Practicus cognoſcit & noſcitat res, quatenus bonæ vel malæ ſunt, eaſquè voluntati appetendas aut repudiandas proponit, voluntas dictamen hoc intellectus liberè accipit, ejuſquè judiciū ſequitur, Phātaſia,

quod Intellectus Practicus suo judicio dictavit agendum vel non agendum esse, voluntas autem accepit, aliâs probat & sequitur, aliâs improbat & aversatur, similiterquè Appetitus Sensitivus, phantasiæ phantasiam secutus, quem appetitum sensuum proximè excipit in utramque partem Locomotiva.

CAPUT XLIII.

De Actionum atque Affectuum Postprincipiis, Voluptate, inquam, & Dolore: Et quare de his agatur in Ethicâ proximè Actiones atque Affectus?

§. 1. *Actum est de Actionum atque Affectuum Principiis, sequuntur Postprincipia, qualia Voluptas & Dolor.* Appello postprincipia, quia licet actiones & affectus antecedant, quatenus oriuntur ex cognitione objecti, vel conferentis, vel adversi, ex sympathiâ, inquam, vel antipathiâ facultatis cum objecto, tamen propriè & proximè sequuntur, quatenus agens ex affectu & cum affectu, objecto vel potitur, vel privatur.

2. *At cur de Voluptate & Dolore tanto agitur opere in Ethicâ, idquè proximè Actiones atque Affectus?* (Nam hoc quæsierit fortassis quis:) Tum quia voluptate & dolore omnes actiones omnesquè affectus continentur, voluptate quidem actiones perfectę, & affectus dulces atque delectabiles, dolore contrà.

trà actiones imperfectæ, & affectus tristes atque injucundi, tum quia virtus moralis circa voluptatem & dolorem occupatur, tanquam circa generale objectum, & communem materiam, perquè omnes vitæ nostrę partes diffunduntur latissimè, quoniam, quæ jucunda sunt, omnes sequuntur, fugiuntquè contraria.

CAPUT XLIV.

Quid Voluptas Aristoteli, & Sequacibus?

§. I. *Perfecta operationis finis, sive perfectio operationis extrinsecùs accedens.* Ex quâ definitione colligitur, voluptatem proximè non proficisci à facultate vel habitu, verùm à facultatis vel habitus operatione, ideoquè non esse ipsam operationem facultatis aut habitus, sed perfectionem, quæ cum operatione conjuncta est, eamquè perficit, non quidem ut causa efficiens, quomodo objectum sensus dicitur sensum perficere, dum eum ad sentiendum impellit, sed nec ut habitus, id est, ut causa formalis & interna, quomodo sanitas dicitur efficere, ut quis sit sanus, verùm ut finis quidam fortuitus atque accessorius, qui per se non intenditur, sed actionem perfectam, quæ ab agente intenditur, perpetuò comitatur, ut qui talis sit, haud ratione intentionis, sive quoad esse intentionale, sed ratione executionis & concomitantiæ, sive quoad esse consequens

& concomitans, hoc est, non secundum quod finis dicitur id, propter quod aliquid est, sed secundum quod omne bonum completivè superveniens potest dici finis.

2. Vel pleniùs & planiùs: *Voluptas est perfectio accidentalis operationis potentiæ percipientis, proveniens ex bonâ dispositione potentiæ, & objecto convenienti, eoquè optimo in suo genere* Sic ex visione voluptatem percipimus, cùm & illæsa est ac non impedita videndi facultas, & res pulchra est, quam intuemur. Dico Perfectio, non quævis, aut cujusvis rei, verùm operationis: Accidentalis, ne videatur esse perfectio essentialis: Potentiæ percipientis, putà intellectus vel sensus: Proveniens ex bonâ dispositione potentiæ, hoc est, ex potentiâ benè dispositâ activè: Et objecto convenienti, eoquè optimo in suo genere, hoc est, benè disposito passivè, quod ubi fit, id est, ubi activum & passivum benè sunt condisposita, non non sequitur effectus illis comproportionatus, qui hìc resultans ex operatione perfectâ voluptas, quæ licet idem sit subjecto cum operatione, adeoquè simul cum eâ, ita ut operatio, quam comitatur voluptas, nequeat esse sine eâ, differt tamen secundum rationem, quia aliud operatio eâ ratione, quà operatio, & aliud voluptas eâ ratione, quà voluptas. Etenim voluptati competit, ut dicatur proficisci ex operatione, jungi & conjungi cum operatione, operationis contrà,

trà, ut sit subjectum quoddam, ex quo surgit & consurgit voluptas. Quod si quandoque voluptas vocatur operatio, ut vocatur ab Aristotele, fit id haud dubiè per metonymiam subjecti pro adjuncto, nec per essentiam, sed per causam, quoniam sicut operatio causa voluptatis, ita voluptas accidens & signum operationis, nec hujus cujusvis, sed perfectæ, qualis, quæ editur à facultate optimè dispositâ, minimequè impeditâ, quęquè tendit in objectum in suo genere perfectissimum, non imperfectæ, qualis, quæ à læsâ impeditâvè facultate proficiscitur, circaquè objectum vertitur & versatur, quod facultati non respondet.

3. Ubi notandum in transitu, duplicem dari perfectionem, unam internam, quæ constituit essentiam rei, aliam externam, quæ supervenit rei in suâ specie constitutæ, resultatquè ex eâ. Voluptas perficit operationem, estquè perfectio ejus, non primo modo, id est, ut forma quædam essentialis & interna, quia enim sic efficeretur, ut omnes operationes essent jucundæ, quoniam forma ei, cujus est forma, semper inest, jam verò constat multas operationes esse conjunctas cum dolore & molestiâ, sed secundo modo, id est, ut forma quædam accidentalis, resultans ex operatione perfectâ, tanquam ἐπίμετρον καὶ ἐπιγέννημα, corollarium complementum & appendix, quemadmodum videmus florentis ætatis perfectionem esse convenientem venustatem,

velùt cumulum quendam, & externam expletionem, ac quiddam adventitium extrinsecùs, exquè flore adeò ætatis benè disposito resultare pulchritudinem, non quasi pulchritudo sit de essentiâ illius ætatis, sed quòd adventitia quædam qualitas, resultans ex illâ.

CAPUT XLV.

Divisio Voluptatis trimembris: In Voluptatem Animi & Corporis: Simpliciter Communem, sive Naturalem, & Communem Secundum Quid, sive Non Naturalem & Propriam: Denique in Bonam sive Honestam, Malam sive Turpem, & Mediam sive Indifferentem.

§. 1. *Voluptas sic prædefinita tribuitur tripartitò, in Voluptatem Animi & Corporis, Simpliciter Communem, sive Naturalem, & Secundum quid Communem, sive Non-Naturalem & Propriam, denique in Bonam, sive Honestam, Malam sive Turpem atque Inhonestam, & Mediam sive Indifferentem.*

2. *Voluptas Animi* est, quæ animo sic percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat. Estquè vel Theoretica, vel Practica, vel Pojetica, quarum prima ab actionibus corporis sejunctissima, ideoquè purissima, quia objecti à materiâ secreti, reliquæ duæ nonnihil permixtæ, ideoquè impuriores in comparatione cum illâ & inter se, quia objecti non ita segregis à materiâ.

3. *Voluptas Corporis* est, quæ sensu percipitur,

cipitur, ideoquè ad animum ita spectat, ut corpus quoque afficiat. Estquè totuplex numero, quot sunt sensus. Alia enim est Visus sive Oculorum, alia Auditus sive Aurium, alia Olfactus sive Narium, alia Gustus sive Linguæ, alia Tactus sive Nervi Tactivi, quomodo visus voluptatem capere dicitur, quando se convertit ad fuscum colorem, quo vis ejus & virtus visiva congregatur, atque in unum cogitur, aut cùm intuetur blandos colores, aureum viridem cæruleum, auditus similiter ex leni & lentâ voce, olfactus, cùm resolvuntur vapores, suavitate quâdam organa olfaciendi roborantes, gustus hinc ex pingui ac dulci sapore, necnon subacidis & subacerbis, tactus denique ex qualitatibus tactilibus & tactibilibus temperatis. Ex his, quò quæque voluptas sensus plus aut minus commercii familiaris habet cum corpore, ita vel purior vel impurior scilicet. Purissima ea, quæ est visus, proxima auditus, huic proxima olfactus, hinc gustatus, & tandem tactus, cujus voluptas crassissima, & maximè concreta. Sed cur purissima visus, proxima auditus? Quia enim cum mentis voluptate cognationem habent, quoniam in harmoniâ consistunt, quæ in ordine, qui mentis.

4. *Quòd si Voluptatem Animi juvet componere exercitii gratiâ cum eâ, quæ est Corporis, ne præstantior & præstabilior in compara-*

tione fuerit Animi Voluptas: Optabilior interim vulgo Corporis Voluptas, nominatim Iuvenibus & Melancholicis.

5. *Præstantior & præstabilior Animi Voluptas.* I. Quia ἁπλῶς absolutè verè & de se bona, ut quæ modum non habeat, excessumquè vitiosum nullum admittat, sicut operatio, unde manat. Quis enim de rectè factis, justitiæquè operibus, voluptatem nimiam cepit unquàm? Quis in contemplationibus, vel Theologicis, vel Physicis, vel Mathematicis, plus, quàm par, lætatus unquã? Non sic se res habet cũ corporis voluptate, quę πῶς, comparatè, inquam, secundum quid, & alicui, id est, huic aut illi bona, immò nõ bona, nisi μέχει τῦ ἀγαθῦ, propter mediocritatem à naturâ præscriptam. II. Quia dolore vacat, ut quę per se & suâ naturâ jucunda sit, capiaturquè ex rebus per se ac suâ naturâ jucundis, neque noxia sit, nisi ex eventu, per se non item, cùm non sit excessu vitiosa, sed quò major, hoc melior: Enimverò corporis voluptas hactenus bona, hactenus innoxia, quatenus doloribus medicinam affert, sive, quod eodem redit, quatenus est curatio dolorum indigentis naturæ, hoc est, non nisi per accidens. III. Quia subjecti & objecti nobilioris, quàm corporis voluptas: Subjecti quod illius mens, hujus corpus: Objecti, quod illius res divinę & sublimes, hujus infimę & abjectæ: IV. Quia operationis nobilioris. Mentis siquidem voluptates ipsæ per se, non per aliud, expe-

expetuntur, ficut operationes, unde manant, nec fluunt, ut corporis voluptates, verùm conftantes funt, non tranfeuntes, fed immanentes, neque ad tempus, verùm in ævum.

6. *Optabilior interim vulgo Corporis Voluptas, nominatim atque in fpecie Iuvenibus & Melancholicis.*

7. *Vulgo ideò.* I. Quia voluptas corporis à plerisque omnibus appetitur, ut medicina quędã contra dolorem, quem omnes manibus pedibusquè à fe depellere ftudent naturaliter, tanquam naturæ inimicum & gravem, eum autem dolorem diminuit tollitvè voluptas. Ut enim medicinâ morbus, ita voluptatibus corporis dolor, tanquam clavus clavo, pellitur, fames, v. g. cibo, fitis potu, Venere alia defideria. Scilicet, cùm homines perpetuò laborent, atque diverfis exercitiis fatigentur, continuisquę adeò laboribus ac doloribus exagitentur, eosquè expellere cupiant, neque ullam medicinam reperiant, ideò, ut reficiantur & recreentur, confugiunt ad voluptates, & quando puras ac fimplices voluptates habere nequeunt, vertunt fe ad corporis voluptates craffas, quæ funt in promtu, & facili negocio acquiri poffunt, exiftimantes, eas effe medicinas laborum ac dolorum, quoniam contraria contrariis curantur, quo fit, ut has acriter perfequantur, atque ita quidem perfequantur, ut nonnulli ultrò fibi earum veluti fitim faciant, fumendo res acres amaras

amaras atque acerbas, ad gulam irritandam, quomodo cibo expletos videas interdum acriora quædam appetere, quibus cupiditas vescendi excitetur: Jam verò voluptates, quæ pellunt & expellunt dolorem, magis utique in speciem videntur esse expetendæ, quàm quæ id non faciunt: Quare & corporis voluptates. II. Quia, ut omnes homines, ita etiam vulgus, compositam naturam habet ex animâ & corpore, non unam ac simplicem, cumquè illud magis sensu vigeat, quàm mente, ideò nullas ferè alias voluptates percipere potest, præter corporis voluptates, quæ sensus afficiunt & feriunt, quod corpus, cùm pluribus humoribus constet præter sensus, mirari non convenit, si ad corporeas & sensibiles voluptates impellatur, prout humores incitant, & objecta sensuum excitant ac concitant. III. Quia pleriq; omnes de vulgo veras voluptates ignorant, in eâquè ignorantiâ, præferentes sensibilia intelligibilibus, neque tam appetentes voluptates vitæ causâ, cōdimēta cibi, quàm vitam voluptatis causâ, cibū condimenti, ut qui non tam edant & bibant, ut vivant, quàm vivant, ut edant & bibant, ideò corporis voluptates animi voluptatibus ex eo præferūt.

8. *Iuvenibus ideò*, quia, dum augetur eorum statura, perturbantur potenter humores, & natura fatigatur, stimulante & urente incremento, adeò quidem, ut corpora eo-

rum

rum æstuent commotis humoribus, non secùs atque ebrii homines vaporibus concuti solent, quo fit, ut tanquam ad medicinam aliquam confugiant ad voluptates, ad restinguendum incendium illud, hoc magis, quia ipsa per se adolescentia jucunda, sicut senectus tristis.

9. *Melancholicis ideò*, quoniam, dum atra bilis eos divexat, mordicat, & arrodit, neque eos quiescere sinit, fatigantur, sicquè fatigati ad voluptates, quibus se nonnihil instaurent atque exhilarent, convertuntur; cumquè non habeãt simpliciter voluptates, & in corpore patiantur, cõfugiunt ad corporis voluptates, tanquam averruncas mali sui.

10. *Voluptas Simpliciter Communis sive Naturalis est*, quam omnia animalia naturaliter ac sine delectu expetunt & percipiunt, ex usu nutrimenti ac Veneris cujuslibet, ad conservationem sui, tum in individuo, tum in specie, in individuo mediante nutrimento, in specie mediante Venere. Dicitur simpliciter communis, quia in omnibus eadem ad ista à naturâ propensio: Naturalis, quia hæc voluptas eorum, ad quæ naturæ quâdam necessitate compellimur, ut si quis longâ defessus vigiliâ somnum appetat, esuriens cibum, sitiens potum, amaturiens Venerem; Denique necessaria, eò quòd pertineat ad conservationem, vel individui, ut voluptas sicci & humidi, vel speciei, ut vo-

voluptas Veneris, quæ necessaria, non pro generatione ejus individui, in quo se exerit, sed pro generatione alterius individui, cujus gratiâ se exerit in suâ specie.

II. *Voluptas Secundum Quid Communis, sive Non-Naturalis & Propria* est, quam quodque animal suo judicio sibi deligit ex hoc vel illo nutrimento, aut Venere. Neque enim eadem omnia animalia concupiscunt, aut ex omnibus adæquè voluptatem capiunt, verùm alia ex his, alia ex aliis, quomodo videas alias bestiarum delectari aquâ lacustri, alias pluviâ, fluviâ alias, fontanâ alias, hoc pabulo has, alio illas: Similiter hominem magis capi hoc cibo & potu, quàm illo, ad delicias usque & luxuriem, hâc veste & domo magis, quàm illâ, ad delicias usque & luxum. Idem de Venere judicium. Atque in hanc voluptatem quadrat illud: Trahit sua quemque voluptas, equum sua, cui pabula culmi & paleæ optabiliores, quàm aurum, canem sua, cui panes ossa & carnes, gallum gallinaceum sua, cui grana hordei & avenæ, asinum sua, cui stramen & fœnum, hominem itē sua, alia hunc, alia illum, alia istum, studiosum litteræ, Musicum carmina, Poëtam versus, Philippum aliquem, sive equorum amatorem, equi: Quin tantum abest, ut omnes homines ex iisdem rebus voluptatem capiant, ut res eædem aliis molestæ sint, aliis verò jucundæ, alios offendant, alios oblectent. Ita non eadem

dem v. g. dulcia febricitanti & benè valenti, eademvè calida sano & ægro: Cur id? Quia enim non eodem modo affecti dispositiquè sunt, quibus propterea non possunt esse eadem convenientia. Dicitur secundum quid communis, quia non omninò eadem in omnibus ad ista propensio: Non naturalis, quia non ea hîc naturæ necessitas, quæ in purè naturalibus voluptatibus, aliqua tamen, eò quòd ipsa corporis constitutio & crasis, quæ naturalis est, multum næ multum conferat ad hoc vel illud expetendum, quomodo videas melancholicos ferè amare amara, sanguineos suavia, septentrionales multam carnem, & multum potum, meridionales contrà olera & herbas: Denique propria, & non necessaria, quia singulis animalibus peculiaris, vel naturâ, vel more, item adventitia, eò quòd ex pravâ consuetudine aut affectione existat, ut cùm quis hunc vel illum cibum potum aut Venerem impensiùs & intensiùs expetit.

12. *Voluptas Bona sive Honesta* est, quæ fluit ex virtutum actionibus, sive operationibus virtuosis, quibus vir bonus delectatur. Homini propria, sicut ipsa virtutum actio, unde fluit. Atque hæc simpliciter & absolutè bona scilicet. Dico simpliciter & absolutè bona. Duplex enim est voluptas, alia absolutè bona, alia comparatè. Voluptas absolutè bona est illa, quæ vera appellatur, qualis

qualis quæ ex virtutibus & bonis actionibus capitur: Voluptas comparatè sive alicui bona, est illa, quæ in ægrotantibus, aut fame sitivè laborantibus, scabievè titillatis, esse solet. Hi namque eam voluptatem expetunt illi quidem, sed dum vel siti, vel fame, vel morbo laborant, aliâs non item, cùm vera & absoluta voluptas ab omnibus expetatur.

13. *Atque adeò saltem aliquam voluptatem esse bonam & honestam, id verò probatur fide sequentium rationum.* I. Quia, quemadmodum bonum aliud simpliciter & absolutè bonum, aliud verò secundum quid bonum, quoniam alicui bonum, alicui verò non, ita etiam voluptas, bono cognata, alia simpliciter atque absolutè bona, alia secundum quid. II. Quia, si aliqua operatio bona, etiam aliqua voluptas, cùm nullus effectus possit toto genere esse deterior suâ causâ, & per consequens nec voluptas. III. Quia saltem ista voluptas, quam percipit vir bonus & studiosus ex virtutum actionibus, quæque conjuncta est cum beatitudine, est bona. IV. Quia, nisi bona sit voluptas, aliqua duntaxat, efficietur inde, beatum non vivere jucundè, immò etiam molestè, atque ita homo beatus non tantùm in voluptatibus nullis erit, quod absurdum, sed hoc ampliùs in molestiis, quod absurdius. V. Quia voluptas, aliis bonis addita, ea facit optabiliora

liora accessione suâ: (Majus enim bonum virtus cum voluptate, quàm si sola sit, & voluptate destituta:) Quare bona, cùm bonum non augeatur nisi homogeneo, hoc est, bono. VI. Denique, quia voluptas ab omnibus expetitur, tam ratione utentibus, quàm ejus expertibus, tam bestiis, quàm hominibus: Quod autem ab omnibus expetitur, illud videtur esse per se bonum, cùm bonum sit, quod omnia appetunt: Quin tantum abest, ut omnis voluptas sit mala, ut ne corporis quidem voluptas omnis, quæ bona, si non simpliciter & de se, minimùm ex eventu, sicut medicina, quæ ut non sit bona simpliciter, est tamen bona ægrotanti, & μέχρι τοῦ aliquatenus, atque usque ad aliquem terminum, quatenus videlicet servatur in eâ mediocritas, rationisquè præscriptum, ac naturæ desiderium, quod si non teneatur atque observetur, statim voluptas corporis desinit esse bona, etiam necessaria. Sed & vel ideò voluptas corporis bona, quia oppositus dolor corporis est in malis, sive sit positivus, qui à malorum præsentiâ, sive privativus, qui à bonorum absentiâ. eò quòd contrariorum alterum si est malum, tunc alterum certè, vel bonum, vel saltem non malum sit, quoniam contrariorum contraria, ut ratio, ita consecutio, putà immediatorum, non mediatorum. Neque enim v g valet: Prodigalitas est opposita avaritiæ, ut

ut rei malæ, ergò bona! Ut enim valeat hæc consequentia in contrariis, quæ non habent medium, eò quòd remoto uno ponatur alterum, & posito uno removeatur alterum, ut non est sanum, igitur ægrum, vel est sanum, igitur non ægrum, tamen non valet in contrariis, quę habent medium, ut non est album, igitur nigrum, cùm possit esse viride, fuscum, aut similis coloris: Gemino pacto in nostro argumento non valet, hoc opponitur malo, igitur bonum, cùm possint esse duo extrema mala contraria, mediumquè bonum per negationem extremorum, inter prodigalitatem v.g. & avaritiam liberalitas, & sic voluptatem inter & dolorem indolentia. Id quod videtur voluisse Speusippus, Platonis nepos, qui sic arguebat: Non, si voluptas & dolor sunt contraria, quorum alterum constat esse malum, continuò alterum ut sit bonum necesse est. Nam utrumque malum esse potest, cùm & malum malo sit contrarium, & utrumque bono, seu ambo ei, quod neutrum est, quemadmodum majus minori est contrarium, & utrumque æquali, vitium vitio, & utrumque virtuti, & sic voluptas dolori, & ambo τῇ ἀλυπίᾳ, sive doloris vacuitati. Ut ita Speusippo voluptas constituat unum extremum malum, dolor alterum extremum malum, medium autem bonum vacuitas doloris. Verùm meminisse oportuit Speusippum, hoc posito voluptatem quoque fugiendam

giendam esse. Nam si utrumque est malum, dolor & voluptas, utrumque fugiendum: Atqui dolorem omnes fugiuut, ut malum, voluptatem verò expetunt, ut bonum: Ergò non malum utrumque, neque ideò fugiendum utrumque.

14. *Voluptas Mala sive Turpis* est, quæ fluit ex vitiorum actionibus, sive vitiosis operationibus, quibus vir malus delectatur. Et ipsa homini propria, sicut vitiorum actio, unde fluit.

15. *Atque adeò, saltem aliquam voluptatem esse malam & turpem, id verò probatur fide sequentium rationum.* I. Quia, si omnis voluptas foret bona, nulla mala, aut omnis mala, nulla bona, sic nullum ampliùs daretur discrimen inter voluptatem illam, quam affert adulator, & hanc, quam affert amicus, cùm tamen illa sit turpis, hæc honesta. II. Quia nonnullæ voluptates sunt per se pravæ, ut voluptates carnales, quæ consistunt in scortatione, helluatione, inguine, inquam, & gulâ, & universè voluptates moraliter malæ, quæ percipuntur ex vitiosis actionibus. Atque hoc sibi voluit antiquitas, cùm Martem, voluptatis vinculis irretitum à Vulcano, nihil ampliùs præclari gerire potuisse, est fabulata.

16. *Voluptas Media sive Indifferens* est, quæ nec moraliter bona sive honesta, nec moraliter mala sive turpis, qualis corporis voluptas, quę in genere, nec bona, nec mala, ut actiones, unde oritur. Quòd si modũ excedat, prava est, qualis

qualis phagonum ebriosorum & libidinosorum sive libidinantium voluptas: Sin contineat se justis ac debitis terminis, media est, quoniam illâ homines & rectè uti possunt, hoc est, ex virtute, atque ad bonos & laudabiles fines, & malè, malo videlicet consilio, atque ex vitio: Naturâ interim suâ si æstimetur, potiùs sanè bona fuerit civili bonitate, quàm mala, quoniam à rerum conditore est concessa, ut eâ ad propriam conservationem, quæ individui, & aliorum propagationem, quæ speciei nomine venit, excitemur. Sed de divisionibus voluptatis hæc digito indice indicâsse sufficiat.

CAPUT XLVI.

An & cur Voluptates inter se specie differant?

§. I. *Voluptates inter se specie differunt, cùm ob alias rationes, tum ob has.* I. Quia, quæ specie differunt, ab iis, quæ specie differunt, perficiuntur, quoniam quales effectus, tales causæ: At actiones mentis & sensuum specie differunt, sicut & ipsorum sensuum operationes à se invicem, ut intelligere, ratiocinari, velle, appetere, videre, audire, hæque à voluptatibus perficiuntur: Igitur & voluptates specie differunt, ut quæ sint perfectiones operationum specie differentium. II. Quia voluptates diversarum operationum effectus contrarios ac specie diversos producunt, v. g. voluptates suæ

suæ & alienæ, sive propriæ & peregrinæ, quæ sibi invicem sunt impedimento, quomodo, qui cantu tibiâ & musicis delectantur, illos colloquia sermones historias fabellas haud magni facere videas, nec iis aures præbere, siquidem tibias audire liceat, & universè, si duæ occurrant actiones, duobusquè agendis occupemur, id, quod jucũdius, obfuscare alterũ cernas, quod minus habet voluptatis, quin immò, si una actio longè plus, quàm altera, afferat voluptatis, unam ferè nos persequi videas, alteram cõtrà omittere, atque adeò, quæ leviter saltem & modicè nos delectant, ea non nisi obiter & perfunctoriè agere, alioquè interim subindè propendere, sicuti fieri assolet in theatris. Quod si enim histriones, gladiatores, & his similes homines, imperiti sint, minusquè placeant, tum verò spectatores bellaria edunt, aut aliquid alterius rei faciunt, parum ad ea, quæ geruntur, attendentes. Est autem voluptas propria, quæ ex eâ ipsâ re, quæ agitur, ex ejus, inquam, actione capitur, sicut voluptas aliena, quæ capitur aliundè, priori impedimento, neque tamen eodem, quo proprius dolor, modo, qui & ipse actionibus est prępedimento, verùm dissimiliter. Voluptas namque aliena hoc facit blandiendo, dolor verò proprius offendendo, illa avocando animum suaviter ab aliis functionibus, & ad suas pelliciendo,

hic violenter eum abſtrahendo, illa ſuaviter non violenter, quia contraria dolori, hic violenter, non ſuaviter, quia contrarius voluptati. Unde conſequitur, dolorem magis neſcio quomodo impedire actiones, quàm alienam ſive peregrinam voluptatem, quia hæc minuit tantùm operationes, dolor verò vel deſtruit productas, vel impedit producendas. III. Quia, cùm voluptatum aliæ ſint bonæ atq; honeſtæ, aliæ malę atque inhoneſtæ, alię medię ſive indifferentes, ſicut actiones, quas conſequuntur, his ſpecie differentibus, non poſſunt non etiam ſpecie differre illæ. IV. Quia & cupiditates actionum ſpecie differunt, quare & voluptates, quę conjunctiores ſunt actionibus tempore & naturâ, ut quæ eodem tempore ſint cum actionibus, cùm contrà cupiditates ab actionibus tempore ſint disjunctę, eò quòd prius quid cupiamus operari, quàm operemur. V. Quia voluptatum objecta inter ſe ſpecie differunt. Alia quippè eſt voluptas liberalis, alia temperantis, alia fortis, quia ex alio objecto. VI. Quia ſubjecta, hoc eſt, ii, in quibus ſunt voluptates, ſpecie differunt. Alia quippè eſt voluptas equorum, alia leonum, alia urſorum, alia hominum, qui non ſolùm voluptates habent diverſas ab aliis animantibus, verùm etiam inter ſeſe. Nam, quæ pravæ ſunt, pravis placent, quæ verò honeſtæ, illæ probis arrident, alia muſico, alia amuſo, adulatori alia, amico alia.

2. Quòd

2. Quòd si voluptates inter se specie differunt, ut differunt, etiam oppositi dolores different sic inter se, vi oppositionis

---

CAPUT. XLVII.

Opposita ut definitio ita divisio Doloris.

§. 1. *Dolor, voluptati oppositus, vi oppositionis, est imperfectæ operationis accidens, sive imperfectio operationis extrinsecùs accedens:* Vel pleniùs & planiùs: *Dolor est imperfectio accidentalis operationis potentiæ percipientis, proveniens ex malâ dispositione potentiæ, & objecto, quod potentiæ non respondet,* sensio sive perceptio inquam, rei incommodæ cum læsione. Sic ex visione dolorem capimus, cùm vel ex oculis laboramus, vel cùm rem horridam & obscœnam intuemur.

2. *Quicquid sit, ut Voluptas, ita Dolor, dividitur in Dolorem Animi & Corporis, Simpliciter Communem, & Secundum quid Communem sive Proprium, denique Bonum Malum & Medium*, quia quot modis unum oppositorum dicitur, tot modis dicitur & alterum.

3. *Dolor Animi* dicitur, qui animo sic percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat & pertingat. Consequitur siquidem solam apprehensionem interiorem alicujus mali, repugnantis animo, dolor interior Thomæ.

4. *Dolor Corporis* dicitur, qui sensu externo percipitur, ideoquè ad animum ita spectat, ut corpus etiã afficiat. Causatur quippè ex malo conjuncto corpori, per sensum externum apprehenso, dolor exterior inde Thomæ. Totuplex, quot sunt sensus. Alius namque percipitur ex visu, alius ex auditu, alius ex odoratu, alius ex gustu, alius ex tactu, quoties hi sensus à suâ constitutione, sive statu suo naturali, dimoventur, visus v. g. splendido lumine ac colore, vim ejus & virtutem disgregantibus ac dispergentibus, auditus in genere, quovis strepitu violento, in specie, voce asperâ, gravi, maximâ, & celerrimâ, odoratus sive olfactus, in genere dissolutione vaporum nimis acrium, in specie sudore & fœtore, qui à sudore, gustus saporibus nimis pinguibus, austeris, acerbis, acidis, acutis, salsis, amaris, ex quibus pinguis Veneri, austerus Jovi, acerbus Lunæ, acidus Mercurio, acutus Soli, salsus Marti, amarus Saturno, à fabulosâ antiquitate est consecratus, tactus nimiis caloribus ac frigoribus, necnon iis, quæ tendunt, rodunt, rumpunt, fidem huic rei facientibus ipsis sensibus, qui sic de seipsis loquuũtur, aut potiùs ut loquentes introducuntur à Ravisio:

Visus: *Lucem oculis video, & variosdiscerno colores:*

Auditus: *Consona me juvat, offendit symphonia discors:*

Olfa-

Olfactus: *Fragranti oblector, vitioso offendor odore:*

Gustus: *Insipidum & sapidum quid sit, me judice constat:*

Tactus: *Sentio, quid calidum, & gelidum, quid molle, quid asprum.*

Sed maximè interim & proximè dolor corporis percipitur ex tactu, cujus symptoma dolor propriè & per se, ut quem caussentur qualitates, vel primæ, eæquè vel activæ, ut calor & frigus, vel passivæ, ut siccitas & humiditas, suâ vel positione, quomodo in siti parit dolorem qualitas positiva siccitas, non absentia humidi, vel privatione, quomodo ex humiditate nascitur dolor, cùm immodicâ sui copiâ partem aliquam occupavit, v. g. ventriculum potus, vesicam urina, vel secundæ, ex contemperamentis primarum natæ, reliquorum verò sensuum symptoma per accidens, idquè aut propter κοινωνίαν, quatenus sunt tactus participes, aut propter objecta eorum, quæ, si naturæ mediocritatem transeant, caussam aliquam proximam doloris procreant.

5. *Dolor Simpliciter Communis* dicitur, quem omnia animalia naturaliter refugiunt, percipiuntquè ex defectu nutrimenti & Veneris, cum destructione sui, tum in individuo, tum in specie, in individuo, per deliquium alimenti, in specie, per deliquium Veneris.

6. *Dolor Secundum Quid Communis sive*

INSTITUTIONUM ETHICARUM, LIBRI SECUNDI, QUI EST, Περὶ Τῆς Ἀρετολογίας, DE Vitæ Rectæ Regimine,

CAPUT I.

Quid ἡ Ἀρετολογία, quæ posterior Ethices pars, eique substrata Ἀρετὴ, Virtus, oppositumque Vitiū, quà nomen, quà rem nomine vestitam?

§. I.



Ἀρετολογία nihil aliud est quã Doctrina de Regimine Virtutis. 2. *Ἡ Ἀρετὴ verò sive Virtus, quæ Objectum ejus, habitus, qui subjectum, in quo est, animum scilicet hominis, benè affectum reddit, & opus ejus rectum ac perfectum dat:* Vel, quod eodem redit, *Virtus est habitus animi laudabilis, κατ' ὀρθὸν λόγον, ἢ μετ' ὀρθοῦ λόγου, rectæ rationi consentaneus, & cum eâ conjunctus.* Quæ definitio est generalis, utriq; speciei virtutis competens, licet inæqualiter, sive secundũ prius & posterius, πρώτως morali, δευτέρως intellectuali, quia hęc pręstat facultatem tantùm benè oper-

 ran-

randi, illa cum facultate compræstat bonum ejus usum.

3. Sed juvat ἀναλύειν. *Definitum est Virtus.* Hæc apud Hebraicè philosophantes nomen habet à mensurâ, vel quòd ad rectæ rationis regulam sit dirigenda passivè, vel quia commotionem animi, humanarumquè contemplationum & actionum, regula sit activè. Græcè philosophantibus appellatur ἀρετὴ, cujus nominis variæ circumferuntur etymologiæ in scholis etymologicis. Quidam enim id deducunt ἀπὸ τοῦ Ἄρεως, à Marte, eò quòd initiò tantùm notârit fortitudinem, quæ tempore Martis, hoc est, belli, in quo virtutis usus potissimùm elucescit, nescio quomodo conspicitur: Alii ab ἄρω, quod est congruo, eò quòd virtus sit congruentia cum rectâ ratione: Alii ἀπὸ τοῦ ἀρέσκειν, à placendo, quasi ἀρεστὴν, quia omnibus placere debeat: Alii ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν, à diligendo, quasi ἐρατὴν, per μετάθεσιν primorum sive initialium elementorum, quia summè sit diligenda: Alii ἀπὸ τοῦ αἴρειν, ab attollendo, quasi αἰρετὴν, quia mentem ad summa elevet atque extollat, quemadmodum opposita κακία eandem ad inferiora deprimit, sic dicta, quasi κάτω ἰὼν ἢ κακῶς ἰὼν, deorsum seu malè iens: Alii, ἀπὸ τοῦ αἱρέομαι, quod est eligo, quasi αἱρετὴν, quia maximè sit eligenda: Alii, inter quos Plato, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥέειν, à semper fluendo, quasi ἀειῤῥετὴν, quia semper negocietur,

cictur, nunquam ocietur. Latinè philosophantibus virtus vocatur, vel à viro, eò quòd antiquitùs sola fortitudo, quæ viris propria, virtus diceretur, quasi viri artus, vel à viribus, quæ majores & crebriores in viro, quàm in fœminâ, vel à vi, accipiendo hanc vocem, non pro violentiâ, quæ *βία* Græcis. (Quid enim huic cum virtute negocii, in quâ libera & voluntaria omnia, nulla coacta?) sed pro *δυνάμει*, facultate & potentiâ, cùm virtus nihil sit aliud, nisi vis quædam animi, quâ affectus subjiciuntur rationi. Germanicè philosophantibus est *tugendt* vel *tügendt*, à *taugen* vel *tügen*, quod est valere. Quid enim aliud virtus, quàm valor & vigor animi florentis Philosphicè?

4. Sumiturquè ejus vocabulum, vel Propriè, vel Impropriè & Modificatè. Propriè tribuitur, in genere homini, in specie adulto & sanæ mentis, in quo invenitur judicium sapientiale & prudentiale, acquisitum doctrinâ vel cõsuetudine: Impropriè, tribuitur creaturis, vel viventibus solùm, vel viventibus & sentientibus, vel viventibus sentientibus & ratiocinantibus naturaliter, ut cùm virtute fœniculi dicuntur acui oculi, virtute pœoniæ expugnari morbus caducus, virtute rutæ pelli venenum, virtute dictamni coalescere vulnera, virtute solis reviviscere omnia, virtute lunæ trahi humores, cumquè ut vegetativæ ita sensitivæ & rationali ani-

mæ ſuæ tribuuntur virtutes, animæ vegetativæ facultas nutriendi concoquendi expellendi, animæ ſenſitivæ ſentiendi, animæ rationali ratiocinandi. Modificatè hinc, ut cùm per metaphoram ea attribuitur Deo, angelis, brutis, vel per ſynedochen, ſapientia, fortitudo, aliçvè ejus ſpecies, ejus nomine intelliguntur, vel per metonymiã, virtus Catonis pro ipſo Catone, Lęlii pro ipſo Lęlio, ponitur, ad eum modũ, quo fructus caſtaneę pro ipsâ caſtaneâ, nucis pro nuce.

5. *Definitio conſtat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

6, *Genus virtutis eſt Habitus*, quia per eam perfectè diſponimur ad operandum, & quoad uniformitatem actionũ, & quoad expediẽtiam atque expeditionem: *Iſquè Operativus*, operis tam interioris quàm exterioris, cùm ſit perfectio potentiæ ad opus, non quoad eſſe, ſed quoad agere: *Nec is quivis, verùm Bonus*, ſecundum propriam eſſentiam, atque ex ratione ſuâ intrinſecâ, ex ſuâ naturâ inclinans & facilitans hominem ad actum bonum, nulloquè ad actum malum modo, cùm virtus diſponat ad actus ſimiles iis, à quibus fuit producta. Sicut enim habitus pulſandi citharam non inclinat ad quemvis motum, ſed ad motum ſecundum artem & harmoniam, ita habitus virtutis, v. g. temperantiæ, inclinat non ad quamvis comeſtionem, ſed ad circumſtantiatam, cum debitis circumſtantiis, faciens, & habentem bonum, & opus ejus bonum, virtus.

tus moralis absolutè, intellectualis, cum additamento, bonum putà Physicum, per habitum Physices, Metaphysicum, per habitum Metaphysices.

7. *Differentia Specifica virtutis non una, sed duplex. Dicitur quippè primò, quòd subjectum, in quo est, animum scilicet hominis adulti, & sanæ mentis, benè affectum reddat*: Quo sensu, sicut virtus oculi dicitur benè cernere, ita virtus hominis benè dispositum esse ad operandum, hoc est, contemplandum & agendum uniformiter, continuò, & cum voluptate. *Dicitur secundò, quòd opus ejus rectum & perfectum det*, ut quod non tantùm conveniat esse κατ' ὀρθὸν λόγον cum Stoicis, sed etiam μετ' ὀρθῦ λόγυ cum Peripateticis, hoc est, non tantùm rectæ rationi consentaneum, verùm etiam cum rectâ ratione conjunctum. Neque enim valet; hic habitus vel hoc opus dirigitur à rectâ ratione, ergò est cum rectâ ratione. Nam & improbi sæpè quid faciunt rectæ rationi consentaneum, dum reddunt v. g. depositum, sed inviti aut coacti, qui tamen virtute præditi non sunt: Etiam quin servus habet habitum obediendi, secundum quem obedit domino suo prudenti, facitquè, quæ ille præcipit, neque tamen virtus in servo, licet in eo sit habitus, directus à rectâ ratione, quia talis recta ratio non est in servo, sed in domino.

8. *Quod raptim dictum & doctum de Virtute, idem mutatis mutandis dicendum ac-*

docendum de opposito Vitio, sic dictò à vitando: Quod aliàs sumitur propriè, vel pro ipsâ pravitate seu vitiositate, tam corporis quàm animi, vel pro qualitate ac dispositione vitiosâ ac pravâ, aliâs modificatè, ut cùm parietibus tribuitur vitium, qui vitium facere dicuntur, quando minantur ruinam, cumquè per ignem vitium excoqui, aut virgini vitium offerri dicitur. Si propriè, vel est mera privatio, & non aliquid positivum, ut in priori significatione, vel est aliquid positivum, vitiositate ac pravitate informatum, aut potiùs destitutum bonitate debitâ, ut in posteriori. Atque sic accipitur hoc loco à nobis, nempé pro privatione debitæ bonitatis ac perfectionis, hoc est, virtutis. Neque interim est privatio pura puta, ceu sunt peccata, quæ vocant, omissionis, verùm aliquid, quod per rationem suam formalem est privativum. Quæ duo toto cœlo differunt. Privatio enim, quà talis, est non ens, privativum verò ens cum non ente complicatum, hactenus positivum, non quidem quoad formale, quod ἀταξία, quæ non positio sed privatio τάξεως, verùm quoad materiale, quomodo inebriari vitium, neque tamen pura puta privatio, cùm non contingat sine actione, hoc est, bibitione multâ, quæ, quatenus actio, positivum quiddam & ens, quatenus verò deformitas actionis, vel facultatis, quam habet pro subjecto, hoc

est,

est, quatenus vitium, ut sic privativum quiddam, & non ens, (lapsus, inquam, in id, quod non est, & recessus ab eo, quod est,) non quidé quoad materiale, sed quoad formale. Quò fit, ut vitia extrema, inter quæ mediant virtutes, non sint puræ aut meræ privationes mediarum virtutum, sed actus cum privatione, adeoquè privationes quoad formale, actus quoad materiale.

9. Cæterùm de vitio agitur in Ethicâ; non primò & per se, sed per accidens, & per consequentiam quandam, seu ex eventu, neque ut parte constituente, verùm uberioris tractationis distinctionis explicationis & cognitionis ergò, adeoquè in ordine ad virtutem, quæ cùm sit mediocritas, perfectè cognosci ac declarari nequit sine extremis, quoniam oppositorum est eadem scientia, eaquè juxta se posita nescio quomodo magis elucescunt. Quemadmodum ergò Medicus tractat de toxico, Logicus de sophismate, Politicus de flagitiis dominationis, Jurisconsultus de injuriâ, ita Ethicus de vitio, non docendo illud, sed dedocendo, & istorsum non aliorsum etiam nos.

CAPUT II.

Τῆς Ἀρετῆς divisio secũdũ animæ potẽtias virtutis susceptivas, in Intellectualem sive Mentis, & Moralem sive Appetitus, cum horum comparatione.

§. I. *Sic definita Ἀρετὴ Virtus, vel Intellectualis est sive Mentis, vel Moralis sive Appetitus.*

Cùm enim omnis virtus humana ſit habitus, quo homo ad benè operandum perficitur, principium autem humanorum actuum in homine non ſit niſi duplex, τὸ Λογικὸν Intellectus, & τὸ Ὀρεκτικὸν Appetitus, hinc ſequitur, Virtutem Humanā eſſe perfectivam alicujus iſtorum principiorum, & vel Intellectualem, quæ perfectiva Intellectus, vel Moralem, quæ perfectiva Appetitus: Cumquè plures ſint animæ potentiæ, præter τὸ Ὀρεκτικὸν, καὶ τὸ Λογικὸν, etiam τὸ Φυτικὸν, erit vel τοῦ Φυτικοῦ, vel τοῦ Ὀρεκτικοῦ, vel τοῦ Λογικοῦ: Non τοῦ Φυτικοῦ, tum quia hæc potentia non eſt hominis propria, ſed huic cum ſtirpibus & beſtiis communis, quæ hujus beneficio aluntur & augentur, id eſt, amplificantur in longum latum & profundum, tum quia eadem potentia neſcio quomodo magis per ſomnum, quàm per vigiliam, operatur, valentiorquè eſt in dormientibus, quàm in vigilantibus, potentia verò hominis propria cōtrà ſe habet, quę in ſomno quieſcit, neque ſomno impeditur unquam, ſed benè ſomnio, hoc eſt, ſomno non ſomno, tum quia non expers modò rationis eſt hęc potentia, putà altrix, ſed hanc nullo modo audit admittitvè: Non etiam τοῦ Ὀρεκτικοῦ, quatenus hæc potentia eſt irrationalis quoad ſui conſtitutionem, hoc eſt, de naturâ ſuâ atque eſſentiâ, ut quæ ut ſic reſponſet rationi, conquè venienter virtuti, quod autem tale, id irrationale, cùm ratio non repugnet rationi, & ve-

& verò etiam homini sit communis cum cæteris animalibus, quæ & ipsa habent sensum, neque tamen agunt, sed aguntur potiùs instinctu quodam naturali, cùm sint expertia rationis: Quare τȢ Λογικοῦ, ejusquè vel Participati, hoc est, talis per participationem sive communicationem, quatenus τὸ ὀρεκτικὸν, id est, eadem hæc potentia in subjecto homine est apta nata auscultare rationi, & τὸ ἡγεμονικὸν ejus sequi, quemadmodum videmus cæcum sequi ductum videntis, sicquè participem esse quodammodò visus, filium amicumvè sequi, illum rationem patris, hunc rationem amici, non quasi ratio patris insit in filio, aut amico, aut quasi filius rationem, cur pater sic agat, & amicus, cur amicus, reddere valeant, verùm quòd sequantur rationem ac judicium patris & amici, horumquè rationi obtemperent, vel Originalis, hoc est, talis per essentiam ac constitutionem, pro quarum animæ potentiarum ratione, duarum numero, totidem Virtutum genera ingeniosè colligit Philosophus, alterum Διανοητικὸν Intellectuale, cui hospitium assignat ἐν τῷ Λογικῷ, in Intellectu, alterum Ἠθικὸν Morale, cui stationem assignat ἐν τῷ Ὀρεκτικῷ, in Appetitu Sensitivo ratione illustrato, quarum virtutum illæ Intellectuales sive Intellectus, hæ Morales sive Appetitus, illæ Mentis, hæ Moris audiunt in Philosophiâ Morali, sine quâ mente, & quo more, nulla

nulla datur actio studiosa, illâ existéte causæ, hoc causâ causati. Excipies fortassis, præter τὸ φυτικὸν animæ vegetantis, τὸ ὀρεκτικὸν animæ sentientis, & τὸ λογικὸν ἢ διανοητικὸν animę rationalis, dari quoque inter potentias animæ sentientis, τὸ αἰσθητικὸν, καὶ κινητικὸν κατὰ τόπον, igitur malè divisionem virtutis in intellectualem & moralem colligi ἐκ τοῦ ὀρεκτικοῦ καὶ λογικοῦ, secluso φυτικῷ tantùm! Respondeo, τὸ αἰσθητικὸν καὶ κινητικὸν κατὰ τόπον, in catalogo potentiarum animæ, nominatim sentientis, ideò omitti à Philosopho hoc loco, quia τὸ ὀρεκτικὸν animæ alterum ponit antecedenter, alterum consequenter, utrumquè implicitè.

3. *Sed utra prior in hoc regno, Virtusnè Intellectualis Morali, an Moralis Intellectuali? Intellectualis Morali*, tum quia in docendo faciliora præcedere, difficiliora sequi debent, faciliores autem sunt virtutes intellectuales, cùm tantùm contemplentur, difficiliores contrà virtutes morales, quæ in actionum altum pelagus demerguntur, tum quia generalia specialibus sunt priora, dirigens directo, mensura mensurato, regula regulato, virtutes autem intellectuales sunt mensuræ & regulæ virtutum moralium, dictante intellectu appetitui, quid bonum, quid malum, quid eligendum, quid aversandum, quid committendum omittendumve sit, absque quâ honesti & turpis, boni & ma-

li

li notitiâ, impossibile, ut virtus moralis comparetur, quoniam ad eam consequendam, tum appetitio & persecutio boni, tum aversatio & fuga mali requiritur, utraque autem præsupponit notitiam boni & mali, quæ sine virtute intellectuali contingere nequit. Possunt quidem virtutes morales esse sine quibusdam virtutibus intellectualibus, verbi gratiâ, sine scientiâ & arte, sed non item sine intelligentiâ & prudentiâ: Non sine illâ, quia per intelligentiam cognoscuntur principia, tam speculativa, quàm practica: Non sine hâc, quia ad hoc, ut electio sit bona, non tantùm desideratur, ut sit debita intentio finis, id quod suo loco curat virtus moralis, quæ appetitum inclinat ad bonum conveniens rationi, sed etiam, ut homo rectè accipiat ea, quæ sunt ad finem, id quod suo loco atque ordine curat prudentia, quæ suggerit media ad eum finem, illa *τὸν σκοπὸν*, hæc *τὰ πρὸς τοῦτον*. Sed & quędam virtutes intellectuales esse possunt sine moralibus, ut intelligentia, scientia, sapientia, & ars, ut quæ queant esse etiam in malè moratis, etiam quin in spiritibus malis: Quin immò intellectuales virtutes magis esse possunt in comparatione sine moralibus virtutibus, quàm hæ sine illis.

4. *Utra item præstantior ac præstabilior in comparatione, Virtusnè Intellectualis Morali, an Moralis Intellectuali? Intellectualis iterum*

rum Morali, saltem ἁπλῶς, hoc est, absolutè atq; in se, tum quia ut sic nobilius habet subjectum, nempè mentem, nobilius objectum, nempè Deum & divina, nobiliorē finem, nempè contemplationem, cui suo loco velificatur actio, nobiliora adjuncta, voluptates putà stabiliores sufficientiores sinceriores ac tranquilliores, idquè ob operationis simplicitatē, quæ non corporis, sed mentis, non fluens, sed constans, non transiens, sed immanens, non horaria aut temporaria, sed in diem currens & recurrens, licet secundum quid moralis queat esse præstantior & pręstabilior intellectuali, considerata in ordine ad actum, & quatenus perficit appetitum, cujus est movere alias potentias ad actū.

CAPUT III.

Quid Virtus Intellectualis sive Mentis, quà Nominalitatem, quà Realitatem? Quod ejus Genus, Subjectum, Objectum, quaquè adeò Affectio?

§. 1. *Virtus Intellectualis, siquidem nomen spectes, nihil aliud est, quàm virtus intellectus: Sin rem, nihil aliud, quàm habitus animi, hoc est, virtus, intellectum ad inquirendum verum perficiens, quâ is illud, vel affirmando, vel negando, enunciat, sicut virtus moralis nihil aliud, quàm habitus animi, hoc est, virtus appetitum ad comprehendendum bonum perficiens, quâ is illud, vel prosequendo, vel fugiendo, assequitur.*

2. Juvat ἀναλύειν, *Definitum est Virtus Intel-*

tellectualis, *διανοητικὴ* Græcis, rationalis mẽtalis adjectivè, rationis mẽtis substãtivè Latinis.

3. *Definitur Genere & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Virtutis Intellectualis remotum est Habitus: Proximum Virtus: Vtrumque Qualitas*, virtus remotè, habitus proximè, qui species qualitatis, sicut virtus habitus.

5. *Differentia Specifica Virtutis Intellectualis sumitur à Subjecto ejus, Objecto, & Affectionibus Propriis. Subjectum Virtutis Intellectualis est Intellectus*, tum quia virtutes intellectuales inde appellantur tales, quòd sint habitus intellectus, atqui habitus non est, nisi ejus, quod est subjectum ejus, tum quia idem intellectus est subjectum specierum intelligibilium, quare & habituum, tum quia, sicut intellectus hominis est capax actionum suarum immanentium, ita & habituum, qui ex illarũ repetitione & frequentatione consurgunt, tum quia, si habitus intellectuales non essent in intellectu, tanquam in subjecto, tunc mens, à corpore separata, nec intelligens nec sciens, nec sapiens foret, quod absurdum, cùm beatitudo non possit consistere cum privatione atque exilio omnis intelligentiæ scientiæ & sapientię: *Non Phantasia & Memoria*, tum quia, si intelligentia scientia & sapientia essent in phantasia, eæ homini cum bestiis sic communes forent, nec virtutes & perfectiones mentis, sed phantasiæ & memoriæ, quæ mens non esset am-

ampliùs denominanda sapiens, verùm phantasia, nec homo talis, id est, homo, munere rationis sive mentis, sed phantasiæ, tum quia phantasia & memoria sensitiva non sunt capaces universalium, quæ non judicatur sentiendi facultate, at benè intelligendi, virtutes autem intellectuales sunt universalium, tum quia sic tolleretur discrimen inter virtutes mentis & moris, affirmatioquè & negatio non mentis audirent operationes, sed phantasiæ. Ponuntur quidem in viribus sensitivis apprehensivis internis quidam habitus consuetudinales, v. g. in memoriâ, sed ii non sunt habitus per se, ideoquè virtutes dici nequeunt.

6. Contra Piccolomineū, qui virtutes intellectuales in phantasiâ recipi, & in memoriâ servari vult, motus his argumentis inargumentis. I. Quia appetitus sensitivus possit esse subjectum virtutis moralis, in quantum obedit rationi, ergò & imaginativa & memorativa subjectum intellectualis virtutis! Quasi verò imaginativa & memorativa respectu intellectus se habeant, ut motæ, sicut appetitus sensitivus, ac non potiùs ut moventes. II. Quia prudentia sit quædam virtus, hujus autem pars memoria! Quasi verò memoria sit pars prudentiæ, sicut species est pars generis, & non potiùs se quodammodò habeat per modum partis integralis, quatenus unum eorum, quæ requiruntur ad pruden-

prudentiam, est memoriæ felicitas sive bonitas. III. Quia mens sit res divina, atque ex se sufficiens, ut rectè suo munere fungatur, non egens formâ, sive accidente mutabili, per quod intrinsecùs dirigatur, v. g. habitu! Quasi verò, utut mens, ratione originis suæ naturæ ac facultatum, sit res divina, quò tamen rectiùs munere suo fungi valeat per omnes partes, non in genere tantùm, sed & in specie, ad eam rem indigeat habitibus, tam infusis, quàm acquisitis. IV. Quia, si habitus subjectivè essent in mente, nunquam delerentur, cùm solus materiæ fluxus sit causa, cur formæ deleantur! Quasi verò per lapsum primorum parentum non deleta fuerit in animâ rationali impressa imago Dei, quamvis in eâ materiæ fluxus non fuerit. V. Quia virtus ordinetur ad bonum, hoc autem non sit objectum intellectus! Quasi verò, cùm bonum sit uniuscujusque rei finis, intellectusquè finis verum, hoc ipsum, putà cognoscere verum, non sit ejus bonũ? VI. Quia virtus sit, quæ producit bonum actum, bonumquè facit habentem, hoc autem non faciant habitus perficientes intellectum! Quasi verò, quamvis habitus perficientes intellectum non faciant simpliciter bonũ habentem, opusquè ejus bonum reddant, (Neque enim simpliciter quis dicitur homo bonus ex hoc, quòd est sciens, vel artifex, sed solùm secundum quid, putà, bonus
Gram-

Grammaticus, aut bonus faber,) non reddant bonum opus in facultate quâdam, bonumquè faciant habentem secundum quid.

7. *Objectum Virtutis Intellectualis est Verum, tam νοητὸν, quàm διανοητὸν, tam Cognoscibile tantùm, quàm Cognoscibile & Producibile simul*, quorum alterū est habituum speculativorum, nempè Intelligentię Scientię & Sapientiæ, alterum Practicorū, nempè Prudentiæ & Artis, idquè tam in actu signato, quatenus & verū pertinet ad distinctas disciplinas, quàm exercito, quatenus ad omnes, quę verè cognoscunt sua subjecta, Physicus aurum, Mathematicus circulum, Ethicus virtutem, per modum cognoscentis & cogniti, adeoquè secundum denominationem intrinsecam, non extrinsecam, quomodo etiam falsum ejus objectum, non per se, sed per accidēs, nec primariò, verùm secundariò Quòd si excipias, animam sæpè falli, ergò ejus objectum non esse verum! Redexcipiam, animam per virtutes intellectuales semper dicere verum, tam ex parte rerum, quàm ex parte nostrâ, & habituū purè intellectualiū cùm sint de necessariis, conquè sequenter illis, quæ non possunt aliter se habere, ideoquè falli nequeunt, secundum verò habitus mentis consultativæ, ut sunt prudentia & ars, quarum altera est in mente activâ, altera in mente factivâ, verum quantum ex parte suâ, non item verum semper ex parte rerum

rerum atque executionis, qui error per accidens, & non per se, culpâ existente non in prudentiâ, vel arte, sed in conditione & varietate ac variabilitate rerũ, circa quas versantur, quæ contingentes sunt, sequè aliter atque aliter habere possunt, ut ita non ipsorum habituum sit peccatum, sed rerum.

8. *Affectiones Virtutis Intellectualis sunt, Affirmatio & Negatio, sicut Virtutis Moralis Prosecutio & Fuga.* Quemadmodum enim operationes intellectus ratione strati duæ sunt, quæ virtute intellectuali diriguntur, κατάφασις καὶ ἀπόφασις, affirmatio & negatio, ita operationes appetitus ratione sui strati & ipsæ duæ sunt, quæ virtute morali diriguntur, δίωξις videlicet καὶ φυγή, prosecutio & fuga, quas inter talis cognatio, ut intellectus affirmatio sit quædam velut prosecutio, & negatio quædam velut fuga; & contrà, appetitus prosecutio quædam velut affirmatio, & fuga quædam velut negatio. Etenim cùm intellectus affirmat, dicendo hanc rem esse bonam, ideoquè sequendam, tunc appetitus prosequitur eam quasi affirmativè, similiter quando intellectus negat quid esse bonum, ideoquè fugiendum, tunc appetitus illud refugit quasi negativè: Quo fit, ut prosecutio sit in appetitu, sicut affirmatio in intellectu, similiterquè fuga in appetitu, sicut negatio in intellectu.

CAPUT IV.

Virtutis Intellectualis Subdivisio in Theoreticam & Practicam, sumta ex Subjecto, Objecto, Modo, & Fine, cum ordinis tumultuariâ designatione.

§. 1. *Sic definita Virtus Intellectualis, vel Theoretica est, ut Intelligentia, Scientia, & Sapientia, vel Practica, ut Prudentia & Ars. Cujus numeri quinarii ratio colligitur, partim à Subjecto Operante, partim ab Objecto Operabili, partim à Modo Operandi, partim à Fine Operationis. A Subjecto Operante hactenus,* quia materia in quâ. seu subjectum inhærentiæ habituum intellectualium, est intellectus, isquè duplex, ἐπιστημονικὸς ἢ θεωρητικὸς, qui subjectum intelligentiæ, scientiæ & sapientiæ, καὶ λογιστικὸς ἢ πρακτικὸς, (sumto vocabulo τοῦ πρακτικοῦ latè, prout τὸ ποιητικὸν ambitu suo includit, non strictè, prout illud excludit, qui subjectum prudentiæ & artis, ex quo subjecto Virtus Intellectualis non incommodè tribuitur in Theoreticam & Practicam, condividenter tum ipsi Philosophiæ, tum fini ejus.

2. *Ab Objecto Operabili hactenus*, quia materia circa quam, seu objectum habituum intellectualium, vel est cognoscibile tantùm, idquè vel principiorum, & circa hæc attinetur intelligentia, vel conclusionum, sive conclusorum de principiis, & circa hæc attinetur scientia, vel utrorumque per-

permixtim, five aggregati ex his, & circa hæc attinetur Sapientia, quæ eſt veluti amborum nodus, vel Cognoſcibile & Producibile ſimul, idquè vel Agibilium preſsè ſum.-torum, & circa hęc attinetur Prudentia, vel Factibilium, & circa hęc attinetur Ars.

3. *Modo ſive Munere Operandi haĉtenus*, quia enim Intellectus, cujus opus veri perveſtigatio, hoc munere ſuo fungitur, aut in ſe, aut alterius gratiâ: Si in ſe, vel id facit ſine mentis quâdam agitatione ſive diſcurſu, & dicitur Intelligentia, vel cum mentis quâdam agitatione ſeu diſcurſu, interveniente ratiocinatione apodicticâ, dum ratio ſpeculativa ratiocinatur ſyllogizando demonſtrativè, & dicitur Scientia, vel permixtim, ita ut utroque munere fungatur mens, cumquè diſputatione quid concludat, vel ſine eâ, & dicitur Sapientia, quæ habitus compoſitus ex duobus ſimplicibus: Si alterius gratiâ, vel id facit agendo, & dicitur Prudentia, vel faciendo, & dicitur Ars, utrumque interveniente ratiocinatione dialecticâ, dum ratio activa & factiva ratiocinatur ſyllogizando demonſtrabiliter.

4. *Denique à Fine Operationis haĉtenus*, quia Intellectus Speculativi, & Habituum Speculativorum, putà, Intelligentiæ Scientiæ & Sapientiæ, finis ſola cognitio, Intellectus verò Activi, & Habituum Activorum, putà, Prudentiæ & Artis, præter cognitio-

nem operatio, hoc eſt, illius actio, hujus factio.

5. *Quod attinet Ordinem Virtutum Intellectualium, quem illa habent inter ſe, ille verò vel Neceſſitatis eſt, vel Dignitatis ſeu Naturæ.* Ordine Neceſſitatis primæ ſunt Artes, ut quæ ſuccurrant humanæ neceſſitati, & ob humanam imbecillitatem ſint paratæ, requiranturquè, non tam ad benè eſſe, quàm ad eſſe: Proxima Prudentia, ſine quâ homines, nec à feris, nec à ſe invicem, tuti eſſe poſſunt. Ordine Dignitatis ſeu Naturæ contrà cedunt Artes cęteris, cùm artes ſolùm quærant utile, Prudentia honeſtum, reliquæ virtutes verum contemplabile, inter quas princeps Intelligentia, proxima Scientia, huic porrò proxima Sapientia, quia enim intelligentia nullo eget, ſapientia autem proximè ex intelligentiâ & ſcientiâ pendet, & ab his perfectionem recipit, propter quod autem unumquodque tale, illud magis tale, vel ideò etiam, quia univerſa perfectio totius ex parte prodit, cui nobiliori modo ut ſic convenit perfectio, quàm toti, cùm ei conveniat ratione propriâ, toti verò, ut pendet ex parte.

CAPUT V.

De Intelligentiâ, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Scrupuloſitate, hinc Errore, ſive Ignorantiâ Principiorum.

§. 1. *Intelligentia, ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus ſpectes*, ſic dicitur ab intelligendo,

gendo, & vel generatim ſumitur de omni facultate intelligendi, vel ſpeciatim de illâ, quæ absque diſcurſu ſeu ratiocinatione principia cognoſcit, tam theoretica, quàm practica, quorum principiorum altera Scientiam pariunt, altera Prudentiam, utraque Intelligentiam. Aliter Intellectus appellatur, nomine ipſius potentiæ, ſed rectiùs Intelligentia cum Cicerone, modò æquivocationem vocis caveamus.

2. *Sin Rem ſive Realitatem*, ut ſic Intelligentia nihil eſt aliud, quàm habitus perceptivus principiorum, per quem principia demonſtrabilium cognoſcimus absque demonſtratione. Dico, principia demonſtrabilium, non principia demonſtrabilia, quia principia propter ſuam primitatem, & in ſe, atque ut actu ſunt talia, ſunt ſupra demonſtrationem, non infra, cùm ſint tale quid, per quod demonſtratur aliud, ideoquè prius eo, quod demonſtratur, ſive concluſione demonſtrandâ, per indemonſtrabilitatem, vel abſolutam, ut principia prima, quæ indemonſtrabilia à priori ſimpliciter in omni ſtatu, vel limitatam, ut ſecunda, quæ indemonſtrabilia à priori ſecundum quid, & pro tali ſtatu, licet juxta aliquem loquendi modum demonſtrari queant utraque, aut per deductionem ad abſurdum, aut per experimentum, aut per terminorum declarationem, verùm à poſteriori ſcilicet, non priori, neque tam ratione ipſorum principiorum, quàm negantium principia, adeo-

principia animæ nostræ inesse, rem ipsam minimè, qui ideò mentem nostram, non ut Plato, rasæ & oblitteratæ tabulæ, sed nudæ ac puræ, comparat, cui nihil quidem actu sit inscriptum, inscribi tamen omnia νοητὰ possint, hoc est, negat Aristoteles, principia nobiscum nasci actu, nosquè afferre ait saltem facultatem illorum, sensuum ministerio colligendorum, atque animo recipiendorum. Et certè, notitiæ illæ communes, (quas κοινὰς ἐννοίας Græci nuncupant, eò quòd omnium animis sint ingeneratæ, item προλήψεις anticipationes, eò quòd has ipsas ante omnes res sumamus, intelligamusquè & apprehendamus simpliciter, sine omni demonstratione, antecedentevè causâ, notiones verò ac prænotiones Latini, eò quòd has per nos ipsos noscamus, præquè aliis omnibus rebus prænoscamus, tanquam principia nobiscum nata,) illæ non videntur menti nostræ naturâ impressæ sive inscriptæ, expressævè actu primo, per modum habitus insiti à primordio, ut volt Plato, verùm potentiâ potiùs, eâquè propinquâ, uti vult Aristoteles, quæ, ut actu exerere se possit sine institutione, tamen non potest sine cognitione sensitivâ præsentante objecta, sive absque sensuum ministerio, eò quòd omnis cognitio intellectiva ortũ habeat à sensu, si omnis, ergò & hęc, planè sicut potentiæ visivę impressa est quædẽ vis

4. Quicquid horum sit: *In animâ hominis dari potentiam naturalem propinquam, immò proximam, principiorum tam theoreticorum quàm practicorum, sive notitiam horum inchoatam & radicalem, id verò vincunt immò evincunt, hæ rationes.* I. Quia in homine post lapsum aliquid imaginis divinę reliquum, igitur & aliquid τοῦ γνωστοῦ, loquendo de notitiâ naturali seu innatâ, quę in hominibus, non experimentali seu acquisitâ, quæ inter homines, per quarũ alteram, persuade naturalẽ, gentes faciebant τὰ τοῦ νόμου φύσει, utut non haberent νόμον θέσει. II. Quia, si nullæ sunt à naturâ notitiæ nobis insitæ, tum verò verum & falsum, honestum & turpe, non naturâ discernente, sed tantùm δόξῃ ἤθει νόμῳ, quæ Pyrrhonis Carneadis & Cynicorũ professio fuit, fuerint, conquè venienter, quicquid autoritate publicâ decretum erit, & circa illud, & circa istud, id tale erit, quale decernitur, immò ideò tale erit, quia decernitur, quod absurdum. Cùm enim album & nigrum, calidum & frigidum, distinxerit natura, cur non etiam verum & falsum, honestum & turpe? III. Quia notitiæ principiorum etiam pueris, qui vixdum balbutire cœperunt, sunt notæ, quos videmus ejusmodi ratiocinationes texere, quarum similes nunquam audiverunt, utut non antè compareant, quàm fari possint, quo in casu actu demonstrationis principia nondum sunt, non quia nulla omninò, sed quia in humidis

& fluidis corpusculis vim suam exerere nequeunt, non magis quàm ebrii sensa animi. Accedit, quòd pueri infantes, quid rationis & ratiocinationis habeant, antequam voces formare discant, non possint exprimere. IV. Quia, quæ per sensus ad animum deferuntur, ea sine naturali quâdam luce rationis dignosci nequeunt, quæ propterea præsupponitur, siquè nulla forent principia naturalia, tum verò in infinitum progrediendum esset in quærendis primis veri & falsi, honesti & turpis, regulis ac criteriis, à quo tamen abhorret natura. V. Quia, si nullæ darentur notitiæ naturales, principiaquè nobis innata, ac ne practica quidem, tunc nullum ampliùs foret jus naturæ, ideoquè nec justitia originalis, quare nec peccatum originale, cùm ejus, quod nec fuit, nec esse potuit, nulla sit privatio, sicquè everterentur omnia, quę de discrimine legis & euangelii Theologi, de jure gentium Jurisconsulti, de communibus notionibus Philosophi, magno consensu tradiderunt, quorum nihili facere autoritatem haud convenit.

5. *Præter hanc potentiam naturalem propinquam immò proximam principiorum, sive notitiam eorum inchoatam & radicalem, dari quoque in animâ hominis habitum principiorum acquisitum, non per discursum, sed per simplices actus, ex solâ nimirùm terminorum appre-*

apprehensione, per quem potentia illa consummetur ac perficiatur, tanquam per qualitatem superadditam, secundum quam promtè & facilè homo assentiatur principiis, illud verò vincunt, immò evincunt, illæ rationes. I. Quia, utut principia natura nota sint, intellectis putà terminis simplicibus, v. g. quid totum, quid pars, quid parentes, quid colere, quos præcognoscere oportet, antequam intelligamus, quòd omne totum sit majus suâ parte, quodquè parentes sint colendi, tamen habitui hactenus hîc locus, quatenus accedente exercitio, experientiâ, inductione, promtiùs eorum veritatem percipimus, quàm per solam potentiam naturalem, lumenquè intellectus congenitum. II. Quia, cùm scientia sit occupata circa conclusiones demonstrabiles, nulla autem demonstratio sit absque principiis, ex quibus oriuntur tales conclusiones demonstrabiles; hinc fit, ut hujusmodi principiorum conveniat esse aliquem habitum proprium. III. Quia natura nihil facit frustrà, ideoquè homini neutiquam tribuit partem animæ sine facultate judicandi suum objectum, quod prima principia, & benè quidem judicandi sive ex habitu supra posito.

6. *Hunc ipsum porrò habitum acquisitum principiorum esse Intelligentiam, istud porrò vincunt, immò evincunt, istæ rationes, conglobatæ in unam.* Aut habitus ille acquisitus

principiorum eſt Scientia, aut Sapientia, aut Prudentia, aut Ars: Non Scientia, quia ſcientia eſt de iis, quorum eſt demonſtratio, principiorum autem rerum ſcibilium non eſt demonſtratio, quare nec ſcientia! Non etiam Sapientia, quia hæc etiam eſt de concluſionibus, quæ demonſtrari poſſunt, principiorum verò non eſt demonſtratio, quare nec ſapientia, in quantum eſt concluſionum, & quia ſapientia cauſarum cognitio, principiorum autem nequeunt dari cauſæ: Sed nec Prudentia, aut Ars, quia utraque eorum, quæ poſſunt aliter ſe habere, rerum, inquam, contingentium & mutabilium, non neceſſariarum ac immutabilium, ut ſunt principia, quæ æternam veritatem habent: Ergò alius habitus, nempè Intelligentia, quia hi ſunt habitus mentis, & non alii.

7. *Objectum Intelligentiæ ſunt hæc ipſa Principia. Quæ duûm generum: Natura ſeu Eſſendi, & Cognitionis ſeu Intelligendi. Vtraque duplicia. Vel enim ſunt abſolutè prima, quæ non præſupponunt alia priora in eo genere, vel non omninò prima, quæ præſupponunt alia priora in eodem genere.* Priorum exemplum, inter principia eſſendi, in genere cauſæ efficientis, Deus, qui omninò prima cauſa, ſine ullâ diſtinctione generis, ſimpliciterquè primum, in genere verò cauſæ materialis materia prima, quæ etſi & ipſa non præſupponat aliud primum in ſuo genere, tamen præ-

præſupponit cauſam efficientem Deum, ut potentia præſupponit actum: Inter principia verò intelligendi, primum principium affirmativum, quod ſimpliciter primum, ut, de quolibet affirmatio vel negatio, & primum principium negativum, quod licet preſupponat illud affirmativum, eſt tamen primum in ſuo genere, ut, de nullo iſtorum ambo. Poſteriorum exemplum, inter principia eſſendi, ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ præſupponunt ipſumDeum, & cœlum, quod ſubſtantias ſeparatas: Inter principia verò intelligendi, affirmativa, quæ rediguntur ad primum principium affirmativum, ut, omne totum eſt majus ſuâ parte, & negativa, quæ rediguntur ad primum principium negativum, ut, ſi punctum puncto addatur, non fit majus.

8. *Atque hæc Principia Cognitionis, ſive Intelligendi, iterum vel ſunt Axiomata, vel Propoſitiones, Axiomata* ſunt propoſitiones indemonſtrabiles, ideoquè nullâ indigentes demonſtratione, cùm de ſe pateant, & ſtatim cognitis terminis innoteſcant, quale, quòd de quolibet verum ſit dicere, quòd aut ſit, aut non ſit, & de nullo iſtorum ambo, cujuſmodi principia neceſſe eſt diſcentem habere ex ſeſe, ſine ullâ doctrinâ, atque afferre ex domo ſuâ, quia ſunt communes animi conceptus, quos omnes homines ex ſeſe naturaliter percipiunt, neſciuntquè penè, unde habeant. *Propoſitiones* ſunt poſitiones Apodictice,

vel etiam Dialectica, quibus pariter ac paratur scientia vel cognitio, ut, juvare egenum, exhibere honorem magistratui, &c.

9. *Utraque, vel Theoretica sunt, vel Practica*: Theoretica, ut, omnis causa est prior suo effectu, omne totum majus suâ parte, ęqualia si addas æqualibus, quæ inde oriuntur, sunt æqualia, ex nihilo nihil fit, idem non potest simul esse, & non esse: Practica, ut, honestè vivendum, nemo lædendus, suum cuique tribuendum. Deus colendus, parentes honorandi. Quibus Principiis Complexis si jungas Incomplexa, quæ non dicunt rem esse, vel non esse, ceu sunt, Deus, ens, omninoquè essentiæ rerum, eâdem operâ Objectum Intelligentiæ condescripseris.

10. *Extrema Intelligentiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

11. *In excessu ei opponitur Nimia Ἀκρίβεια Scrupulositas*, quando quis singularitate gaudet, axiωmataquè in communi Philosophorum scholâ approbata & comprobata, reprobat atque improbat, eaquè in dubium vocat cum Anaxagorâ, qui nivem negabat esse albam,

Quærens in scirpo, soliti quod dicere, nodum.

12. *In defectu Error, sive Ignorantia Crassa atque Affectata Principiorum*, quando quis ea, quæ mediocribus ingeniis naturaliter sunt cognita, indagare negligit ac posthabet, tantumquè ea, quæ sensibus obvia sunt, spectat,

ctat, & vel nescit communia principia, quæ omnes sciunt, à furno redeuntes lacuquè, vel nesciturit, hoc est, nescire se simulat.

Caput VI.

De Scientiâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Nimiâ Subtilitate, hinc Errore, sive Ignorantiâ Conclusionum.

§. 1. *Scientia, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes, quadrifariam accipitur.* I. De cognitione rerum & verborum, qualiscunque tandem illa sit, certa an incerta, necessariorum an contingentium, de quâvis, inquam, rei cognitione, undecunque illa sit, sive ex sensu, sive ex ratione, sive ex testimonio, sive ex inductione, sive ex demonstratione, ut cùm dicimus, nos scire, glaciem esse frigidam, nivem albam, omne vinum calefacere. II. De cognitione rerum necessariarum per demonstrationem, sive illa sit à priori, sive à posteriori, sive ex causis propinquis, sive remotis. III. De cognitione, quæ ex demonstratione τȣ̃ διότι, sive à priori, cujus exempla non tantùm in Philosophiâ Theoreticâ dantur, sed etiam in Practicâ dari possunt, quamvis rariora in comparatione. IV. De cognitione rerum simpliciter necessariarum, quo pacto non nisi disciplinæ Theoreticæ scientiæ vocari possunt, quamvis in Ethicis genera & species non minùs necessaria sint, hoc est, perpetua

& ſemper vera, quàm in Theoreticis. Hancquè adeò ob cauſam ſcientia à Græcis appellatur ἐπιστήμη, παρὰ τὸ ἵστασθαι, à ſtando, eò quòd ſcientis animus inſtar muri immobilis perſtet & conſiſtat in ſcitis. Quid enim aliud ſcire, ſi preſsè & ſtrictè vocabulum capias, quam rem per cauſam, propter quam res eſt, id eſt, proximam atque adæquatam, cognoſcere, quod ubi fit, eâdem operâ ſcimus rem ita ſe habere, neque aliter ſe habere poſſe, ſtamusquè ſcitis.

2. *Sin Rem ſive Realitatem*, ut ſic Scientia nihil eſt aliud, quàm habitus apodicticus, quo percipimus concluſiones neceſſarias, per cauſas ſuas veras, primas, immediatas, notiores & priores ipſis concluſionibus. Habitus apodicticus, paſſivè tamen potiùs, quàm activè: Apodicticus autem? Et quidem, vel per Inductionem, quò reducitur Exemplum, tanquam inductio imperfecta, vel per Syllogiſmum, quò Enthymema, tanquam ſyllogiſmus imperfectus: Non fit autem per inductionem, quia hæc utitur ſingularibus, ſciētia verò eſt de univerſalibus, ergò per Syllogiſmum, & quidem vel Dialecticum, vel Sophiſticum, vel Apodicticum: Non per illum & iſtum: Ergò per hunc, qui ſumit principia neceſſaria, exquè iis cogit concluſionem ſequi neceſſariam, non modò ex formâ, ſed etiam ex materiâ, adeò ut ſequatur non ſolùm neceſſitas conſequentię, ſed etiam conſequentis, quod non item

fit

sit in Syllogismo Dialectico, vel Sophistico, verùm in Apodictico, qui principiis usus universalibus, ex his concludenter concludit universales conclusiones: Per causas, quia tum scimus, cùm cognoscimus causam: Veras, quia fieri nequit, ut id sciatur, quod non existit: Primas, quia ex principiis, quorum si alia forent principia, & rursum aliorum alia, tum daretur processus in infinitum, tollereturquè omnis scientia: Immediatas, quia ex causis proximis, non propinquis remotisvè: Notiores conclusionibus, quia antea cognitæ, & quatenus significant, & quatenus sunt, absque quo esset, per accidens haberemus scientiam, & non per se, cùm nequeamus ignotum scire per ignotum, conclusionem autem sciamus per principium, quare per notius, utut notitia interim principii pertineat ad intelligentiam, notitia verò conclusionis ad hunc habitum, qui illius notitiam præsupponit, tanquam majorem & certiorem, cuiquè propterea major quoque habetur fides: Denique priores, quia causæ, & ex antea cognitis. Atque hæc omnia scientia facit mediante Syllogismo, eoquè Epistemonico, non Inductione, quâ utimur quidem, at non ad rectè concludendum per causas, sed ad universa rebus singulis confirmanda, adeoquè ut principio universalis, unde nobis illud innotescit. Cùm enim universalia sint remotissima à sensu, procedendo inductivè per singularia, sensim venimus in cognitio-

gnitionem universalium, indequè ex universalibus principiis procedimus ad universales & necessarias conclusiones per suas causas.

3. *Objectum Scientiæ est τὸ Ἐπιστητὸν, Scibile, sive id, quod sciri potest, quale τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod aliter se habere nequit, sive τὸ ἐξ ἀνάγκης ὄν, quod necessariò est.* Omnes namque ea se scire existimant, quæ aliter se habere non possunt. Quæ enim aliter se habere possunt, eorum certitudo esse nequit, quæ ad scientiam conrequiritur. Ut ita objectum scientiæ sit τὸ necessarium: Si necessarium, ergò & immutabile: Si immutabile, ergò & sempiternum: Si sempiternum, ergò ortus atque interitus expers, quale quid universale, non singulare, id quod propterea tamen non excludendum peremtoriè à scientiâ, tum quia dantur quædam singularia incorruptibilia, qualia Deus, sol, luna, quæ μοναδικὰ sunt, suiquè similia non habent, firma interim sunt firmitate negativâ, quorum ideò scientia datur, tum quia singularia, non tantùm incorruptibilia, de quibus multa Physici Astronomi & Theologi demonstrant, sed etiam corruptibilia, affectiones habent, de subjectis suis, per causas proximas, vel effecta, demonstrabiles, tum quia, si singularia à scientiis excludenda, tunc hoc fiet, vel quia per se primò quoad existentiam corrumpuntur, vel quia

con-

connexiones, inter illa & ipsorum prædicata, necessariæ non sunt, vel quia singularia non habent prædicata reciproca: Atqui nulla harum rationum officit luminibus illorum: Non prima, quia subjectorum corruptibilitas non obstat scientiæ, sed nec omnia singularia corruptibilia sunt: Non secunda, quia falsum, nullas esse affectiones individuis inseparabiles, quoniam visibilitas non magis separabilis à Platone, quàm ab homine: Non tertia, quia non videtur esse de necessitate subjecti, ut prædicata habeat reciproca, cùm sufficiant necessariò inseparabiliterquè connexa, cum differentiis suis individuantibus, quas inter etiam sunt prædicata reciproca, quemadmodum ea res patet in prædicationibus de Deo, Christo, sole, lunâ.

4. Objicies fortassis: Infinita non cadere sub scientiam: Singularia esse infinita: Quare non cadere sub scientiam! Huic argumento occurreret fortean doctior quis, dicendo, infinita, quatenus sunt numero talia, non cadere sub scientiam, cadere interim respectu unitatum singulàrum, quæ numero infinitæ infinitum constituunt, quatenus videlicet unitates singulæ affectiones habent necessarias, demonstrabiles de subjectis, quod ubi fit, non attendi numerum infinitum, sed id, quod numerum facit infinitum, seu, quod in numero infinito continetur, tanquam pars ejus. Adderet dictis alius, singularia non esse actu infinita,

cùm

cùm numero non nisi unicum sit, & quando id desinit esse, insimul desinat esse singulare.

5. *Extrema Scientiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

6. *In excessu ei opponitur Nimia Subtilitas*, quâ quis omnium rerum causas, etiam abstrusissimas, cupit indagare, quæ nec scienti prosunt, nec obsunt ignoranti, immemor humanæ scientiæ partem esse, quædam æquo animo ignorare velle.

7. *In defectu Error, sive Ignorantia Conclusionum*, cùm quis in rebus necessariis, quæ sub scientiam cadunt, ea, quæ scitu digna sunt, nescit, vel per ignorantiam negationis, quâ quid planè nescimus, v. g. causas macularum in lunâ, vel per ignorantiam dispositionis, quâ animos falsis opinionibus imbutos habemus, v. g. quasi maculæ in lunæ luminari proveniant à montibus & vallibus: Quarum ignorantiarum altera, cùm nihil scimus, altera, cùm pravè, quæ deterior in comparatione, difficiliorquè emendatu. Non tantùm enim non habet id, quod verum, sed etiam falsum ejus in locum substituit, nec discit tantùm, sed primò dediscit, tum discit.

CAPUT VII.

De Sapientiâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Nimiâ Sapientiæ Persuasione, sive τῷ Nimiùm Sapere, hinc Ruditate, sive τῷ Minimùm Sapere.

§. I. SApientia, *si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, descendit à τῷ sapere, quod palati

palati cùm ſit, ad animum transfertur, ut aliorum ſenſuum vocabula. Græcis Σοφία dicitur, vel à σέβομαι, eò quòd honoret ea, quæ ſub contemplationem cadunt, propterquè horum ſcientiam honoretur, quæ nominis ratio & activa & paſſiva longiſſimè petita tamen, vel ἀπὸ τοῦ σοφόειν, ab illuminando, ut σοφὸς ſit, in cujus mente eſt σόον φῶς, ſanum lumen, vel quaſi σαφεία, eò quòd ſit evidens ac perſpicua. Quicquid ſit, ut Σοφίας ſive Sapientiæ, ita Σοφοῦ ſive Sapientis, vocabulum interdum latiùs patet, interdum auguſtiùs. Latiore notione ἡ Σοφία complectitur omnes ſcientias & artes, etiam opificum, ipſam quin quoque prudentiam, ſimiliterquè τοῦ Σοφοῦ nomen omnes artifices cujuslibet artis & ſcientiæ, ad pictores, ſtatuarios, & quemlibet opificem, in ſuâ arte præſtantem, incluſivè. Ita v. g. Phidias ſculptor σοφὸς dici conſuevit, Polycletus item ſtatuarius σοφὸς, Apelles pictor σοφός. Anguſtiore notione Σοφία eſt prima Philoſophia, & Σοφὸς primus Philoſophus. Eſt & alia homonymia vocabuli Σοφίας καὶ Σοφοῦ, Sapientiæ & Sapientis, quòd alia ſapientia ſecundum quid, alia ſimpliciter dicta: Secundum illam dicuntur ſapientes, qui certâ tantùm in arte ſunt σοφοὶ, ex parte, hâc aut illâ in re, καὶ πῶς, quodam modo: Secundum hanc, qui non tantùm unâ in arte ſunt σοφοὶ, ſed ὅλως atque univerſè, πεπαιδευμένοι, non καθ' ἕκαστον ſed ἁπλῶς καὶ περὶ πᾶν, univerſaliter docti,

qualis

qualis Margites Homericus, qui non fuit, fossor, aut arator, aut in aliquâ arte sapiens, hoc est, quodam modo impropriè & secundum quid, verùm simpliciter & propriè, summam habens in unaquâque scientiâ perfectionem.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic Sapientia nihil est aliud, quàm Intelligentia & Scientia, hoc est, habitus, ex intelligentiâ & scientiâ, non deductus, sed compositus, quo & principia, quod est intelligentiæ, & ex principiis demonstranda, quod est scientiæ, cognoscuntur. Ille quippè propriè sapiens audit, qui omnium rerum & scientiarum principia, atque ex principiis demonstranda, cognoscit, altera ratione intelligentiæ absque demonstratione, altera ratione scientiæ cum demonstratione. Quod si juvet excipere contra allatam definitionem Philosophi, sic intelligentiâ & scientiâ definientis sapientiam, ut nihil videatur differre, & ab illâ, & ab istâ, neque esse habitus contrà ut distinctus ita distinguendus ab utrâque, cùm tamen nullus alius habitus mentis includat aliũ: Respondebo sic excipienti, sapientiam non esse aliquem illorum habituum, sed quoddam tertium, resultans ex illis duobus simul sumtis, differens in eo, quòd est intelligentia, à scientiâ, & in eo, quod scientia, ab intelligentiâ.

3. *Objectum Sapientiæ sunt τὰ Τιμιώτατα, res*
honore

honore dignissima, cujus generis sunt, principia rerū ęterna, connecessaria, ipseque adeò Deus, & substantiæ separatæ à materiâ, eâ ratione, quâ separatæ sunt, res, inquam, divinæ, admirabiles, harumque causæ, in hominis viatoris cadere quæ cognitionem possunt: Una omnium scientiarum ideò præclarissima, exquisitissima, limatissima, accuratissima, communissima, difficillima, per se maximè optabilis, liberrima, divinissima, ac proinde optima, quibus epithetis eam passim ornat Philosophus.

4. *Extrema Sapientiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Nimia Sapientiæ Persuasio, sive τὸ Nimiùm Sapere,* quando quis in omnibus rebus Aristarchum agit, sibique in his, etiamsi eas non intelligat, virgulam censoriam capit, cum Momo & Zoilo sapientulis, vel etiam in rebus infrugiferis multum operæ ponit cum Aristomacho Solensi, quæ λεπτολογία & κενοτομία sapientiæ studiosis plurimùm officit. *In defectu Ruditas, sive τὸ Minimùm Sapere*, quando quis in rebus necessariis, quid & quomodo agendum sit, ignorat cum Callione Achæo, qui vas fictile pulvinaris loco supponere solitus est, offensusque duritia ejus, illud paleis implevit, quò mollius haberet cubile.

CA-

CAPUT VIII.

De Arte, & ejus Extremis, hoc est, inde Κακοτεχνίᾳ ἢ Ματαιοτεχνίᾳ. *hinc* Ἀτεχνίᾳ.

§. 1. ARs, *si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, Latinitatis investigatoribus ab arctando nomen traxisse videtur, eò quòd dispersa colligat, & soluta constringat, devinciat, ac coarctet, unumquè in corpus redigat, vel, ut loqui amat Isidorus, artis, hoc est, arctis præceptis ac regulis constet, iisquè congruentibus. Quid enim aliud ars, quàm peritia aliquid congruè aptandi? Græcè vocabulantibus ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicitur per syncopam. Quod etymon artis nonnullorum judicio prȩponderat, & illi illorum, qui ab ἄρω, quod est, congruo, apto, deducunt artem, & isti istorum, qui ab ἄρος utilitas, & huic horum, qui ab ἀρτίω, quæ vox valet idem, quod τεύχω, (unde τέχνη,) hoc est, struo, paro, quoniam arte quid struatur & paretur utilitatis causâ. Verùm enimverò cum Africano non amo nimiùm hîc diligentes.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic Ars nihil est aliud, quàm ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική, habitus cum verâ, hoc est, rectâ ratione factivus. Omnis namque ars versatur in genesi, occupataquè est in re aliquâ moliendâ, atque artificiosè efficiendâ, adeò ut conversâ definitione cum suo definito, quemadmodum ars est habitus cum verâ ratione factivus, ita

contrà

contrà habitus cum verâ ratione factivus sit ars. Id quod inductione probat Philosophus hoc modo: Si ædificatoria est habitus cum verâ ratione factivus, similiterquè marmoraria, statuaria, sutoria, sartoria, fabrilis, omnesquè adeò effectiones, ratione certâ quid efficientes, tum patet utique inductivè, quòd omnis habitus cum verâ ratione factivus sit ars, & contrà, omnis ars habitus cum verâ ratione factivus: Verum prius: Verum igitur & posterius.

3. Sed juvat ἀναλύειν, *Genus artis remotum est habitus, proximum virtus*, quatenus facultatem benè operandi operanti præstat artificialiter, non moraliter, quod proprium virtutis perficientis appetitum, quæ habitu artis benè uti facit habentem, bonumquè ejus opus reddit, quantum ad usum.

4. *Differentia Specifica artis sumitur partim à causâ efficiente ejus, partim ab effectu.* Causa efficiens artis est recta ratio, non Logica, sed Logistica. Quo fit, ut quamvis artifex errare possit ratione operis artificiosi, hoc est, effectus, qui variè impediri potest per obstacula, quæ arti, & operationi artificiosæ, objiciuntur, nunquam tamen errare per se possit, quatenus artifex, quin erroris ducem habeat ipsam artem, id quod ἀντιφατικὸν contradictorium, loquendo de operatione artificiosâ, non opere artificioso seu effectu, qui ποιεῖν ἢ τεχνάζειν, hoc est, secundum artem in subjectam materiam agere, eamquè tam sensilem,

appo-

apponendo, transponendo, auferendo, commutando, quàm insensilem, componendo ac dividendo. Definitio siquidem hæc artis non tantùm competit artibus mechanicis ac manuariis, quas illiberales vulgò vocant, sed etiam liberalibus, quarum opus in mente, non manu. Unde monent Doctores, ποίησιν artis, vel materialem esse, instrumenta corporea, materiamquè externam requirentem, qualis v. g. in sutoriâ, sartoriâ, sculptoriâ, vel immaterialem sive mentalem, haud egentem organis corporeis, materiâquè externâ, qualis v. g. in Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, cæterisquè artibus liberalibus.

5. *Quod attinet Objectum Artis, illud τὰ Ποιητὰ Factibilia, & τὰ Ποιήματα ArteFacta,* ceu sunt; Dædali automata, mobiles Homeri tripodes, volatilis Archytæ columba, sphæra Archimedis, specula Procli, picturæ Apellis & Protogenis, statuæ Polycleti & Phidiæ, Typographia & Sclopetaria Germanorum, ea, inquam, quæ effici possunt, quorumquè adeò principium externum est in efficiente, sive artifice, qui primum efficiendi principium, arte utens ad operis productionem, tanquam instrumento interno, externæ actionis directivo, sive tanquam regulâ & normâ, applicativâ materiæ, convenienter naturæ ejus. Dico, primum efficiendi principium. Nisi enim velit ὁ ποιῶν arti-

artifex, & moliatur, nullum per se, & suâ vi, nascetur opus. Quo loco notandum notanter, artificem non posse per artem inducere formam artificialem in materiam naturalem subjectam, nisi illa habeat potentiam naturalem, quæ forma & natura recipientis, unde educi artificialis possit. Neque enim quodlibet artis opus, ex materiâ quâlibet, producere artifex est potis, sed ex certâ, putà illâ, quæ admittit formam artificialem, quomodo pistor ex farinâ, non ex arenâ, panem conficit, sartor vestem ex panno, non ex ligno, aut ferro. Notandum deinde autem, respectu quodam, limitationequè certâ, primum efficiendi principium quoque posse dici artem, cùm ad opus refertur, quatenus est artificiosum. Artificiosi siquidem, quatenus est artificiosum, non datur principium arte prius, à quâ proximè artificiosum, quà tale, atque hoc respectu artem ædificandi alicubi dicit Philosophus esse causam summam ædificii.

6. *Extrema Artis* (Ε'υτεχνίας, καὶ Ε'υτεχνίας,) *duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

7. *In Excessu ei opponitur, ratione* Ε'υτεχνίας ἡ Κακοτεχνία, artes, inquam, malæ & perniciosæ, cùm nobis tùm aliis, in quibus, Diogenis verbo, quò meliùs, eò deteriùs: *Ratione verò* Ε'υτεχνίας ἡ Ματαιοτεχνία, artes, inquam, futiles & inutiles, nihil habẽtes, nec boni, nec mali, sed vanum

laborem, qualis illius peritia, qui grana ciceris ex ſpacio quamlibet diſtante in acum continuò & ſine fruſtratione inſerebat, quem cùm ſpectâſſet Alexander, donâſſe dicitur ejuſmodi leguminis modio, ut haberet, quo ſe exerceret, Myrmecidæ item Mileſii, & Callicratis Lacedæmonii vanitas, qui quadrigulas effabricârunt,quę ſub muſcâ poſſent abſcondi, immemores, non qui vana ſcit,ſed qui utilia, in doctis & peritus numerandum eſſe.

8. *In defectu ἡ Ἀτεχνία, ſive Artium Inſcitia*, qualis veterum fuit pictorum, qui adeò rudi atque impolito ſtilo pinxerunt animalia, ut ad ea aſcribere neceſſe haberent, hoc eſt bos, illud equus, iſtud aſinus, qualis item imperiti illius pictoris, qui, cùm præter cupreſſum nihil ſcitè pingere poſſet, rogatus à quodam, ſuum uti pingeret naufragium, quæſivit, num ex cupreſſo quid vellet adjici? Ἀπροσδιονύσως!

CAPUT IX.

De Prúdentiâ, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Verſutiâ, hinc Imprudentiâ ſeu Stoliditate.

§. 1. PRudentia, *ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus, ſpectes*, dicitur quaſi providentia, à providendo, ſive prævidendo, quòd futura prævideat. Græcis φρόνησις audit, vel ἀπὸ τοῦ φρονεῖν, vel ἀπὸ τῆς φρενός, eò quòd ſit operatio rectæ rationis, in ratiocinio ejus conſiſtens.

2. Sin

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic Prudentia nihil est aliud, finitore Aristotele, quàm habitus cum ratione verâ conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona vel mala sunt. Juvat διαλύειν, omissis Ciceronis, Plutarchi, & Stoicorum definitionibus, quorum illi prudentia rerum expetendarum & fugiendarum, isti rerum bonarum & malarum, his præter has mediarum sive neutrarum scientia, in quibus definitionibus, nec proprium genus prudentiæ traditur, nec differentiæ ritè explicantur.

3. *Genus Prudentiæ est habitus*, quo genere separatur à naturali solertiâ & industriâ, quibus ad res contrarias licet uti maximè, non item prudentiâ. *Nec is quivis, verùm cum verâ ratione*, tum ut sic ascribatur veris habitibus intellectus, tum ut eâdem operâ distinguatur à falsis habitibus ejusdem. Ut enim omnes habitus dianoëtici tractant, & vera, & falsa, illa κατεφατικῶς sive affirmativè, hæc ἀποφατικῶς sive negativè, non contrà, ita etiam hic habitus.

4. *Cùm verò dicitur, quòd prudentia sit habitus cum verâ ratione, eo ipso innuitur, primò, quòd sit Virtus, secundò, quòd Virtus Intellectualis.*

5. *Prudentiam esse virtutem, & quidem specialem*, id verò liquidò liquidiùs liquet inde, quia non solùm habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales, sed

etiam rationem virtutis, quam habent virtutes morales. Facit quippè bonum habentem, bonumquè ejus opus reddit, non materialiter tantùm, ita ut sit bonum secundum materialem rationem, sed etiam formaliter, ita ut sit bonum secundum formalem rationem, hoc est, secundum ipsam rationem boni: jam verò plus habent de ratione virtutis illi habitus, qui respiciunt bonum, non solùm materialiter, hoc est, id, quod est bonum, at non sub ratione boni, sed etiam formaliter, hoc est, id, quod est bonum, sub ratione boni, qualis habitus prudentia.

6. *Eandem Prudentiam esse Virtutem Intellectualem, non Moralem,* id verò iterum liquido liquidiùs liquet inde, tum quia subjectum ejus, in quo residet, intellectus, tum quia idem ejus causa, licet ratione objecti & finis, τῦ πρακτῦ καὶ πράξεως, cum virtute morali quoquo modo communicet, non quasi & ipsa in praxi consistat, ut virtus morum, sed quòd ad praxin ordinetur, eamquè directorio suo dirigat.

7. *Differentia Specifica Prudentiæ petitur, partim à Fine, partim ab Objecto.*

8. *Finis Prudentiæ indicatur, cùm dicitur habitus πρακτικὸς, ad agendū idoneus,* ut cujus finis veritas, non quævis, sed practica. Duplex siquidem Veritas, una Speculativa, altera Activa. Veritas Speculativa est, quæ spe-

spectatur ex conformitate judicii ad objectum, seu rem cognitam, vel, quod eodem redit, quæ rem dicit esse, ut est à parte rei. Unde fit, ut veritas speculativa necessaria debeat habere quoque objectum necessarium. Quòd si enim objectum sit contingens, & mutari possit, poterit etiam mutari veritas propositionis. Veritas Activa est, quæ non spectatur ex conformitate judicii ad objectum, sed ex conformitate ejusdem ad appetitum rectum. Ut ita ea sit veritas activa, quæ congruit cum appetitu recto, qualis, qui conformatur rectæ rationi, tanquam regulæ suæ, quam prudentia semper sequitur, si minùs quantum ad suam speciem, prout comparatur ad objectum, minimùm quantum ad suum exercitium, quoad, inquam, applicationem rectæ rationis, non ad aliquid factibile, quod pertinet ad artem, sed agibile, quod ad prudentiam.

9. *Objectum Prudentiæ indicatur, cùm dicitur, quòd habitus ille practicus sit occupatus in iis, quæ homini bona vel mala sunt, uno verbo, ἐν τοῖς πρακτοῖς*, contingentibus humanis, de quibus deliberare, quæque adeò agere possumus propter finem, qui, sicut est potissimus in unoquoque, ita defectus, qui est circa eum, pessimus in unoquoque. Dico, contingentibus humanis, non in genere contingentibus, ut quæ vel à no-

bis aliena, vel in nostrâ potestate non sita, aut sita quidem, ut contingentia effectibilia, verùm alius atque alterius finis, quàm actionis, ideoquè nec hujus loci. Ubi notandum, quamvis objectum prudentiæ generatim spectatum sit quid universale, videlicet τὸ πρακτὸν, id omne, quod rectâ ratione venit agendum, nihilóminùs tamen prudentiam, in unoquoque particulari homine spectatam, circa res singulares versari, sicquè objectum prudentiæ absolutè & simpliciter dici debere particulare, quia non sufficit, quodvis negocium occurrens nôsse in universali, quæ Prudentia Superior Scholasticis, sed necesse est, ut de singularibus actionibus quoque rectè judicemus, an hic videlicet, & nunc, cum omnibus circumstantiis, quæ pro illo tempore occurrunt, nobis quid sit licitum, necnè, quæ Prudentia Inferior iisdem. Utut enim ratio, primò & principaliter sit rerum universalium, potest tamen, immò debet, per habitum prudentiæ universales notitias ad particulares actiones applicare, cùm universalia nequeant agi à nobis, applicare autem nequit, nisi utrumque, nempè & id, quod applicandum est, & id, cui applicandum est, in particulari habuerit perspectum.

10. *Quod attinet Partes Prudentiæ sic definitæ, illæ verò vel Subjectivæ sunt, vel Integrales, vel Potentiales.* Triplex quippè datur pars:

pars, Subjectiva, quomodo bos & leo sunt partes animalis, Integralis, quomodo fundamentum paries & tectum sunt partes domus, Potentialis, quomodo nutritivum & sensitivum sunt partes animæ.

11. *Partes Subjectivæ Prudentiæ sunt, quæ sub eâ continentur ut species: Atque hoc modo: partes Prudentiæ sunt: Prudentia Ethica, Oeconomica, & Politica.*

12. *Prudentia Ethica* est, quâ quisque sibi benè consulit, vitæ actiones dispensando, secundum leges, & circumstantias occurrentes, ritè ordinando præsentia, providendo futura, recordando præterita. De hâc accipe illa famosa: Odi sapientem, qui sibiipsi non sapit: Qui sibiipsi sapiens esse nequit, nequaquam sapit. Exemplo Melon, qui, prospiciens infelicem exitum Siculæ expeditionis, mente se captum finxit, domumquè suam incendit, eâque arte vacationem militiæ obtinuit: Aristippus, qui navi piraticâ per imprudentiam conscensâ, pecuniam suam in mare delabi passus: Necnon Hannibal, qui apud Gorlymos Cretenses, amphoras plumbo repletas, & supernè auro contectas, in Dianæ templo deposuit, at statuas ęreas, quibus suas infuderat pecunias, domi in propatulo abjecit, illisquè templum custodientibus, rebus suis convasatis, aufugit.

13. *Prudentia Oeconomica* est, quâ quis be-

nè consulit familiæ, & rei familiari. Atque hæc media est inter Prudentiam Ethicam & Politicam, sicut domus medio modo se habet inter unam personam, quæ est pars domus, & civitatem, cujus domus est pars. Hâc prudentiâ floruit Themistocles, qui in elocandâ filiâ, maluit virum pecuniâ indigentem, quàm pecuniam indigentem viro: Floruit Crassus, qui servis erudiendis ipse præfuit, quòd diceret, à servis reliqua, sed servos à domino gubernari debere: Floruit Cato Major, qui uxorem duxit, magis antiquitate generis pollentem, quàm divitiis, auctusquè filio, semper adfuit, cùm lavaretur, & fasciis involveretur, utquè servorum benevolentiam huic conciliaret, ancillarum pueros interdum uberibus maternis admovit, licetquè haberet domi servum Chilonem Grammaticum, filium nihilominùs litteras ipse docuit, indignum ratus, puerum, si tardiusculus esset, ab eo, qui serviret, reprehendi, ipse quin propriâ manu historias litteris majusculis filio descripsit, adeò à verborum turpitudine sibi temperans præsente puero, quasi virginibus Vestalibus arbitris loqueretur. Hic est ille Cato, cujus circumferuntur hæc familiaria & familiarica dicta, plena prudentiæ: Prædium ne cupidè emas: Quod malè emtum semper pœnitet: Frons domini plus quam occipitium prodest:
Frugi

Frugi Paterfamilias non debet esse emax, sed vendax.

4. *Prudentia Politica* est, quâ quis benè consulit civitati, Reiquè publicæ. Estquè illa, vel Universalis, vel Particularis, quarum illa Architectonica dicitur, quia non agit quicquam, sed quid & quomodo agendum sit, præscribit, non aliter atque architectus operis manuariis, item Nomothetica, quia leges fert, secundum quas civitas regenda est, hoc jubendo, illud vetando, istud permittendo, hæc Politica, servato nomine communis generis, διὰ τὸ πολιτεύεσθαι, quia, qui hâc præditi sunt, maximè πολιτεύεσθαι, maximequè Politici esse credantur, item Practica, quia ad eam pertinet, non quidem cudere & condere leges, quod θεωρητικὸν, sed agere, eaquè exequi, quæ à legislatoriâ sunt præcepta, quod πρακτικὸν, ultimumquè in actione. Primò enim fit consultatio, deinde electio, postea psephisma seu decretum, quod propriè τῶν πρακτῶν, rerum singularium & agendarum, demùm executio. Ita consultatur, v. g. an Carthaginem sint mittendi legati necnè, deinde eligitur ex iis duobus alterum, veluti quòd sint mittendi, hinc decernitur, & fit decretum, ut mittantur legati, quod est ultimum præcedentium, & proximè cadit in actionem. Prudentia Architectonica sive Nomothetica est, quæ

describitur Respublica, quà sacra, quà profana, quà pacem, quà bellum, quà civium ordines, ærarium, annonam, leges, præmia, pœnas, & si qua sunt alia, quæ ad ejus integritatem conservationemquè spectant. Prudentia Politica abscissè sic dicta sive Practica est, quæ civitatem regit secundum conditas à prudentiâ legislatoriâ leges, & psephismata sive decreta facit, ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα, de singulis factis, negociaquè adeò Reipublicæ, in quorum administratione versatur, suis quasi manibus tractat, aliâs in senatu, aliàs in judicio. Duplex numero exindè, Senatoria videlicet sive Consultrix, & Judiciaria sive Judicatrix. Prudentia Senatoria est, quæ in consultationibus publicis occupatur, vocans in deliberationem, & decernens ea, quæ sunt ex usu Reipublicæ. Quod fit, si consilium fine sit honestum, mediis licitum, circumstantiis opportunum, dequè re non dubiâ tantùm, sed possibili Exemplum hujus prudentiæ Mosis socer apud Israelitas, Septemviri Persiæ, extinctâ familiâ Cyri, apud Persas, Calanus Gymnosophista cum corio suo sicco & arido, apud Indos, Themistocles, cum muris suis ligneis, apud Græcos, Herennius Pontius, & Marcus Portius Cato, apud Romanos. Prudentia judiciaria est, per quam de actionum cum lege, vel conformitate, vel difformitate, necnon de præmiis & pœnis, sententia fertur, judicaturquè, quo jure, quâvè injuriâ, quidlibet sit dictum.

ctum factumvè. Quam inter & priorem, hoc est discriminis, quòd prudentia consulens est futurorum, judicans verò præteritorum. Adhuc duplex. Vel enim est ἀκριβὴς exquisita, vel ἐπιεικὴς æquitati consentanea, quarum illa secundum legis rigorem, hæc secundum æquitatem judicat. Exemplum hujus prudentiæ Salomon, cum famoso suo judicio de controverso partu, & Athenienses, cum simili judicio in puerum, qui laminam sustulerat auream, quæ ex Dianę corollâ deciderat, propositis huic crepundiis, talis, & aureâ laminâ.

15. *Tres hæ Prudentiæ species, Ethica, Oeconomica, & Politica, non subjecto, sive re subjectâ, verum τῷ εἶναι, id est, essentiâ ac ratione, aut modo considerandi potiùs, discernuntur.* Quatenus enim hic habitus prudentiæ est principium agendi bona ad seipsum, sibiquè quis eo mediante prodest, & sua sectatur commoda, adeoquè quatenus quis cum Socrate κοσμοπολίτῃ prudenter vivit, nihil avarè, nihil injustè, nihil intemperanter in vitâ agens, ut sic Prudentia Ethica audit: Quatenus verò est principium agendi bona erga paucos, familiamquè ritè regit ac tuetur, ut sic Prudentia Oeconomica: Quatenus denique est principium agendi bona erga plures in Republicâ, ut sic Prudentia Politica, haud aliter differens in suis speciebus, quàm ascensus & descensus in scalis, convexum & concavum in circumferentiâ, mens Theore-

tica & Practica in animâ intelligente, virtus tota & justitia tota in doctrinâ virtutum, quæ re & strato eadem, ratione non item. Scilicet, & Prudentia Ethica, & Oeconomica, & Politica, sunt habitus agendi cum verâ ratione circa humana bona, ut verò talis habitus est ad seipsum, & ad unum, dicitur Prudentia Ethica, ut ad alium, & ad paucos in familiâ, dicitur Prudentia Oeconomica, ut ad alium, & ad plures in civitate, dicitur Prudentia Politica. Unus idemquè habitus ὀυσίᾳ ἢ εἴδει, re & fundamento, sicut idem bonum ἑνὶ καὶ πόλει, uni & civitati, cùm non aliud bonum applicent Oeconomica & Politica, quàm explicat Ethica, ratione interim differt, quoniam alia ejus ratio, ut est ad unum, alia ut est ad plures, manente & hîc & illîc prudentiâ habitu agendi cum verà ratione in ipsâ illâ ratione. Alia quidem atque alia numero prudentia requiritur ad hanc vel illam actionem moralem, at non alia specie. Una siquidem prudentia sibi sufficit in regimine actionum humanarum, exemplo ducis, qui, unus cùm sit, infinitos tamen milites regit.

16. Verùm contrà est, quòd prudentia sit pars, sive objectum partiale Philosophiæ Practicæ, realiter distinctum ab ipsâ disciplinâ, cujus est pars, seu objectum partiale, eo modo, quo corpus naturale est distinctum quid à Physicâ, quantitas à Geometriâ, sermo à Grammaticâ, quid attinet igitur eam illius, exem-

exemplo secare in Ethicam Oeconomicam & Politicam, quoniam idem simul esse nequit pars & totum? Responsio ad manum est, hoc quadrare in prudentiam, quatenus sumitur pro virtute, quæ in Philosophiâ Practicâ tractatur, tanquam pars ejus, vel objectum partiale, cujus naturam illa declarat & exponit, non item in prudentiam, quatenus vocabulum ejus accipitur pro integrâ disciplinâ, hoc est, prudentiâ humanâ, quæ cum Philosophiâ Practicâ idem est habitus. Contrà quoque est, quòd in hâc divisione prudentiæ videatur omitti Jurisprudentia, quæ & ipsa prudentiæ quædam pars est, vel ipsius nominis augurio. Sed & hîc responsio ad manum est, nempè Jurisprudentiam, cum Græcè Philosophantibus, ad eam partem Politicæ Prudentiæ referri posse, quæ in judiciis locum habet, & δικαστική dicitur, cùm nihil sit aliud, quàm legum scriptarum, ad causas singulas, & usum vitæ communis, accommodatio, at cum Latinè Philosophantibus ad prudentiam nomotheticam: Eccur? Quia enim Romana posterior Jurisprudentia, quâ nunc utimur, non tam singularum est rerum, quàm universarum, adeoquè nomothesia quædam.

17. *Partes Integrales Prudentiæ sunt, quæ concurrunt ad perfectum illius actum, neque interim ipsam propriè integrant. Atque*

hoc modo Partes Prudentiæ sunt, secundum alios tres, Sapientia sive Memoria, quæ præteritorum, Intelligentia, quæ præsentium, & Providentia, quæ futurorum: Secundum alios octo, videlicet, Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, & Cautio. Ex his octo partibus quinque priores pertinere ajunt ad prudentiam, quatenus est cognoscitiva, sive ut est habitus cognoscendi, tres verò posteriores ad eandem, quatenus est præceptiva, applicando cognitionem ad opus. Sed his minutis sectionibus, aut non opus, aut, siquidem ludere velimus in re seriâ, plures his dare poterimus de facili cum Pontano, qui præter has viginti alias commemorat, quæ tamen prudentię potiùs sunt officia quędam, quàm partes, aptitudines, inquam, & dispositiones prudentiæ. Sicut enim virtutum omnium suę sunt comites & cognatę, liberalitatis, facilitas hospitalitas humanitas, justitiæ, fides sanctitas pietas, magnanimitatis, simplicitas & generositas, temperantię, pudor reverentia εὐταξία, ad eundem modum & suę prudentiæ comites atque administræ.

18. *Partes Potentiales Prudentiæ sunt virtutes huic adjunctæ, ordinatæ ad aliquos secundarios actus, vel materias*, sic dictæ, quòd non totam potentiam principalis virtutis in se cohibeant, v. g. intellectus & voluntas totam animi vim ac facultatem, cujus tamen sunt partes.

tes. *Atque hoc modo Partes Prudentiæ sunt*, Σύνεσις *sive Perspicacitas*, Δεινότης *sive Solertia*, Εὐβουλία *sive Rectitudo Consilii*, & Γνώμη *sive Sententia*, quibus ex partibus sola Eubulia occupatur circa consilium, reliquæ circa judicium.

19. Ἡ Σύνεσις ἢ Εὐσυνεσία, *Perspicacitas sive Sagacitas*, est naturalis facultas judicandi de mediis, vis, inquam, quædam rectè intelligendi & judicandi ea, quæ prudentia agenda censuerit, præceperitquè. Prudentia siquidem est ἐπιτακτική, præceptrix, sagacitas verò κριτική disceptatrix: illa ἐπιτακτική imperatrix, quia ejus τέλος ἢ ἔργον, finis sive officium & munus, præcipere atque imperare agenda: Hæc κριτική dijudicatrix, quia ejus officium & munus, à prudentiâ præcepta atque imperata agi, dijudicare, an recta & honesta sint. Sic dicta ἀπὸ τοῦ συνιέναι, vocabulo accepto, non pro eo, quod est acquirere prudentiam, vel etiam habere, sed eâ uti, quemadmodum in scientiis is dicitur συνιέναι, non qui acquirit scientiam, aut eam habet, sed qui eâ utitur. Latinè sagacitas audit, item intelligentia, sicut contraria Ἀσυνεσία, Hebetudo & Stultitia, ut in illo Comici, stulto intelligens quid interest, stulto, id est, ἀσυνέτῳ, intelligens, id est, συνετός, voce τοῦ συνετοῦ non παθητικῶς sumtâ pro cognobili, Catonis verbo, verùm ἐνεργητικῶς pro intelligente & sagaci. Moralistæ prudentiam non ineptè doctori, sagacitatem verò

verò discipulo comparant. Sicut enim doctor quærit & invenit, quid sit dicendum, postea affert illud, sic & prudens facit in rebus agendis: & sicut discipulus benè dijudicat de iis, quæ dicit doctor, dato quòd non sit homo hebes, sic se habet in rebus agendis sagacitas, respectu prudentiæ præceptricis, quæ sagacitas principium dijudicandi ea omnia, quæ à prudentiâ præceptrice præcipiuntur.

20. *Solertia sive Acumen*, est naturalis facultas, media celeriter consequendi, & ad scopum applicandi, facultas, inquam, nobis insita, quâ ea, quæ faciunt ad scopum, acutè cernuntur, reperiunturquè. Latinè Philosophantibus redditur industria, habilitas, aptitudo. Haud rectè. Industria enim idem est, quod labor & diligentia, habilitas idem, quod opportunitas, aptitudinis verò vocabulum heic barbarum, ut quod non valeat potentiam, sed non repugnantiam, sive negationem repugnantiæ. Ideò Turnebus & Lambinus δεινότητα vertunt solertiam, Perionius acumen seu ingenium, & τοὺς δεινοὺς, acutos atque ingeniosos. Utut hæc vox plerunque apud Græcos in malam accipiatur partem, pro versuto nempè vafro & callido.

21. Ἡ Εὐβουλία, *Rectitudo Consilii*, est recta ratio capiundi consilii, hoc est, rectum

quod-

quoddam consilii, quo ea, quæ toti vitæ sunt bona & utilia, bonâ ratione & modo, debitoquè tempore, assequimur. Rectum quoddam consilii est, tum quia ἡ εὐβουλία bona consultatio, benè autem consultare est rectè consultare, tum quia est vis quædam, quâ consilia ac deliberationes diriguntur rectè: Quo ea, quæ toti vitæ sunt bona atque utilia, assequimur, quia enim finium vitæ alter communis, ad totam ejus rationem spectans, qualis beatitudo, alter singularis, qualis imperatori victoria, mercatori lucrum, eubuliæ autem, sicut prudentiæ, finis non tam singularis, quàm communis, quorum hic eubuliæ universalis, suscipitur de *illo*, quod simpliciter est bonum, sive de hominis beatitudine consequendâ, ille eubuliæ particularis, quæ specialiter de hoc vel illo fine suscipitur, v. g. de opibus, honoribus, eruditione, consilii recti utraque, verum honesti, non inhonesti scilicet, quomodo si homo intemperans, agitans secum, quomodo suâ Glycerio potiatur, si eam sit assecutus, licet rem sit nactus improbam, purà, finem inhonestum sibi propositum, rectè deliberâsse dicitur, atqui eubuliæ rectum non ad malum est directum finem, sed ad bonum: Et modo, quia accidere potest, ut quis bonum quidem finem, ast malo atque improbo modo, neque per de-

decentia media, assequatur, v.g, fœnerator pecuniam, ambitiosus honores; solium Papa, planè sicut ex falso termino sive medio sæpè vera conficitur conclusio, ut; si homo volat, est avis, si lapis sentit, est animal, qualis eubulia non est eubulia, quæ, cùm à bono nomen habeat, omnia vult esse bona, tam finem, quàm media: Debitoquè tempore, quia in eubuliâ hoc requiritur insuper, ut nec nimiùm celeriter, nec nimiùm tardè, habitâ ratione temporis, deliberetur; etsi interim tarditas universè consiliis sit utilior, quàm celeritas, lentumquè magis consilium probetur, quàm præceps. Scilicet rectum consilium quadrifariàm dicitur. I. Quando quis finem suum per idonea consequitur media, licet nec finis bonus sit, nec media legitima. Exemplo Pharao, masculos infantes Hebræorum aquis mergens, gentem deleturus, item Herodes, eosdem mactans, Christum cointerfecturus, quæ consilia recta quidem, quia fini consequendo apta, non bona interim, quia illicita. II. Quando finis quidem bonus, & honestum propositum, sed media vitiosa, ut si quis rem familiarem furtis & rapinis augeat, cujus generis consilium haud bonum, sed simile syllogismo, in quo ex falso verum concluditur. III. Quando finis quidem bonus, & media licita, sed ratione, vel temporis, vel loci, vel aliarum circumstantiarum, minùs opportuna, ut si quis urbem obsideat tempore hiber-

hiberno, quod consilium rectum, at non bonum. IV. Quando & finis bonus, & media, cùm honesta, tum opportuna, quale consilium, & rectum est, & bonum, cùm reliquæ species secundum quid, & ex parte tantùm, recta consilia dici mereantur. Latinè Philosophantibus, jam prudens ac bona consultatio, jam bonum consilium, vocatur, sed perperàm, quia bona seu prudens consultatio, bonumvè consilium, actio potiùs quædam, aut quid actionis, cùm eubulia sit habitus potiùs, affectiovè, visque benè consultandi.

22. Ἡ Γνώμη *Sententia* Aristoteli est rectum, æqui & boni viri, de aliorum dictis & factis, judicium. Rectum judicium, quia in vero consistit, quoniam id censetur rectum judicium, quod verum, non quod bonum: Æqui & boni viri, sive æquitatem amantis, quia hujus propria: De aliorum dictis & factis, quia sicut justitia est de alieno bono, ita & æquum bonum. Videtur autem Philosophus, quasi sui oblitus, gnomen definire, ut operationem profluentem ab habitu, non ut habitum, quorsum eam sic definiveris, quòd sit habitus viri boni & æqui, implicans principium judicandi, quo is dignoscit & ignoscit, ut oportet. Atque ita gnome sumitur, vel materialiter, pro ipso judicio æqui & boni viri, in defectu legis, vel formaliter, pro habitu benè judicandi de illis, in quibus lex communis deficit, qui habitus principium talis judicii.

dici, ut hoc loco. Cæterùm hoc judicium gnomes consistit in duobus, partim in benignâ interpretatione eorum, quæ ab aliis dicuntur & fiunt, atque hæc propriè nominatur εὐγνωμοσύνη, & illi, qui meliorem in partem aliorum dicta & facta accipiunt, εὐγνώμονες, id est, benignè de aliis sentientes, partim in condonatione & veniâ eorum, quæ ab aliis per ignorantiam aut infirmitatem fuerunt peccata, atque hæc propriè nominatur συγγνώμη, & illi, qui aliorum erratis, præsertim si imprudentiæ sint, probabilisquè ignorantiæ, facilè dant veniam, συγγνωμονικοὶ, id est, promti ad ignoscendum.

23. *Omnes hæ facultates sive habitus, persuade, Σύνεσις, Δεινότης, Εὐβουλία, Γνώμη, concurrenter concurrunt in Prudentiâ, ad eundemquè scopum contendunt omnes, quia omnes spectant τὰ πρακτὰ, communem, inquam, vitæ rectæ degendæ rationem, rerum item extremarum, hoc est, singularium sunt omnes, denique naturales omnes. Ejusdem scopi omnes.* Unde, quem prudentem, eundem & sagacem, & solertem, & eubulum, & benè sentientem, vulgò dicimus, eò quòd quatuor hæ facultates sint simul in eodem subjecto, nempè in prudente, licet interim differant ratione. Etenim eubulum aliquem vocamus, quia quærit invenit & percipit ea, quæ sunt agenda pro aliquo fine

sine bono consequendo: Idem dicitur sagax, quia percipit omnia, quæ præcepit prudens, & dijudicat illa rectè se habere: Idem dicitur solers, quia ea, quæ faciunt ad scopum, acutè cernit, atque ad hunc dextrè applicat: Idem ἔχειν γνώμην, habere sententiam, ut dijudicat jussa à prudentiâ, considerando personas, conditiones, occasiones, tempora, voluntates, adeoquè ea, quæ indigent correctione veniâ, atque ob aliquem particularem casum, qui in universali à prudente legislatore comprehendi non potuit, ideoquè nec debuit. *Rerum hinc extremarum, hoc est, singularium omnes*, quia omnes sunt in rebus agendis, quæ singulares, adeoquè extremæ in deliberando. Deliberatio namque desinit, quando ad actionem venitur. *Denique naturales omnes*, cùm non comparentur doctrinâ, sed comitentur ætatem, quæ autem comitantur ætatem, sunt naturalia, argumento, quòd ætas à naturâ, quodquè cum ætate crescere solent, sicut & mens ipsa, quemadmodum ea res patet in senibus, quibus ut prudentiam, ita sagacitatem, solertiam, consilii & sententiæ vim, tribuere solemus. Acquiruntur quidem etiam, usuquè perficiuntur, ipsa interim habilitas & dispositio est à naturâ, quâ apti sumus ad has suscipiendas, quomodo videmus quosdam secundum complexionem, bonamquè

tempe-

temperiem instrumentorum, aptos naturâ ad sagacitatem & prudentiam consequendam.

24. *Extrema Prudentiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

25. *In excessu ei opponitur Astutia sive Versutia*, quæ pravum finem in consulendo sibi propositum habet, vel pravis mediis aspirat etiam ad finem optimum,

Pelliculam veterem retinens, & fronte politâ,
Astutam vapido gestans sub pectore vulpem,

convenienter pronunciato Lysandri, dicentis, eò esse assuendam pellem vulpinam, quò leonina non pertingit, uti facereque soliti Cretenses & Cilices & Cappadoces, tria k k k pessima. Aliter Vafrities, Calliditas, Dolus sive Fraus, nuncupatur, cujus utriusque genus Astutia. Sicut enim dolus consistit in executione astutiæ, ita & fraus, sed in hoc differre videntur, quòd dolus pertineat universaliter ad executionem ejus, sive is fiat per verba, idquè principaliter, quia hæc præcipuum locum tenent inter signa, quibus homo quid alteri significat, sive per facta, fraus autem magis propriè ad executionem ejus, secundum quod fit per facta. Atqui ipse Deus subindè malis mediis utitur ad bonos fines, v. g, innocentis Christi condemnatione ad salutem generis humani, venditione Josephi ad ejus exaltationem, & familiæ conservationem: Ergò his uti licet! Sed Deo scilicet, qui nemini factorum suorum rationem reddere tenetur, ne

tunc quidem, quando hominum peccatis utitur ad bonos fines, quorum eventus ita in potestate habet, ut uti iis benè absque culpâ possit, id quod non item facere queunt homines.

26. *In defectu ei opponitur Imprudentia seu Stoliditas*, quæ neque honestum, neque utile, ex contingentibus colligere potest, sive spectes preterita, quorum non recordatur, vel hæc cum præsentibus aut futuris non confert, sive presentia, quorum circumstantias non attendit, & vel certum actionibus finem non prestituit, vel, si prestituit, in mediorum electione turpiter errat, sive futura, quæ non respicit. Dico Stoliditas, non Fatuitas, quia enim prudentiæ illa contrariè, sive ut contrarium, hec negativè tantùm, sive ut pura negatio, opponitur, quoniam fatuus caret sensu judicandi, stultus autem habet eum, sed hebetatum, qualis stultus fuit Meletides Homericus, qui captâ demùm Troja venit, Priamo laturus suppetias, Choroebus, qui maris undas numerare conatus est, cùm non posset numerando progredi ultra quinque, Argivus quidam, qui vacuo in theatro tragoedias spectavit, Heliogabalus, qui decies mille pondo aranearum collegit, dicens, ex eâ re magnitudinem Urbis Romanæ æstimari posse, decies quin etiam mille mures, millequè mustelas, & totidem sorices, publicè exhibuit, denique morio anonymus, qui, cùm morderetur à pulicibus, lucernam extinxit, putans,

se

se ab iis non posse ampliùs videri, avarus item anonymus, qui moriturus, ne per mortem suam pecunia ad alios transiret, seipsum herèdem testamento scripsit. Næ stolidè! Cæterùm duplex stoliditas, una naturalis, ex indispositione naturali, altera moralis, ex indispositione morali, atque hæc hujus loci: Duplex item imprudentia, una negativa, importans solùm carentiam prudentiæ, altera privativa, importans & ipsa carentiam prudentiæ, sed, quam quis natus est habere, habereque adeò debet, quæ & ipsa hujus loci, ut quæ contrario modo moveatur, quàm prudentia, huic contrariè opposita, ut sic.

Caput IX.

An & quatenus ad Ethicam pertineat, tractare de Virtutibus Intellectualibus? Et cur proximè Prudentiam agatur de Virtutibus Moralibus?

§. 1. An, *& quatenus, ad Ethicam pertineat tractare de Virtutibus Intellectualibus, quæstionis est, meo judicio, necessaria, antequam à Virtutibus Mentis transeamus ad Virtutes Moris.* Nobis affirmativa quæstionis sedet. Quamvis enim certo respectu tractatio earum antecedens pertineat ad Physicam, ratione videlicet subjecti, quod est intellectus, cui inhærent, pertineat deinde autem ad Metaphysicam, ratione cogni-

cognitionis absolutæ, & divisionis entis, pertineat denique ad Logicam, ratione modi sciendi: Tamen earundem tractatio consequens, certo item respectu, pertinet ad Ethicam, quatenus scilicet summum bonum suo loco respiciunt, mediaquè sunt ejus assequendi, sed brevis scilicet, nec quoad totum esse, seu omnem usum, eò quòd Philosophus Practicus non agat ex professo, nisi de Felicitate Practicâ, ejusquè mediis, ut non magis ad Ethicum istorsum pertineat, præcipere de virtutibus intellectualibus, quàm ad Metaphysicum Physicum aut Mathematicum, præcipere de virtutibus moralibus.

2. *Sed & , cur proximè Prudentiam agatur de Virtutibus Moralibus, quæstionis est, meo judicio hic loci connecessaria.* Atque adeò, haud scio, annon ratio hujus instituti rectè petatur inde, quòd, quamvis virtutes morales & prudentia intellectione separentur, formaliter quin immò essentialiterquè, hoc est, ut res & res, quarum una non prædicatur de alterâ, actu tamen exercito simul semper sint, ita ut virtus moralis esse nequeat sine prudentiâ, & hæc sine virtute morali. Cùm enim virtutes morum rectâ ratione, à quâ diriguntur, utantur semper, hæc autem à prudentiâ pendeat semper, eam omnes uti comitentur necesse est, & antecedenter, ratione dependentiæ atque acquisitionis, & concomitanter,

Q ratione

ratione connexionis consensionis & conspirationis. Quod si ita, si talis & tam arctus syncretismus est virtutes morales inter & prudentiam, cur non huic proximè jungantur extrinsecè in opere, quæ sic familiariter junctæ intrinsecè in operante?

CAPUT XI.

Sectio, ut Virtutis Moralis, ita Vitii, in tria Segmenta sive Gradus, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quorum Graduum ille Semivirtus vel Semivitium, iste Virtus vel Vitium, hic Virtus Heroica vel Vitium Heroicum, audit in Auditorio Morali.

§. 1. UT *omnium rerum est suum quoddam initium perfectio & excellentia, ortus, inquam, & maturitas, cum superaddito, ita & in Moribus Virtutum & Vitiorum.*

2. *Virtutum*, quarum quædam Inchoatæ, & vel Naturales, ut Igniculi & Semina Virtutum, Affectionesvè Animi Probæ, hominem ad virtutem inclinantes, v. g. Verecundia, Misericordia, vel Consuetudinales, quæ nostrâ operâ curâ atque assuetudine comparantur, v. g, Continentia, Tolerantia, conjunctam habentes cum passionibus vehementibus resistendi virtututem: Quædam verò Perfectæ, passiones non adeò vehementes habentes conjunctas, sed sedatiores jam & pacatiores, ut Virtutes Communes: Quędam denique Excellentes, passiones quidem habentes conjunctas,

veùm

verùm cohibitas & compressas, ita ut nunquam, aut rarissimè, vixquè repugnent rationi, ut Virtutes Heroicæ, quorum Graduum ille Infimus, iste Medius, hic Supremus seu Summus, ille Semivirtus, iste Virtus, hic Virtus Heroica.

3. *Vitiorum* hinc; quorum & ipsa quędam Inchoata, & vel Naturalia, ut Igniculi & Semina Vitiorum, Affectionesvè Animi Improbæ, v. g. Inverecundia, opposita Verecundiæ, & Immisericordia, opposita Misericordiæ, vel Consuetudinalia, v. g. Incontinentia, opposita Continentiæ, & Mollities, opposita Tolerantiæ: Quędam Perfecta, ut Vitia Communia, opposita Virtutibus Communibus: Quædam denique Excellentia, ut Vitia Heroica, opposita Vitiis Communibus, quorum Graduum iterum ille Infimus, iste Medius, hic Supremus seu Summus, ille Semivitium, iste Vitium, hic Vitium Heroicum correspectivè.

Caput XII.

uid Semivirtus, oppositumquè Semivitium? Quotuplex Aristoteli, & sequacibus.

Licet Aristoteles, ante virtutum perfectarum, & vitiorum perfectorum, tractationem de semivirtutibus & semivitiis id agat, nos tamen, nostrum quoddam jure secuti, de iis hoc loco tractandum censemus, quia ab imperfectioribus ad

perfectiora evidentior progressus, evidentiæ autem studere debet Philosophus.

2. *Semivirtus* est dispositio ad virtutem, servans mediocritatem in actionibus in & abs se consideratis, & hactenus bonis, sine debitâ προαιρέσει, cum manifestâ luctâ rationis atque appetitus, aut hæsitatione & fluctuatione mentis veriùs, adeoquè cum aliquâ difficultate ægritudinequè, affectibus rationis imperio reluctantibus, ægrequè parentibns : *Semivitium* contrà dispositio ad vitium, deserens mediocritatem in actionibus, mente hæsitante ac contraluctante, vel saltem non totaliter præmeditatequè consentiente, conquè sequenter agente cum difficultate & ægrimoniâ.

3. *Vtriusque tot species, quot Virtutis & Vitii*, quibus condividuntur, non tanquam species generi, sed quantum ad hoc, in quo deficiunt. Cur tot? Quia enim utrobique locum habet pugna illa animi rationem inter & appetitum, quæ semivirtutes à virtutibus, & semivitia à vitiis, distinguit. Cùm enim semivirtutes quædam viæ sint, quæ ad morales virtutes ducunt, similiterquè semivitia viæ, ducentes ad vitia, ideò tot semivirtutes & semivitia esse convenit, quot sunt virtutes & vitia : A quibus interim differunt gradu, ut dispositio & habitus, differunt causâ efficiente, quæ semivirtutum & semivitiorum infrequentia

actio-

actionum, virtutum & vitiorum frequentia earundem, differunt effectu, qui ſemvirtutum, prædomare appetitum, virtutum, edomare eundem, ſemivitiorum, audire quidem appetitum, at non exaudire, vitiorum, & exaudire eum, & ei obedire, differunt adjuncto, quòd ſemivirtutes & ſemivitia minùs diuturna in comparatione, virtutes & vitia magis, quodquè horum certæ ſpecies, non item illorum.

4. Quo loco notandum, quòd Ariſtoteles, dum ſumſit unam ſemivirtutem, putà Continentiam, & unum ſemivitium, putà Incontinentiam, ex appetitu concupiſcente, totidemquè, putà Tolerantiam atque Mollitiem, ex appetitu iraſcente, hiſce quatuor vocabulis, quoniam propriis nominibus deſtituuntur, tam ſemivirtutes, quàm ſemivitia, videatur complexus eſſe totum genus.

CAPUT XIII.

De Continentiâ, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Incontinentiâ ſive Impotentiâ, hinc Stupore.

§. 1. C*Ontinentia, ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus ſpectes*, ſic dicitur à continendo, hoc eſt, moderando, & vel ſumitur generatim pro quâvis moderatione cupiditatum indifferenter, vel ſpeciatim pro certâ.

2. *Eſtquè vel κυρίως καὶ ἁπλῶς, propriè ac ſimpliciter talis, vel κατά τι, καὶ κατὰ μέρος,*

secundum quid, atque ex parte, quarum continentiarum altera cupiditates, circa necessarias corporis voluptates, temperat, id est, eas, quæ ad corpus spectant, atque ex usu nutrimenti, & rerum venerearum, percipiuntur, altera verò cupiditates, circa voluptates non necessarias, id est, eas, quæ percipiuntur ex rebus ad corpus non pertinentibus, quales, quæ ex honore, victoriâ, divitiis, potentiâ, libertate, formæ dignitate & venustate, posteritate, denique amicis, capiuntur. Qui in illis modum servant, illi absolutè, ac sine ullà adjectione, continentes appellantur in scholis, qui in his, continentes quidem, sed κατὰ πρόσθεσιν, cum additione sive appositione; v. g. continentes iræ, lucri, honoris, ejus Olympionicis exemplo, cui nomen hominis, commune alioquin, tanquam proprium fuit, (neque enim Titius aut Sejus dictus,) qui tamen ad differentiam nuncupatur Olympionices, homo victor, eôpse differens à seipso, hoc est, homine, ut erat homo simpliciter, adeoquè à suâ ratione propriâ, cùm alia ejus fuerit ratio, quà fuit homo, alia, quà homo Olympionices, planè sicut Nævium & Suffenum dicimus malos poëtas, quos simpliciter interim non dicimus malos, sed cum additione, malos poëtas. Scilicet quemadmodum hi non dicuntur simpliciter mali, quia non sunt vitiosi, verùm similitudine quâdam, quia ma-
li

li poëtæ, per se fortassis non mali: Sic continens quis iræ, gloriæ, pecuniæ appellatur per similitudinem quendam, addendo ad continentiam vocabulum iræ, gloriæ, honoris, pecuniæ, aut quid hujusmodi, adeò ut, nisi adderetur illud, non benè intelligeretur, quia, cùm quis dicitur continens, non addendo aliud, intelligitur continens circa voluptates gustus & tactus, hoc est, continens propriè, & non per similitudinem, sive secundum quid, atque ex parte.

3. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic Continentia propriè dicta nihil est aliud, quàm semivirtus, in voluptatibus, ad gustum & tactum pertinentibus, servans mediocritatem cum luctâ, id est, cum rationis & appetitus ἀντιμαχία quâdam.

4. Juvat ἀναλύειν. *Genus Continentiæ est Semivirtus*, argumento pugnæ, quæ hejc est rationem inter & appetitum, in quâ pugnâ, ubi ratio vel tandem vincit, succumbente appetitu, vocatur ea affectio continentia. Ut ita continentia non sit quidem virtus propriè, quæ pugnam illam ignorat, sed dispositio interim virtuti propinqua, quæ nihil aliud, quàm semivirtus. Cùm enim ejusmodi sit, ut pugnet cum ratione, neque tamen obtemperet ei statim, utique non meretur dici virtus, quia tamen vel tandem rationem sequitur, etsi cum aliquâ difficulta-

te, non est omninò à virtute aliena, immò virtus, verùm in viâ & fieri, non in termino viæ, & facto esse.

5. *Differentia Specifica Continentiæ petitur, partim ab Objecto ejus, partim à Modo Operandi circa illud objectum. Objectum Continentiæ sunt Voluptates Necessariæ*, vel pro conservatione individui, ut voluptates gustus, vel pro conservatione speciei, per generationem alterius individui, ut voluptates tactus, ita tamen, ut continentia universè magis occupetur circa has, quam circa illas, tum quia gustus per se voluptatem haud affert, sed tantùm ratione tactus, nempè quatenus cibus & potus attingit nervos & membranas, quæ tactus instrumenta, tum quia gustus est tantùm in exiguâ corporis parte, nempè in linguâ & palato, tactus verò per totum diffusus corpus, tum quia tactus voluptatibus, quarum plenior fruitio, quàm voluptatum gustus, temperare difficilius, virtus autem versatur circa difficiliora, si virtus, etiam suo loco semivirtus, qualis continentia.

6. *Quod attinet modum operandi circa hoc objectum, ille in mediocritate quidem consistit, verùm cum pugnâ.* Quo nomine actio continentiæ inferior actione temperantiæ, quoniam continens se habet ut miles, qui constan-

ſtanter cum hoſte forti pugnat, temperans verò ut miles, qui hoſtem jam vicit & debellavit, ille ut venator, qui feras agreſtes cicurandas accepit, hic ut venator, qui eas jam cicuravit. Atque ita hâc parte Continentia differt à Temperantiâ, ut imperfectum à perfecto, inchoatum à completo, adeoquè ut diſpoſitio ab habitu. Quamvis enim conveniant objecto, atque in eo, quòd neutra propter voluptates quid faciat, quod adverſetur rectæ rationi, diſconveniunt tamen formâ ſeu modo, quo verſantur circa illud objectum. Temperans ſiquidem moderatè voluptates expetit, nec invitus ab illis abſtinet, enimverò continens, & expetit immoderatè, & abſtinet ab his invitè; Ille ultrò rectæ rationi morem gerit, hic non ſine obloquio ac rebellione: Ille vitioſis ac violentis cupiditatibus planè non agitatur, hic agitatur, quamvis vel tandem animum vincat. Differt deinde autem à Pervicaciâ & Pertinaciâ, ſive perſeverantiâ in quocunque propoſito, ſed malo ferè, quia continentes in bono tantùm & laudabili propoſito perſiſtunt, ab eoquè ſe non patiuntur cupiditate dimoveri, cedunt interim meliora docentibus, pervicaces verò & pertinaces in quovis propoſito perſiſtunt, tam bono, quàm malo, ab eoquè nullis poſſunt abduci rationibus, cùm tamē ſe facillimè duci ſinant à cupiditatibus ſuis, ſic dicti; alteri

à pervincendo, quòd semper pervincere velint, nihilquè remittere, alteri vel à pertendendo cum Varrone, quòd, qui hoc malo laborant, pertendant, in quo non debent pertendere, vel à pertenendo cum Plauto, hoc est, admodum tenendo, idquè κλασσικωτέρως. Ut breve faciam: Pervicaces & pertinaces sunt illi quidem continentibus similes, quemadmodum homo profusus liberali, audax forti, lupus cani, in hoc tertio, quòd utrique in sententiâ perstent, dissimiles interim, quia, cùm duabus ferè fiat rebus, ut de sententiâ discedamus, aut ratione edocti meliùs, aut perturbationibus victi, voluptatibus putà aut doloribus, continentes non hoc, sed illo, pervicaces contrà & pertinaces, non illo, sed hoc potiùs modo, de sententiâ decedunt. Continentes quippè perturbationibus resistunt, nequè ab his patiuntur se detrudi de verâ sententiâ, persuaderi tamen sibi ratione facilè patiuntur: At pervicaces & pertinaces nullam planè audiunt rationem. Multos quippè videas, qui de vitâ potiùs, aut civitate, quàm de sententiâ, discedere velint, si ratione cum iis pugnes, qui tamen ipsi, voluptatum escâ inescati, sæpenumerò de sententiâ desistant. Atque adeò tria dantur genera hominum pervicacium & pertinacium. Primi generis sunt Ἰδιογνώμονες, qui proprias ac peculiares opiniones animis suis concipiunt, suaquè inventa tuentur tanquam ψηφίσματα, quod genus ho-

hominum gaudere videas quasi victores, si non refellantur illorum dogmata & decreta, dolere contrà, si ipsorum inventa abrogentur evertanturvè. Tales sunt nominatim, atque in specie, homines ἀυτοδίδακτοι, suis qui vigiliis lucubrationibus & studiis debent doctrinam, quam habent: item ii, qui in magistrorum præcepta vulgò jurare perhibentur. Secundi generis sunt Ἀμαθεῖς, homines indocti & imperiti, qui opiniones aliundè acceptas per imperitiam mordicùs retinent, quibuscunque tandem rationibus impugnentur, nihilquè rectè factum putant, quàm quod ipsi fecerunt, impudentes, præsumtuosi, audaces, præfracti, ut qui maximè. Tertii generis sunt Ἀγροικοὶ, homines agrestes, difficiles, morosi, quales, qui ex merâ pertinaciâ, & rusticâ quâdam insolentiâ, falsis opinionibus sunt mancipati, mancipatiquè manent, licet evidentissimis confutentur rationibus atque argumentis. Nulli horum continentes, quia omnes persistunt in malo proposito, abstinentes à concupiscentiis bonis, cùm verè continentes perseverent in bono proposito, abstinentes à concupiscentiis malis.

7. *Extrema Continentiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

8. *In excessu ei opponitur Incontinentia, quæ, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic dicitur ab incontinendo, hoc est, non

continendo sive moderando, ita ut particula in sit ἀρνητικὴ negativa. Græcè verbigerantibus Α᾽κρασία audit, sive Impotentia, & ille, qui hoc malo laborat, Α᾽κρατὴς, sive Impotens. Næ significanter! Rectè quippè eum, qui sibi imperare nequit, affectusquè suos comprimere, vocamus impotentem cum Cicerone & Latinis, non item æquè rectè incontinentem cùm Latinissantibus. Sed quid vetat loqui cum vulgo, & sentire interim cum doctis? Sumiturquè vox incontinentiæ, & ipsa vel generatim, pro quâvis immoderatione cupiditatum indifferenter, vel speciatim pro certâ.

9. *Estquè vel κυρίως καὶ ἁπλῶς, proprie ac simpliciter talis, vel κατά τι, καὶ κατὰ μέρος, secundum quid, atque ex parte*, quarum specierum altera versatur circa determinatam materiam, hoc est, corporis voluptates, putà eas, quæ ex gustu & tactu percipiuntur, altera verò circa vagam materiam, hoc est, voluptates non necessarias, quales, quæ ex irâ lucro honore capiuntur. Qui in prioribus modum transeunt, hi absolutè, & sine ullâ adjunctione sive adjectione, incontinentes appellantur: Qui in posterioribus, incontinentes quidem, sed κατὰ πρόσθεσιν, cum additione sive appositione, v.g, incontinentes iræ, lucri, honoris, mali medici & poëtæ exemplo, quos simpliciter non di-

dicimus malos, verùm cum hâc additione, medicum & poëtam malum, cùm simpliciter mali non sint; ut qui non sint vitiosi, similiter incontinentem iræ, honoris, lucri, per similitudinem quandam, adeoquè cum adjunctione incontinentem, non simpliciter, nec malum, nisi per accidens Neque enim incontinentia ex parte per se vitium, & vituperabilis, quia occupatur circa bona fortunæ, quæ suâpte naturâ non vituperantur, cùm sint per se expetenda, nullumquè his insit vitium, & verò sola nimia in his sint mala: Quod si bona atque invituperabilia: Ergò & is, qui his utitur, qui non malus, nisi per accidens, quatenus videlicet in his sectatur nimia. Ita v. g. honores sectari, turpe non est, aut vituperandum; sed ambitiosè eos sectari turpe. Similiter liberos amare, turpe non est, quin immò laudabile, sed stultè, aut nimiâ cum indulgentiâ, eos amare, id vitiosum, qualis amor fuit Niobes in liberos, & Satyri Philopatoris in parentem, uterque insanus. Sicut ergò dicimus malum histrionem, quem simpliciter non diceremus malum, verùm cum hâc additione, histrionem malum, qui tamen simpliciter malus non est, cùm non sit vitiosus: Sic incontinens circa iram, talis dicitur per translationem, non absolutè, inquam, sed cum adjunctione, sive modum transeat per præcipitantiam, ut-

cum quis vehementiori iræ affectu subitò abripitur, antequam cogitare possit, quid sibi sit faciendum, sive per infirmitatem, ut cùm quis, interveniente quâdam morâ, vincitur ab irâ, cui aliqandiu restiterat, ex quibus illa melior hâc, quia, qui præcipitantiâ peccant, vincuntur ab affectu validiore sine deliberatione, qui verò infirmitate, à minori cum deliberatione, majus habentes se præmuniendi spacium.

10. *Sin Rem sive Realitatem Incontinentiæ spectes*, ut sic nihil est aliud, quàm semivitium, in voluptatibus, ad gustum & tactum pertinentibus, transiens mediocritatem cum luctâ quâdam rationis & appetitus. Vel sic: Incontinentia est semivitium, quod cupiditatibus voluptatum, ad gustum & tactum pertinentium, vel tandem succumbit, contradicenie quidem rectâ ratione, sed tamen appetitui cedente.

11. Juvat & hîc *ἀναλύειν*. *Genus Incontinentiæ est semivitium.* Argumento iterum pugna rationem inter & appetitum, in quâ ratio vel tandem manus dat, herbamquè quod ajunt, porrigit, triumphante appetitu. Ut ita naturalis incontinentiæ propriè dictæ causa sit dissidium rationis & appetitus, ratione suadente ea, quæ bona & honesta sunt, sed cum labore difficultatibus ac molestiis conjuncta, appetitu contrà am-

plexa n-

plexante illa, quæ sensibus grata sunt & jucunda, sed turpia & periculosa, quo fit, ut huc illuc trahatur incontinens sive impotens. Sed quia vehementiores cupiditates, & ratio languidior, inde fit, ut hæc tandem illis succumbat, non aliter ac refractatio equo sessor, aut ventorum insolentiæ nauclerus.

12. *Differentia Specifica Incontinentiæ petitur & ipsa, partim ab Objecto ejus, partim à Modo Operandi circa illud Objectum.*

13. *Objectum, ut Continentiæ, ita oppositæ Incontinentiæ, sunt Voluptates Necessariæ*, quales voluptates gustus & tactus, quarum alteræ necessariæ pro conservatione ejusdem individui, alteræ verò pro conservatione speciei, per generationem alterius individui. Dico, ut Continentiæ, ita Incontinentiæ, quia sicut virtus & vitium versantur circa eandem materiam, ut habitus coopositi, ita semivirtus & semivitium similiter circa eandem materiam, ut dispositiones coopositæ.

14. *Quod attinet Modum Operandi circa illud Objectum, ille verò in excessu consistit, verùm cum pugnâ morali.* Quemadmodum enim in perfectis habitibus nulla est pugna rationem inter & appetitum, sed vel ratio, vel appetitus, planè ac plenè dominatur, ita in imperfectis habitibus, qualis suo loco incontinentia, existit pugna rationem

inter

inter & appetitum, & quemadmodum, si ratio vel tandem vincit appetitum in voluptatibus, illa diſpoſitio dicitur Continentia, ita ſi vincatur vel tandem in iiſdem, contraria diſpoſitio Incontinentia, quâ cum, ſicut nequit conſiſtere perfecta prudentia ex hoc capite, ita nec perfecta malitia. Non perfecta prudentia: I. Quia nemo prudens, niſi vir bonus, incontinens autem vitioſus, ſaltem ex parte, ut qui agat res turpes & pravas; victus quidem à vitioſis cupiditatibus, ſponte interim, non item prudens. II. Quia prudens is, non qui, quæ ſint agenda, novit duntaxat, ſed qui ea agit pro re natâ: Atqui incontinens novit quidem meliora, neque tamen ea, quæ novit & videt eſſe meliora, agit; ſed deteriora ſequitur, ſimilis in eo civitati, quæ habet bonas & præclaras leges, neque tamen iis utitur. Sed nec perfecta malitia, quia incontinens absque προαιρέσεως, nullum autem vitium, à quo homo vitioſus maluſvè, absque προαιρέσεως. Quid ergò, ſi non vitioſus maluſvè? Ut non ſit cum προαιρέσει, malâ utique atque improbi, ut homo vitioſus maluſvè, tamen quia ſponte & ſciens quodammodò, ſaltem generaliter, agit, eâ re ἡμιπόνηρος, ſemi-malus ſive ſemi-improbus rectè vocatur, ſicut intemperans, qui ſimilis civitati, quæ legibus quidem utitur, verùm malis atque improbis, rectè πονηρὸς, ille ἡμιπόνηρος ob diſpoſitionem ſive diſpoſitivè,

tivè, ut, qui in malitiâ suâ atque improbitate habeat judicium rectum, & voluntatem rectam, extra passionem, appetitumquè inferiorem non ita corruptum per habitum inductum, cum subsequâ displicentiâ commissi, hic πονηρὸς ob habitum sive habitualiter, ut qui habeat intellectum pravè dispositum quoad judicium objecti, ob inolitam longâ consuetudine perversitatem, voluntatemquè pravè dispositam habitu vitioso, appetitumquè inferiorem eodem condispositum modo, cum complacentiâ commissi. Sed & vel ideò nequit cum perfectâ prudentia, vel perfectâ malitiâ, consistere incontinentia, quia incontinens partim, agit sciens, partim ignorans: Sciens, quia maxima hominum pars facit ea, quæ scit esse mala, rationisquè & appetitus conflictum in se sentit: Ignorans, quia in ipsâ actione homo incontinens ebrio similis, malè syllabizanti & syllogizanti. Cùm enim ratio dictet, noxia esse fugienda, ideoquè & ebrietatem, tanquam noxiam, appetitus contrà dictet, jucundis esse fruendum, ideoquè & ebrietate, quâ nihil jucundius, incontinens assumtione rationis in dubium vocatâ, additis eorum exemplis, qui sine noxâ inebriantur., eam suis occæcatus cupiditatibus seponit, contrariumquè ejus facit, quod recta

recta ratio conclusit, atque ita duplici vitio laborat, dum & particularia nescit, & ad hæc universalia haud applicat.

15. Verùm enimverò, ut tota hæc quæstio inter Socraticos & Aristotelicos componatur, distinctionis virgulâ utendum scilicet, eâquè non unâ. Primò enim distinguendum in actione incontinentis inter tempus præteritum ante factum, præsens in facto, futurum post factum: Secundò, inter τὸ scire, quod vel idem, quod scientiam habere, neque tamen eâ uti, vel idem, quod scientiâ uti, quorum alterum actus primi sive habitus, qui vel solutus, ut in vigilantibus sanis & sobriis, vel ligatus, ut in dormientibus furiosis ebriis, alterum actus secundi, sive operationis: Tertiò, inter propositiones universales in se atque in intellectu, ut si quis sciat, omni homini prodesse sicca, vel extra intellectum in re, ut si quis sciat, quòd hoc illud istud sit siccum. Quin homo incontinens ante factum & post factum nôrit, quid bonum aut malum sit, quid honestum aut turpe, quid omittendum aut committendum, dubium non est, in ipso facto interim, (cui tamen constituendo non punctum aut momentum satis est, sed justum temporis spacium,) ignoranti similis est, quoniam violentis & vitiosis perturbationibus recta ratio opprimitur. Quin idem quoque sit sciens ratio-

ne.

ne habitus, quoad habitum, inquam, scientiæ solutum & liberum, ignorans verò quoad habitum constrictum & impeditum, & ipsum extra dubitationis aleam est positum, quomodo Galenum scientem dicimus habitu soluto, quando vigilans est, sanus, & siccus, eundem nescientem habitu ligato, quando dormit, ebrius est, aut furiosus, & sic incontinentem, quoniam eadem vis cupiditatum, quibus perturbatur, quæ somni, vini, furoris. Quin denique idem sit sciens quoad syllogismi propositionem universalem, licet quoad assumtionem particularem, sive singularē, sit ignorans, hoc ipsum quoque dubium haud patitur. Quamvis enim fieri possit, ut homo incontinens sciat utramque propositionem, tamen ὡς πολὺ alteram tantùm novit, nempè universalem, non etiam particularem, exemplo Medici, qui scit omnem helleborum bili expurgandæ esse perutilem, sed hoc aut illud esse helleborum, ignorare potest, geminoquè modo noster scire, omnia turpia esse turpia, atque interim ignorare, hoc vel illud esse turpe, id quod maximè sciendum erat, propterea quòd in eo consistat actio, quam constat esse rerum singularum. Ut rem exemplo illustratum eam. Ponatur universale: Nullum dulce est gustandum: Ponatur & alterum universale: Omne dulce est jucundum. Utrumque novit incontinens, verùm

rùm neutrum ad agendum eſt idoneum, quare etiam ſingulari opus: Hoc eſt dulce. Hîc jam confligunt ratio & appetitus, & ratio, cujus propoſitio fuerat, nullum dulce guſtandum, ſuadet, hoc non eſſe guſtandum, appetitus contrà, cujus propoſitio erat, omne dulce eſt jucundum, ſuadet contrarium, hoc videlicet eſſe guſtandum: Hinc malè concludit appetitus, non operando atque exequendo id, quod rationis, ſed quod cupiditatis, quæ, ſi abeſſet, bonam faceret concluſionem, nempè hanc: Nullum dulce eſt guſtandum: Hoc eſt dulce: Ergò!

16. *Atque hâc parte, hoc eſt, ratione Modi Operandi circa Commune Objectum, Incontinentia differt, & à contrariâ Continentiâ, & à diſparatâ Intemperantiâ. A contrariâ Continentiâ hactenus:* Quòd continens ſuperat voluptates guſtus & tactus, à quibus plerique vincuntur, incontinens contrà ſuperatur à voluptatibus guſtus & tactus, quas plerique vincunt, ille ἐμμενικὸς τῷ λογισμῷ, perſeverativus in ratione, hic ἐκςατικὸς τοῦ λογισμοῦ, deſultorius à ratione. *A diſparata Intemperantiâ hactenus:* I. Quia intemperans ἀνίατος, inſanibilis ingenii atque animi ideò, quia ἀμεταμελητικὸς, impœnitentis ingenii atque animi, ut quem vitii ſui haud pœniteat, incontinens contrà ἰάτος, ſanabilis ingenii atque animi, ideò quia μεταμελητικὸς, pœnitentis ingenii atque

que animi, ut quem vitii sui pœniteat, sanabilior ob id in comparatione. II. Quia intemperantia malum continuum, tabi aut aquæ intercuti simile, incontinentia verò malum discontinuum, simile morbo epileptico sive comitiali, qui habet sua intervalla & inducias, eodemquè incontinens modo, qui tantisper incontinens, quàm diu voluptati oblatæ paret, eamquè sequitur, postea verò ad se redit instar ebrii, qui edormivit crapulam, cùm intemperans instar ebriosi hominis nunquam bonâ fide ad se redeat, quia habitu quodam impresso est affectus atque informatus, quo fit, ut continuò habeat appetitum paratum sine ullâ pugnâ ad prosequendas voluptates, contrà quàm facit incontinens, qui non semper & statim ad voluptates est dispositus, sed pugnat cum iis, demumquè vincitur: Quare, quemadmodum perpetuus morbus interrupto deterior, ita intemperantia, quæ similis morbo perpetuo, deterior incontinentiâ, quæ similis morbo interrupto. III. Quia intemperantia malum occultum, latens habentem, hoc est, hominem intemperantem, qui putat esse bonum, quod à se appetitur, quia habet rationem corruptam, sicut febricitans corruptum gustum, incontinentia verò malum manifestum, non latens habentem, hoc est, hominem incontinentem, qui

quoquo

quoquo modo cognoſcit, illud eſſe malum, quod à ſe appetitur, fidem huic rei faciente pugnâ, interveniente inter rationem atque appetitum: Jam verò mala, quò occultiora, hoc graviora, ſicut vulnera ſecreta periculoſiora.

17. *In defectu Continentiæ opponitur Ἀναισθησία Inſenſibilitas, non Negativa, ſed Privativa*, qualis eorum, non, qui nullas voluptates expetunt, ſed qui minùs, quàm decet, quorum numerus intra numerum, immò infra: Eccur? Quia enim ἡ ἀναισθησία à naturâ hominis, & quatenus eſt animal, & quatenus eſt homo, aliena: Quatenus eſt animal ideò, quia omni animanti naturà inditus appetitus eorum, quæ naturæ ſunt convenientia, tum quoad conſervationem individui, tum quoad propagationem ſpeciei, cui utrique appetitui contraria ἀναισθησία, ad naturam corporis inanimati accedens proximè, & à naturâ animalis recedens longiſſimè: Quatenus eſt homo ideò, quia dicta ἀναισθησία, cum affectuum multitudine & vehementiâ, qui plures in homine, & acriores, quàm in brutis, minimè conſiſtit, teſte experientiâ, quæ mille teſtes.

Ca-

CAPUT XIV.

De Tolerantiâ, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Intolerantiâ, hinc Mollitie.

§. 1. TOlerantia, *ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus ſpectes*, ſic dicitur à tolerando, hoc eſt, ferendo. Græcè loquitantibus vocatur Καρτερία, ἀπὸ τοῦ καρτερεῖν, quod eſt tolerare, hoc eſt, non ſuperari à doloribus, ſicut cognata Ἐγκράτεια ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, quod eſt vinccre, hoc eſt, non ſuperari à voluptatibus, ſed ſuperare. Quarum duarum ſemivirtutum poſterior dignitate prior priori, ſicut præſtantius in comparatione, obtinere victoriam, prælioquè victorem eſſe, quàm non pati cladem, adeoquè nec vinci, obſtare, inquam, & vincere, quàm ſtare ac reſiſtere tantùm, quorum alterum facit continens, alterum tolerans.

2. *Sin Rem ſive Realitatem*, ut ſic Tolerantia nihil eſt aliud, quàm ſemivirtus, moderatè ſufferens dolores, recalcitrante quidem appetitu, ſed tamen rationis capiſtrum accipiente vel tandem.

3. *Differt, & à Patientiâ, & à Fortitudine*: Ab illâ, non eſſentiâ, ſed gradu perfectionis, tanquam imperfectum à perfecto, diſpoſitio ab habitu: Ab hâc Modo & Modalitate: Modo, quia fortis pericula non ſuſtinet tantùm, ſed ultrò adit, cùm neceſſe eſt, aſt tolerans ea quidem ſuſtinet, ſed non adit,

nisi cùm urgetur: Modalitate, quia fortis plenâ sponte perfert pericula, & non capit dolorem ex suis actionibus, at tolerans non sustinet pericula sine luctâ & dolore.

4. *Extrema Tolerantia duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu.*

5. *In excessu ei opponitur Intolerantia*, quæ in ferendis doloribus modum, contrà quàm recta ratio præcipit, excedit: *In defectu Mollities*, quæ, licet aliud recta ratio jubeat fieri, doloribus, qui ferri, & poterant, & debebant, victa succumbit, qualis Voluntaria sive Quæsita Mollities quæ nostro vitio seu culpâ contrahitur, fuit Sybaritarum, quorum tam delicatum atque effœminatum fuit ingenium, ut artes opificum, strepitum edentes, nominatim ahenarios omnes, ab urbe removerint, ipsos quin etiam gallos gallinaceos, ne somnum interrumperent quos studiis molles, ac proinde verè molles, rectè dixeris, sicut & Persas, quos feretro servi bajulabant, adeoquè omnes, quibus domi sunt lecti molliùs strati, qui pavimenta tapetis, quò mollior sit ingressus, instrata habent, qui hieme, non tantùm caput pedes & corpus, sed & manus chirothecis delicatiùs obvelant, qui æstate non solùm umbras arborum, sed & in his alias umbras, hoc est, umbracula, consectantur, qui denique mollibus stragulis si-

sive centunculis equos præter solitum insternunt, vestemquè ponè trahunt, ne ex eâ attollendâ, atque in humeros injiciendâ, molestiam capiant. Dico, voluntaria sive quæsita mollities. Datur quippè præter hanc mollities involuntaria sive insita, quę vel à naturâ loci, qualis nonnullarum gentium, vel ab ætate, qualis puerorum infantum, vel à sexu, qualis mulierum, vel à morbo, qualis olim Scytharum, nominatim Smindyridis sive Mindyridis Scythę, qui adeò portentosè mollis fuit, ut, cùm vidisset quendam fodientem, altiusquè spatham vel ligonem elevantem, latus sibi inde dolere diceret, interdiceretquè operanti opere, ne illud in suo conspectu faceret, παραπλήλως illi, qui tam delicatus fuisse perhibetur, ut coquum, facturum placentam, & quid intriturum, juberet chirothecâ vestire digitos, ne fortasè quid sordium aut sudoris immitteret.

CAPUT XV.

Quid Virtus Moralis sive Morum, quà Nominalitatem, quà Realitatem? Et quod ejus Genus? Facultasnè? Affectusnè? an Habitus? Isquè Προαιρετικὸς Electivus? Et quidem Bonus?

§. 1. VIrtus Moralis, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes, idem est, quod Virtus Moris, voce hâc sumtâ, non pro ἔθος

R con-

consuetudine, quæ causa efficiens τοῦ ἤθεως moris, sed pro ἤθει more, qui objectum τοῦ ἔθεως consuetudinis, aut effectum verius.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic virtus moralis fuerit habitus appetitus sensitivi, cum consilio conjunctus, in mediocritate affectuum atque actionum, necnon voluptatis & doloris, quoad nos consistens, ratione terminatus, prout vir prudens judicaverit. In quâ definitione, si loco differentiæ posita esset, non μετριότης mediocritas, verùm ὀρθότης rectitudo, ratione & prudentiâ definita, nihil foret, quod in eâ jure desiderari posset, ut in quâ distinguendo distinguatur virtus moralis ab omnibus aliis rebus. Etenim per habitum discernitur ab affectibus & potentiis, quæ etsi sint in animâ, ut virtutes morales, tamen non sunt habitus: Cùm additur, quòd sit habitus appetitus sensitivi, cum consilio conjunctus, sic separatur à scientiis & artibus, quæ habitus quidem, sed non electivi, neque appetitus, verùm intellectus: Cùm porrò adjicitur, consistens in mediocritate affectuum & actionum, necnon voluptatis & doloris, eôpse discluditur à vitiis, quæ habitus quidem electivi, at in extremis, non in medio: Cùm quoad nos, excluditur sic medium rei, admisso medio per-

personæ : Cùm terminata ratione, sic excipitur ratio vitiosi, quæ interminata, non terminata, ut studiosi: Cùm denique quasi appendicis loco annectitur, prout vir prudens judicaverit, his verbis consignificatur, quænam ratio ad virtutem morum sit necessaria, nempè non sapientis, putà Physici, aut Metaphysici, sed prudentis, qui summus in genere activorum, præscribens circumstantias rectè agendi, ut sapiens in genere speculativorum, præscribens circumstantias rectè contemplandi:

3. *Sicut verò Virtus Moralis est talis habitus, ita Vitium Morale contrà*, habitus ejusdem appetitus sensitivi, & ipse cum consilio conjunctus, verùm in excessu vel defectu consistens affectuum atque actionum, necnon voluptatis & doloris, cum viri prudentis judicio pugnans, eoquè interminatus.

4. *Genus Virtutis Moralis est, vel Remotum, vel Propinquum, vel Proximum. Genus Remotum Virtutis Moralis est Qualitas, & ea quidem Animi, non Corporis*, cùm virtus hîc ratione sui, non operationum, consideretur. Qualitatis quatuor sunt species, nempè Habitus, Potentia Naturalis, Πάθ© sive Affectus, & Forma sive Figura. Jam virtus animi qualitas, non corporis: Igitur nihil minùs quàm forma, cùm non hæreat in corporeà quantitate, &

neque sit qualitas, orta ex terminatione magnitudinis, sumta Mathematicè, nec figura cum colore, sumta Physicè: Quâ de quaternione qualitatum detractâ, conficitur, *Virtutis Moralis Genus Propinquum esse, vel Potentiam, vel Affectum, vel Habitum.*

5. *Non est autem Virtutis Moralis Genus Propinquum Potentia.* I. Quia potentia naturalis, hoc est, virtus agentis, quâ potest operari, pertinet ad secundam speciem qualitatis, virtus verò moralis, disponens potentiam naturalem ad benè operandum, ad primam. II. Quia potentia naturalis inest omnibus, non tantùm hominibus, sed etiam bestiis, jumentis, inquam, & feris, virtus contrà moralis, nec bestiis omninò, nec hominibus omnibus, sed certis, & his paucis. III. Quia potentiæ naturales priores actionibus, virtus verò moralis his posterior, ut quæ indè producatur. Neque enim ex iteratâ sæpè sensione sensum accepimus, sed contrà, cùm sensum haberemus, eo usi sumus, non adepti sumus eum, quia usi sumus: At virtutes consequimur ἐνεργήσαντες πρότερον, operantes priùs, quæ virtutis sunt. IV. Quia potentia, quæ Græcè δύναμις, est φυσικὴ insita, virtus autem moralis ἐπείσακτος, adventitia & consuetudine comparata, illius inchoare actionem, hujus perficere. V. Quia potentia

con-

contrariorum, v. g. mens, cujus instrumentum Logica, quæ ars mentis, veri & falsi, voluntas boni & mali, Philosophia Prima entis & non entis, Jurisprudentia justi & injusti, Medicina salubrium & insalubrium: Non sic contrariorum, atque ad utrumlibet, virtus moralis, quâ non possumus uti nisi benè. VI. Quia à potentiâ nec boni nec mali dicimur simpliciter, nec laudamur, nec vituperamur, sicut à virtute, & huic opposito vitio.

6. *Non etiam Passio seu Affectus.* I. Quia affectus naturâ insunt, virtus autem moralis assuefactione paratur. II. Quia affectus sunt motus appetitus sensitivi, virtus verò moralis potiùs principium morale illorum motuum. III. Quia affectus repentè, & ἄνευ προαιρέσεως, surgunt, tanquam subiti & repentini animi motus, virtutes autem morum, vel sunt προαιρέσεις, vel saltem non ἄνευ προαιρέσεως. IV. Quia affectus crebrò feruntur contra rationem, virtus autem moralis rectæ rationi nunquàm contrariatur, ut quæ animum non perturbet, sed tranquillet, nec obnubilet, verùm serenet semper. V. Quia propter affectus dicimur κινεῖσθαι, aliquo modo commoveri, quoniam illis animus turbatur nonnihil, propter virtutes verò morales διακεῖσθαι καὶ διατίθεσθαι, aliquo modo disponi, & quasi conformari, ut ποιότητες, cujusdam modi,

hoc est, apti atque idonei ad benè agendum, honestasquè actiones celebrandas, reddamur. VI. Quia circa affectus domandos occupatur virtus, quæ dicitur, morum, quæ ideò affectibus annumerari nequit, cùm nihil occupetur circa seipsum. VII. Quia ab affectibus nec boni nec mali denominamur, nec laudamur, nec vituperamur, quomodo nemo bonus malusvè, laude vel vituperio dignus ex eo, quòd lætatur, timet, amat, sperat, odit, irascitur, sed quod benè vel malè, nimiùm vel parùm, rectè vel perperàm, secundum vel contra rationem, his affectibus utitur: At à virtute boni nuncupamur & laudamur, sicut à vitio mali, & viperamur. VIII. Denique, quia nullus affectuum ut genus de virtute morali prædicari potest.

Ergò habitus, idquè ob remotionem cæterorum membrorum. Cùm enim præter præallegata principia actionum nil sit in animo, virtusquè moralis huic inhærens, nec sit Potentia sive Facultas, nec Passio sive Affectus, utique legitimà consequentià infertur, eam esse habitum. Scilicet in actione, ut virtutis, ita vitii, tria spectantur, inchoatio, & sic potentia, progréssio, & sic affectus, perfectio, & sic habitus, ex quibus illa nos movet, iste acuit & disponit, hic perficit.

8. *Atque adeò, propinquum genus virtutis mora-*

moralis esse habitum, id verò astruitur fide sequentium rationum. I. A. definitione habitus, qui qualitas, crebris actionibus comparata, atque ita confirmata, ut sine maximâ mutatione tolli nequeat, haud aliter scilicet, nisi vel per benè multos actus contrarios, vel per supinam propriorum actuum intermissionem, vel per defectum subjecti, quæ definitio virtuti morali næ bellè competit. Est enim qualitas, inhærens animo, quem afficit: Crebris actionibus acquiritur, quia nemo virtuosus nascitur, sed nec fit uno actu: Semel acquisita difficulter tollitur, quia ejus proprium, non tantùm expeditè & cum jucunditate operari, verùm etiam constanter. Cùm igitur definitio habitus de virtute morali rectè affirmetur, utique & definitum ipsum de eâdem erit affirmandum. II. A. requisitis ad habitum concurrentibus, quæ tria, naturæ aptitudo, ne quis videlicet sit ineptus ad habitum, qui comparari debet, disciplina, proponens præcepta, quibus ceu mediis habitus comparatur, crebra hinc præceptorum praxis, major vel minor, pro variâ dispositione recipientis, & difficultate formæ recipiendæ, quâ præcepta ad usum transferuntur, actionesquè circa idem objectum frequentes instituuntur, donec ex iteratâ repetitione efflorescat habitus, quæ triga requisitorum

utique non non locum habet in virtute morali, quæ à naturâ inchoativè sive initiativè, à disciplinâ excitativè sive provocativè, à consuetudine verò completivè sive perfectivè. III. Quia, utut virtus moralis, considerata in concreto, & ratione ὑπάρξεως, certi subjecti atque individui intuitu, magis sit διάθεσις, inchoata dispositio, quàm ἕξις, perfectus absolutusquè habitus, tamen considerata in abstracto, & ratione ὀυσίας essentiæ, atque in ideâ, qualis per se est, saltem esse debet, ut sic magis nescio quomodo est ἕξις habitus, quàm διάθεσις dispositio: Atqui definitiones concipiuntur de ideis, non de subjectis, in quibus multiplex infirmitas, nec tam; quid res sit in singulis divisim, quàm quid in omnibus conjunctim, attenditur: Ergò!

9. *Genus Proximum Virtutis Moralis est Virtus*, hoc est, ejusmodi habitus, qui subjectum, in quo est, benè affectum reddit, & opus ejus rectum ac perfectum dat, non formaliter, quasi ipsa operationes produceret, cùm illud faciat potentia animæ, sed virtualiter, disponendo potentiam ad agendum operationes studiosas activè, illasquè recipiendum passivè. Ideò quippè naturali potentiæ super additur, ut rudem atque imperfectum ejus actum perficiat, v. g. habitus citharisandi potentiam motivam, non tam ratione motus manus

manus, qui fieri poteſt etiam à potentiâ ſolâ non habituatâ, quàm ratione certi modi, accedentis ultra naturalem actum facultatis motivæ, qui ab habitu artis, naturalem potentiam ad operandum facilitante.

10. *Iſquè* Προαιρετικὸς *Electivus*, tum antecedenter, quatenus per actiones proæreticas, quæ à judicio mentis, & electione appetus, paratur, tum conſequenter, quatenus proæreticas actiones edit, adeoquè ratione & cauſæ efficientis & effecti, cauſæ efficientis, quia proficiſcitur à προαιρέσει, effecti, quia agit cum προαιρέσει, præeunte delectu ac deliberatione. Ut ergò vitium morale, quod & ipſum habitus προαιρετικὸς, non eſt, ubi vel ſemel, vel caſu & temerè, vel ex affectu & imbecillitate, quiſpiam impingit, ſed cùm ita comparatus animo jam eſt, ut, quod facit, faciat deliberatò & conſultò, ita virtus moralis non eſt, ſi vel ſemel, vel caſu, vel coactè, rectè quis quid faciat, verùm ſi conſtante animi propoſito & voluntate.

11. *Et quidem Bonus*, ex ſuâ naturâ inclinans ad actum bonum, nulloquè ad actum malum modo, ut quæ inclinet ac diſponat ad actus ſimiles iis, à quibus fuit producta, hoc eſt, rectæ rationis & legis Dei judicio conformes.

CAPUT XVII.

Qua Virtutis Moralis Materia in Quâ, sive Subjectum, tam Totale, sive ut Quod, quàm Partiale, sive ut Quo, quorum illud Denominationis, hoc Inhæsionis, in Diatribis Philosophicis.

§. 1. *MAteria in Quâ Virtutis Moralis Subjecto definitur: Quod vel Totale, sive ut Quod, vel Partiale, sive ut Quo, quorum illud Denominationis & Adæquationis aliter, quia rem adæquatè possidet, hoc Inhæsionis, Receptionis aliter, quia eo succollante res proximè possidetur.*

2. *Subjectum Virtutis Moralis Totale, sive ut Quod, est Homo Adultus, & Sanæ Mentis, & quidem Vtriusque Sexus, isquè Totus.*

3. *Non Deus, Angelivè*, cùm de humanâ virtute hîc agatur, non divinâ & angelicâ, quâ de notandum tamen in transitu, & quasi in parenthesi, quòd, quicquid bonitatis & perfectionis reperitur in inferioribus, id eminenter tribuatur superioribus, eminentissimequè Deo supremo, qui unus bonus, unus melior, unus optimus, unus virtuosus, unus virtuosior, unus virtuosissimus.

4. *Atque adeò Subjectum Virtutis Moralis Totale, sive ut Quod, esse Hominem Adultum, & Sanæ Mentis*, id verò patet inde, quia in eum finem discit Ethicam, quæ Disciplina Morum, ut dediscat vitium morale, & addiscat virtutem moralem, id quod fa-

cee

cere nequit, nisi homo adultus, & sanæ mentis.

5. *Et quidem Utriusque Sexus*, ut in quo utrinque locum habeat, quemadmodum virtuatio, præsupponens στέρησιν, carentiam ti... virtutis, ita virtualitas, ponens δύναμιν, possibilitatem ejus consequendæ, cum discrimine tamen, quoniam virtus sexus masculini, qui regulariter habet temperamentum vividius, & cor spiritosius, pluresquè ad hanc occasiones, ut intensior ita extensior, virtus verò sexus fœminini, qui regulariter habet temperamentum languidius, & cor minùs spiritale, paucioresquè ad eam occasiones, ut remissior ita rarior, in comparatione.

6. *Eumquè Totum.* Quamvis enim virtus moralis, quà habitus, & quà internè operatur, compescendo affectus, circa quorum regimen occupatur, ut sic in animâ saltem hæreat, homine, inquam, interno, tamen quà actiones edit exteriores, in corpus & per corpus erumpit, ejusquè ministerio utitur, atque ita hominis quoque est externi, ni, utquè non sit in corpore hominis, (verba sunt Thomæ,) habitetquè in carne, quæ ex se non habet bonum virtutis, fit tamen instrumentum viruosi actus, inquantum movente ratione membra nostra exhibemus ad serviendum virtuti, mediante irascibili & concupiscibili.

R. 6. 7. Sub.

7. *Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, est Anima Hominis, non secundum Essentiam, sed Potentiam tamen*: Eccur? Quia enim virtus moralis est habitus, habitus autem subjectivè, idquè proximè, recipiuntur in potentiis: Hoc ipsum cur? Quia enim proximè ordinantur ad hoc, ut potentias facilitent ad operandum, actuando eas ad actus suos benè exercendos.

8. *Atque adeò Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, esse Animam Hominis, non secundum Essentiam, sed Potentiam*, id verò iterum patet inde, tum quia virtus importat perfectionem potentiæ, perfectio autem est in eo, cujus est perfectio, tum quia virtus moralis est habitus operativus, omnis autem operatio est ab animâ per aliquam potentiam, quoniam anima est principium operationum per suas potentias, secundum quod habitus sunt in eâ secundum illas potentias, in quibus sicut in subjecto virtus, quia subjectum primum habituum non est suppositum, sive principium quod, sed potentia, cui habitus supraponitur, sive principium quo, mediante inter utrumque principium formâ suppositi, tanquam principio quo radicali.

C A-

CAPUT XVII.

An Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, nominatim sit Mens cum Socraticis Platonicis & Stoicis? An Voluntas cum Scotistis? An Appetitus Sensitivus cum Peripateticis? An denique partim Voluntas, partim Appetitus Sensitivus, cum Thomistis & Casistis, verùm ἄλλως καὶ ἄλλως, alio atque alio sensu?

§. 1. *Subjectum hoc Virtutis Moralis Partiale sive ut Quo, universè vel Negativum est, vel Positivum, vel Neutrum, hoc est, nec Negativum omninò, nec Positivum.*

2. *Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, Negativum est Facultas Cognoscens sive Mens Socraticorum Platonicorum & Stoicorum, & Facultas Appetens sive Voluntas Scotistarum.*

3. *Facultas Cognoscens sive Mens Socraticorum Platonicorum & Stoicorum*, qui virtutes morales statuerunt esse scientias, vel prudentias, sequè cum Protagorâ eôpse venditârunt veluti virtutum magistros & doctores. Ἀφιλοσόφως! I. Quia, si virtutes morales forent scientiæ vel prudentiæ, tum ut cognoscitivæ doceri possent, essentquè docibiles apud dociles, quo nihil insulsius, cùm consuetudine acquirantur, morequè confirmentur, non doctrinâ solitariè sumtâ, inquè intellectu sic essent, non appetitu, nedum appetitu sensitivo, cùm omnibus constet, scientias & prudentias non in

hoc esse, sed in illo, virtutes contrà morales non in illo, sed in hoc. II. Quia facultas, quæ audit subjectum virtutum moralium, alterationis capax, intellectus non item, cùm sit immaterialis. III. Quia, si homo esset solus, mensquè ejus sejuncta foret à sensibus, tum ne egeret quidem virtute morali, quemadmodum eâ non egent intelligentiæ à corpore solutæ. Unde colligitur, virtutem moralem non in mente esse, sed appetitu, per quem homo ad illecebras pronus redditur, quem propterea condocefieri, frenari, domari, habituquè conformari convenit, ne quasi indomitus equus sessorem ducat, dicam, an trahat præcipitem. IV. Quia, si in intellectu residerent virtutes morales, tunc earum objectum foret verum, quod objectum intellectus, & virtutum ejus, quæ præparatoriæ ad cognitionem intellectivam veri, non bonum, quod objectum appetitus sensitivi, & virtutum ejus, quæ præparatoriæ ad cognitionem operativam boni. V. Denique, quia sic virtus moralis non ampliùs esset habitus προαιρετικὸς electivus, tollereturquè moraliter sic philosophando & arguendo sive argumentando, dicam, an argutando, pars animæ ratione carens, tollerentur affectus, tollerentur mores. Quâ de re? Quia enim nulla ampliùs foret virtus appetitus, nullum regimen affectuum in appetitu,

situ, nulli mores, cùm moratum esse non sit v. g. scire quid sit fortitudo, sed fortiter agere, huic rei studere, eâquè delectari. Pulchrum quidem est, ait Philosophus, nôsse, quid in unaquâque re sit honestum, nec tamen in virtute præstantissimum illud est, pôsse. Neque enim scire volumus, quid sit fortitudo, sed esse fortes, neque quid sit justitia, sed esse justi, planè quemadmodum sani esse malumus, quàm scire, quid sit sanum esse, corporisquè habitu bono esse, quàm nôsse, quid sit benè habere. Piccolomineus hic distingueret, & virtutem moralem fateretur esse, cùm scientiam, tum prudentiam, idquè ratione principii, à quo pendet & dirigitur, non item ratione principiati, hoc est, habitus in appetitu sensuum formati & firmati. Non inappositè meo judicio.

4. *Facultas hinc Appetens sive Voluntas Scotistarum*, qui virtutes morales in solâ collocabant voluntate, quamvis dicis causâ habitus aliquos ponerent etiam in appetitu sensitivo. Ἀφιλοσόφως! I. Quia habitus virtutum moralium acquiruntur more & consuetudine: Ergò sunt in appetitu sensuum, tanquam in subjecto, eò quòd mos versetur in compositione affectuum, ad appetitum sensuum pertinentium. Evadit quippè homo v. g. temperans, dum coërcet, & ad medium congru-
ens-

ens redigit cupiditates gulæ & inguinis, idquè per habitum more acquisitum, eo exemplo, quo eques, crebrâ equorum agitatione, habitum peritè equitandi comparat, ut non sine equis, ita nec per equos, virtute dirigente existente in aurigâ, non equis: Jam verò voluntas proprios habitus more acquirendos non exposcit, neque ratione cognitionis, neque ratione perturbationis: Non ratione cognitionis, quia id sequitur, quod ratio suadet, quo fundamento posito, non opus aliis in animâ rationali habitibus, quàm intellectivis, cùm intellectu rectè se habente laborare voluntas nequeat: Sed nec ratione perturbationis, quia eâ caret: Quo fit, ut, dum unâ ex parte rectè se habet ratio, ex alterâ verò parte perturbationes sensuum sunt compositæ, quæ coërcentur à propriis virtutibus, tum in pace sint omnia: Quid opus igitur voluntati habitibus, quæ etiam ratione objecti his haud indiget, quod est bonum ratione approbatum, voluntati congruens, ad quod cùm tanquam sibi proprium abs se tendat, ideò ad hoc non eget habitu, quo ad illud inclinetur, sive bonum illud sit commune, sive particulare, modò sit proportionatum supposito ipsum expetenti: At benè his opus appetitui sensitivo, ut qui ex suâ naturâ non tendat in bonum rationis, mensuram ac captum ejus exuperantis, sed in bonum delectabile, suavites

viter afficiens ſenſus. II. Quia ille habitus cenſeri debet virtus morum, quo præſente illa adeſt, abſente abeſt: At præſente habitu ſentientis facultatis adeſt virtus moralis, & homo v. g. dicitur temperans, dum appetitus ſenſuum ita aſſuetudine eſt confirmatus, ut adverſus rationem non inſurgat, cum eà non pugnet, ſed libentiſſimè huic obtemperet, eo verò abſente, & præſente illo mentis ac voluntatis habitu, non adeſt virtus moralis, quemadmodum ea res viſitur in viro continente, in quo ratio rectè ſe habet, voluntas & προαίρεσις optimè ſunt compoſita, ſolùm appetitus ſenſuum tergiverſatur, eò quòd domitus non ſit: Virtus igitur moralis, non mentis & voluntatis, ſed ſenſuum habitus eſt ex hoc capite. III. Quia ad quam partem pertinent ſupplicia & pœnæ, tanquam ad ſubjectum, ad eandem quoque pertinent virtutes morales, quę curationes quædam dolorum ex pœnis ortorum, eccur, quia enim curationes ex contrariis adhiberi natæ: Atqui ad appetitum ſenſitivum pertinent ſupplicia & pœnæ, cùm dolor ex ſupplicio conſurgens ſit ſenſuum: Ergò ad eundem, tanqnam ad ſubjectum, pertinent virtutes morales! Quamvis enim ſupplicia pœnæ & dolores non attineant ad ſolum appetitum ſenſitivum, ſed ad ipſam quoque rationem & voluntatem, tamen

tamen ad illum antecedenter & ſubjectivè, ad has verò conſequenter & tranſitivè ſive reduplicativè ſpectant. Indigere quidem videtur voluntas, ad repugnandum effrenatis motibus paſſionum, qualitate quâdam, ſed quæ non mereatur virtutis nomen abſolutè, quia non tam voluntatem firmat & corroborat, ut paſſiones oppugnet & vincat, id quod faciunt habitus in appetitu ſenſitivo hoſpitantes, quàm ut ne ab illis vincatur, utquè ſe in arce rationis contineat, cavet.

5. *Subjectum Virtutis Moralis Partiale, ſive ut Quo, Poſitivum eſt Appetitus Senſitivus Peripateticorum*, fide rationum. I. Quia potentia, non ſerva omninò, inclinataquè ad oppoſitum rationis, næ indiget habitu contrario dictæ inclinationi, inclinante ipſam ad judicium rationis ſequendum, antequam poſſit cum voluptate & promtè ſequi illud: Sed appetitus ſenſitivus eſt talis potentia, & tamen oportet ipſam promtè & cum voluptate ſequi rationem: Ergò indiget tali habitu: ille verò non alius, niſi virtus moralis, quæ ideò in eâ animæ parte collocanda, quæ à ratione potis eſt diſſidere, quare non in voluntate, quæ ſemper ſequitur rationem, nec ab eâ unquam diſſidet, niſi cùm ratio diſſidet à ſeipsâ, quare in appetitu ſenſitivo! II. Quia materia & forma vir-

virtutum moralium ad eandem pertinent animæ partem, cùm forma non in alio recipiatur, quàm in suâ materiâ: At materia virtutum moralium sunt affectus, hique sunt in appetitu sensitivo: Ergò quod subjectum horum, etiam illarum! III. Quia ad eandem animæ partem pertinent virtutes morales, ad quam semivirtutes, cùm via & terminus sint ejusdem facultatis: Sed ad appetitum sensitivum pertinent semivirtutes, ut quæ conveniant pueris infantibus ante rationis & voluntatis usum, quo illi carent: Ergò & virtutes! IV. Quia virtutes morales in nobis gignuntur non sine alteratione Physicâ appetitus sensitivi, quatenus talibus habitibus est informandus per assuetudinem, ut id, quod intellectus Practicus dictavit agendum vel non agendum esse, voluntas verò accepit, & ipse sequatur: (Quamvis namque virtutum moralium non sit alteratio, tamen non fiunt sine alteratione:) Atqui alteratio non attingit voluntatem, ut quæ immaterialis: Ergò nequit esse subjectum virtutum moralium! V. Quia idem appetitus sensitivus est principium rectarum actionum, hæ autem non possunt proficisci, nisi à potentiâ benè dispositâ, quæ propterea virtutis debet esse capax, non mentis voluntatisvè, ergò moris! VI. Quia virtus moralis occupatur circa

circa difficilia: At omnis difficultas, quæ est in actibus virtutum, profluit ex appetitu sensitivo: Ergò virtus moralis ad appetitum sensitivum referri debet, quò hoc faciliùs inclinetur ad hujuscemodi actus, rationiquè circa illos promtiùs obtemperet, acquisito habitu ad expeditiùs operandum passionibus repressis, perquè frequentes actus, à ratione & voluntate imperatos, ad mediocritatem reductis. VII. Denique, quia Aristoteles, ex duplici appetitu sensitivo, θυμικῷ irascibili, & ἐπιθυμητικῷ concupiscibili, duplex virtutis moralis genus colligit, unum attinens ad partem animæ ex se rationis compotem, alterum verò ad partem animæ ex se rationis impotem, natam tamen eam audire, sub quo secundo genere comprehendit virtutes, quas vocant, morum.

6. *Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, Neutrum, hoc est, nec Negativum omninò, nec Positivum, est, partim Voluntas, partim Appetitus Sensitivus, Thomistarum & Casistarum.*

7. *Thomistarum*, qui omnes virtutes morales in appetitu sensuum constituunt, exceptâ justitia, secuti magistrum suum Thomam, qui hoc psephisma Philosophicum sic colligebat: Illa potentia est subjectum virtutis, ad cujus potentiæ actum rectificandum virtus ordinatur: Justitia autem nonordina-

non ordinatur ad dirigendum aliquem actum cognoscitivum, cùm non dicamur justi ex hoc, quòd rectè aliquid cognoscimus, sed quòd rectè aliquid agimus, cujus principium non potentia cognoscitiva, sed vis appetitiva: Ergò necesse est, ut justitia sit in aliquâ vi appetitivâ, sicut in subjecto. Est autem duplex appetitus, voluntas & appetitus sensitivus: Jam verò reddere unicuique, quod suum est, non potest procedere ex appetitu sensitivo, quia apprehensio sensitiva non extendit se ad hoc, ut considerare possit proportionem unius ad alterum, sed hoc est proprium rationis: Ergò justitia non potest esse, sicut in subjecto, in appetitu sensitivo, sed solùm in voluntate! Ἀφιλοσόφως! Nam quando appetitus sensitivus sequitur rationem, & judicium mentis, dum ratio præfert id, quod melius ei esse videtur, sive sit bonum proprium, sive distinctum à proprio, & supra proprium collocatum, cum proportione unius ad alterum, næ prosequitur id, ut qui rem absolutè appetat, ut à ratione prælatam, & mente potiorem judicatam, non autem cum distinctione boni, respicientis se vel alios, si spectetur, inquam, appetitus sensitivus, quatenus in homine rationis imperio jam est subjectus, ac sedes cæterarum virtutum constituitur, vel ab ipso Thomâ. Sed & sic

colli-

colligit idem Thomas. Virtus, inquit, ad appetitum sensuum pertinens, est moderatio alicujus perturbationis, medians inter duo extrema vitia: Justitia non est hujusmodi, ut quæ nullius perturbationis sit moderatio, neque inter duo opposita vitia collocetur, sed solam injustitiam sibi habeat contrariam: Ergò non pertinet ad appetitum sensuum! Et ipsum ἀφιλοσόφως! Etenim etiam justitia est moderatio perturbationis, & hactenus in medio Possumus siquidem ab ortu esse proclives ad inferendam injuriam, ad surripienda aliena bona, ad tribuendum plus uni, quàm alteri, quæ propensio utique corrigitur per habitum justitiæ, more & consuetudine interveniente, quibus rectè componuntur perturbationes animi, per habitum, inquam, justitiæ servantis medium. Dum enim plus æquo tribuimus uni, minus æquo relinquimus alteri, & ob id oppositum ejus uno injustitiæ nomine denotamus, includentis & excessum & defectum. Denique sic: Justitia ab ICtis definitur, constans & perpetua voluntas, suum cuique tribuendi, ab Aristotele verò habitus, quo homines propensi sunt ad res justas gerendas, quoquè res justas gerunt, gererequè volunt: Ergò in voluntate! Sed & hoc ἀφιλοσόφως! Neque enim attributum hoc justitiæ peculiare, sed omnibus virtutibus morali-

moralibus commune, quibus de similes definitiones tenent. Ita fortitudo est constans & perpetua voluntas agendi fortia, liberalitas liberalia, & sic de cæteris. Quod attinet definitionem Aristotelis, in eâ non opponitur voluntas appetitui sensitivo, verùm solummodò designat, justitiam non posse sine voluntate exerceri. Id quod iterum non soli justitiæ peculiare, sed huic commune cum reliquis virtutibus moralibus, quæ & ipsæ exerceri nequeunt reclamante voluntate. Atque adeò Subjectum Justitiæ Partiale esse Appetitum Sensitivum, æquè ac cæterarum virtutum in more positarum, id verò probatur fide sequentium rationum. I. Quia justitia universalis, quæ suo ambitu omnes virtutes morum complectitur, est virtus una & universa: Cùm sit virtus una, ad unam animæ facultatem pertinebit, cùm universa, in eâ animæ parte reperietur, in quâ insunt cæteræ virtutes morales, quæ sunt partes ejus: Atqui hæ sunt in appetitu sensitivo; Quare & universa virtus moralis: At universa virtus moralis & justitia, re sunt idem, solâ ratione differunt, ut absolutum & relativum, quoniam quatenus habet relationem ad alterum, justitia dicitur, quatenus autem talis quidam habitus est, perficiens habentem, absolutè virtus appellatur: Igitur, ut universa virtus, ita univer-

univerſa juſtitia, poſito hoc calculo, in appetitu ſenſuum erit, & non in voluntate! II. Quia ad eandem animæ partem ſpectat juſtitia, ad quam ſemi-juſtitia, quæ ſemen juſtitiæ, & via ad eam, tanquam terminum: Cur id? Quia enim via & terminus ſunt ejuſdem facultatis: At ſemi-juſtitia eſt in appetitu ſenſitivo, tanquam in ſubjecto ut quæ conveniat pueris ante rationis & voluntatis uſum: Ergò & juſtitia! III. Quia, quæ more & aſſuetudine acquiruntur, ea ad appetitum ſenſuum pertinent, qui inſtar pueri aſſuetudine formatur: At, nedum cæteræ virtutes morales, verùm etiam juſtitia, more & aſſuetudine acquiritur, cùm, ſicut crebrò fortia agendo quis fit fortis, liberalia agendo liberalis, ita agendo juſta juſtus: Ergò ad appetitum ſenſuum pertinet! IV. Quia, qui rectè judicant juſta, eaquègerunt, & volunt gerere, ſi internam appetitionis ſenſuum pugnam ſentiant, juſti non ſunt, nec juſtè agunt, ſed juſta, non ob aliam rationem, niſi quia in appetitu ſenſuum non eſt contractus habitus: Ergò juſtitia, non ſecùs ac cæteræ virtutes morales, erit habitus appetitus ſenſuum, conquè venienter expoſcet, ut juſtè agens ſit animo certo quodam modo affectus, adeoquè extra pugnam appetitus ſenſuum poſitus, id quod ſine habitu fieri nequit, qui eſt in eo.

V. Quia

V. Quia Aristoteles duo sola signat virtutum genera, Intellectuales & Morales, & illas ponit ἐν τῷ λογικῷ, has ἐν τῷ ἀλόγῳ tertiam virtutum sedem & patriam non agnoscit: Aut ergò justitia sita erit ἐν τῷ ἀλόγῳ, aut, si ἐν τῷ λογικῷ, inter virtutes intellectuales erit numeranda.

8. *Casistarum hinc*, qui Subjectum Virtutis Moralis Partiale, sive ut Quo, ultimum dicunt esse Voluntatem, ultimandum verò Appetitum Sensitivum, eò quod virtus moralis appetitui sensitivo videatur inesse inchoatè, voluntati verò consummatè, ad eum modum, quo unus actus inæqualiter pertinere potest ad diversas potentias, diversimodequè ab his progredi, v. g. ambulatio à ratione, ut dirigente, à voluntate, ut movente, à locomotivâ, ut exequente.. Quam in rem sic Thomas: Aliquid esse in duobus contingere potest dupliciter, uno modo sic, ut ex æquo sit in utroque, & sic impossibile, unam virtutem esse in duabus potentiis, quia diversitas potentiarum attenditur secundum generales objectorum conditiones, diversitas autem habituum secundum speciales, atque inde, ubicunque est diversitas potentiarum, etiam est diversitas habituum, non contrà, alio modo, non ex æquo, sed ordine quodam, atque sic una virtus pertinere potest ad plures potentias, ita ut in unà

ſit principaliter, & ſe extendat ad alias per modum diffuſionis, ſecundum quod una potentia movetur ab aliâ, ſed per modum diffuſionis ſcilicet, & non per modum adæquationis, ſive ratione ſubjecti adæquati, quod quidni unum idemquè ſit habitus inchoati & conſummati, uti idem ſubjectum eſt diſpoſitionis & habitus? Quod attinet exemplum ambulationis, ad illud juvat reſpondere, ut idem actus non poſſit eſſe æqualiter, atque eodem ordine, diverſarum potentiarum, poſſe tamen eſſe ſecundum diverſas rationes, atque ordine diverſo.

9. *Vtut verò in Voluntate non dentur Virtutes Morales propriè dicta, dantur tamen Habitus Virtutibus Moralibus Ἀνάλογοι, ſive Virtutes Analogicæ*, ſed hi habitus nihil ſunt aliud, quàm effectus prudentiæ, voluntatem quidem perficientes, ut ſubjectum, non autem dirigentes ac determinantes, ut objectum, contrà quam faciunt virtutes morales, quæ appetitum ſenſitivum non ſolùm perficiunt ut ſubjectum, ſed etiam dirigunt ac determinant ut objectum, eumquè rationi ſubjiciunt, tametſi naturâ ſuâ ſequatur dictamen phantaſiæ. Ut ita morales virtutes appetitui ſenſitivo inſint, ut ſequatur rationem, habitus verò illi, virtutibus moralibus ἀνάλογοι, voluntati, non ut ſequatur rationem, ſed quia ſequitur rationem, nihil ideò indigenti qualitate ſu-

per-

peradditâ, quâ inclinetur, atque, ut ita dicam, facilitetur ad sequelam rationis, cùm abs se eam sequatur.

Caput XVIII.

Quæ Materia Circa Quam Moralis Virtutis, sive Objectum? Et quotuplex? Quod Internum sive Primarium? Annon Affectus? Actionesquè? Voluptasquè & Dolor? Quod item Externum sive Secundarium respectivè.

§. *Materia circa Quam sive Objectum Virtutis Moralis, circa quod occupatur, vel Internum est, idquè Primarium, vel Externum, idquè Secundarium.*

2. *Objectum Internum sive Primarium Virtutis Moralis, sunt Affectus, & Actiones, necnon Voluptas & Dolor.*

3. *Affectus ideò*, quia hos moderatur, atque ad justam mediocritatem redigit, ne, instar equi indomiti nos trahant præcipites, atque à bono rationis abducant, & ad peccandum inducant. Quorsum à Philosopho definitur, quòd sit habitus, quo circa affectus nos rectè habemus.

4. *Actiones ideò*, quia ex eâ laudantur antecedenter, tanquam operativâ sive productivâ operationum bonarum, habente se ad eas, ut causa ad effectum, ipsa verò ex his laudatur consequenter, ut fons propter rivos & fluvios inde emanantes. Sanè, cùm

omnes virtutes morales nodo Gordio sint connexæ in prudentiâ, næ idem censeri debet earum objectum, quod illius : Atqui prudentiæ objectum sunt actiones humanæ : Ergò & virtutum moralium !

5. *Voluptas & Dolor ideò*, quia circa utrumque versatur virtus, quam vocant, morum, non tantùm per modum sequelæ, adeoquè ut circa quid consequens ad proprium actum ipsius, quem sequi amat voluptas, quia virtuosus delectatur opere suo, sicut impedimentum ejus dolor, quia idem, cùm impeditur in opere suo, dolet, sed etiam per modum objecti, adeoquè ut circa materiam propriam, tum quia quælibet facultas & habitus versatur circa illa, ex quibus generatur & corrumpitur, virtus moralis autem per voluptates ac dolores generatur & corrumpitur, quoniam propter voluptates homines improba sæpè faciunt, harumquè causâ à virtute descifcunt, sicut propter dolores sæpè posthabent ea, quæ honesta sunt, tum quia eadem virtus moralis circa affectus & actiones versatur, ergò etiam simul circa voluptates & dolores, qui & quæ ab illis separari nequeunt, tum quia voluptas & dolor sunt in numero expetendorum & fugiendorum, expetendo-

rum,

rum, ceu sunt. honestum, utile, & jucundum, fugiendorum, ceu sunt. turpe, inutile, & molestum seu triste, virtus moralis autem vertitur & versatur circa expetenda & fugienda, tum quia voluptas vel maximè hominis, quem comitatur inde à primis incunabilis, & cum eo quasi coëducatur, quod autem tale, circa illud utique versatur virtus moralis, quæ si versatur circa voluptatem, connecessariò quoque versabitur circa dolorem, quoniam contrariorum eadem potentia, tum quia homines voluptate & dolore assolent metiri actiones suas, ut qui in aggrediendis expeditionibus semper cogitent, quidnam voluptatis, quidvè molestiæ, sit habitura actio, ut non parum intersit ad agendum, benè vel malè lætari aut tristari, quâ autem re metiri consueverunt homines actiones suas, circa illam utique occupatur virtus moralis.

6. *Objectum Externum sive Secundarium Virtutis Moralis sunt Interni sive Primarii Objecti Antecedentia, Comitantia, & Consequentia*, adeoquè omnia circumstantiarum genera, quæ affectibus & actionibus, horumquè comitibus, sedandis, augendis, minuendis, exasperendis serviunt, quomodo videas alias virtutes extrinsecùs occupari in rebus adversis, periculis, ipsâquè morte, alias in cibo, potu, Venere,

 in

in honore & contemtu alias, in divitiis & paupertate alias, nonnullas in offensionibus & injuriis, in conversatione concinnâ & eleganti aliquas, denique in præmiis & pœnis contractibusquè aliquas, in morali hoc viridario.

CAPUT XIX.

Quæ Virtutis Moralis Forma? Negationè, saltem Privatio Extremorum? Mediocritativè juncta Medietas? Congruentiavè cum Rectâ Ratione? Ac non potiùs Rectitudo Congruens?

§. 1. *Tantum de Materiâ Virtutis Moralis. Forma Virtutis Moralis & ipsa, vel Negativa est, vel Positiva.*

2. *Forma Virtutis Moralis Negativa est, Negatio & Privatio Extremorum, Mediocritatiquè juncta Medietas, Congruentiaquè cum Rectâ Ratione.*

3. *Negatio Extremorum ideò*, quia forma entis positivi nequit esse non ens, quale negatio. Quid enim absurdius, quàm ens per non ens, affirmationem per negationem, adeoquè oppositum per oppositum, definire?

4. *Privatio Extremorum ideò:* I. Quia privatio & ipsa refertur inter non entia, & quia caret essentiâ positivâ, habet rationem mali, cùm re tantùm bonâ propriè privari dicamur, naturamquè non perficit, sed destruit atque interficit, quæ omnia contrario

rio modo se habent in virtute morali, quæ ens est, bonum est, naturæ perfectio est, non destructio: Igitur non privatio, nedum privatio extremorum propriè dicta, quæ nulla datur in virtute. Hæc enim est absentia habitus in subjecto capaci, & carentia formæ, quæ jam fuit, vel esse debuit, in certo subjecto: Quæcunque ideò res quid nec habuit, nec habere debuit, aut potuit, eo privari nequit: Jam verò virtus moralis extrema non includit, sed semper excludit, neque unquam ea intra se recipit, recipereve est apta, ecquomodò igitur extremis privata dici poterit? II. Quia privatio & habitus sunt species oppositæ & contradistinctæ, nullum autem oppositum sui oppositi est forma. Tollunt quippè se invicem opposita, non ponunt, multò minùs constituunt. Cùm ergò virtus moralis sit habitus, utique privatio, quæ habitui opponitur, esse nequit ejus forma? III. Quia entis positivi formam quoque oportet esse positivam. Qui enim aliàs forma & formatum convenirent? Quíquè posset privatio positivum esse largiri, cùm ipsa in se positivi nihil habeat?

5. *Mediocritati juncta Medietas ideò*, saltem præcisè & formaliter; tum quia harum natura ac conditio nihil aliud, quàm negatio extremorum, quoniam quo de extrema negantur, illud in medio consistere

dicitur, atqui nulla negatio est forma entis positivi, quia forma & formatum sunt homogenea, virtus verò moralis est positivum quid, mediocritas contrà medietasquè entis negatio, quî ergò queant esse forma virtutis moralis? tum quia neutra est ens absolutum, ut virtus, sed potiùs relatum, consistens in relatione & respectu ad extrema, quæ sicut medii extrema, ita medium extremorum est medium, nuda autem relatio entis absoluti vera & genuina forma non est, quia aliâs forma & formatum, pars & totum, prædicamento vel genere differrent, quod absurdum, tum quia mediocritati juncta medietas, virtutem moralem naturâ non præcedit, sed sequitur, cùm non ideò sit virtus, quia versatur in medio, sed contrà, quia virtus est, mediocritatem & medietatem servat, adjunctum ejus consequens potiùs, non essentiale constituens, nihil notans, nisi recessum ab extremis, atqui forma rem non sequitur, sed naturâ præcedit, cùm principium prius sit principiato, tum denique, quia contraria contrariorum sunt attributa essentialia & specifica, quare, si forma virtus moralis est mediocritati juncta medietas, vitii moralis forma erit extremitas, quis autem est, qui extremitatem pro accuratâ vitii formâ ausit venditare, quæ accidens potiùs, quàm differentia

tia vitii, quod Apoſtolus, non per ἀκρότητα extremitatem, verùm per ἀνομίαν illegalitatem ſeu irrectitudinem, definit. Quare, ſicut vitii differentia ἀνομία ſive pravitas devians à lege, ita vi contrariorum virtutis forma ἐννομία, ſive rectitudo legi conſentanea, cujus argumentum mediocritati juncta medietas, non fundamentum.

6. *Congruentia cum Rectâ Ratione ideò,* quia congruentia formaliter ſumta nihil eſt aliud, quàm relatio, ut quæ notet habitudinem, quæ eſt inter normam & normatum, menſuram & menſuratum: jam verò nulla relatio poteſt eſſe forma entis abſoluti, quia ſic prædicamentis differrent conſtituens & conſtitutum, quod abſurdum.

7. *Quid ergò? Forma Virtutis Moralis Poſitiva eſt Rectitudo Congruens, hoc eſt, ipſa Bonitas Rectæ Rationi conformis, eaquè non Diſpoſitiva, ſed Habitualis,* tum quia forma eſt, per quam res eſt id, quod eſt, virtus autem moralis eſt id, quod eſt, per rectitudinem, tum quia, per quod virtus formaliter diſtinguitur à vitio, id ejus utique eſt forma, eò quòd contrariorum formæ ſint contrariæ, cùm omne contrarium ſuo contrario ſit contrarium per formam, per quam eſt id, quod eſt, jam verò virtus formaliter

distinguitur à vitio ἐνδείας, rectitudine legi congruenti, quæ ei dat quidditatem seu esse, quæ ideò ejus forma. Quòd si dicas, Aristotelem & sequaces nihil aliud intelligere per suam illam mediocritatem & medietatem, quàm ipsam hanc rectitudinem, respondebo, tenendam igitur mentem, corrigendam interim linguam, quæ altera mens Philosophi, sicut manus artificis manuarii.

CAPUT XX.

Annon interim Mediocritati juncta Medietas sit Forma Virtutis Moralis, minimùm Objectivè Effectivè & Adjunctivè? Et si, quotuplex universè sit Medium? Qualeque Medium Virtus Morum in genere, in specie verò Iustitia? Reinè, an Rationis seu Personæ?

§. 1. *Quamvis Mediocritati juncta Medietas non sit Forma Virtutis Moralis Positiva, est tamen quid Formæ, Objectivè, Effectivè, & Adjunctivè, ita ut pro vicariâ vera formæ commodùm usurpari possit, usurpataquè sit ab Aristotelicis.*

2. *Objectivè, sive secundum Objectum, & quà Mediocritas*, quia sita est in adæquatione ad suam regulam, ut nec illam excedat, nec ab eâ deficiat, in adæquatione, inquam, ad mensuram rectæ rationis, quæ cùm sit æqualitas sive commensuratio quædam inter excessum & defectum, nihil aliud est, quàm mediocritas, quæ ideò forma virtutis moralis, minimùm objectivè?

3. *Effe-*

3. *Effectivè hinc, sive secundum Effectum, & quà Medietas*, quia omnis virtus moralis, exceptâ justitiâ, consistit in medio, sitaquè est inter duos vitiosos habitus, quorum alter peccat in excessu, alter verò in defectu, v. g, liberalitas prodigalitatem inter & avaritiam, fortitudo audaciam inter & ignaviam seu timiditatem. Dico, exceptâ justitiâ, quia quicquid fit contra jus, sive ad excessum, sive ad defectum vergat, semper injustitiam parit, quæ ideò justitiæ sola opponitur.

4. *Denique Adjunctivè, sive secundum Adjunctum, & quà Mediocritas, & quà Medietas conjunctim.* I. Quia his positis ponitur virtus moralis, & sublatis tollitur, aliisquè ab habitibus discernitur. Est siquidem dicta virtus moralis habitus medius, inter duos extremos habitus consistens, neque habitus tantùm, sed & affectus, & actus. Sicut enim datur habitus medius inter duos extremos, ita quoque affectus medius, & actus medius, inter duos extremos, quorum tamen neuter virtus moralis, quæ tanquam habitus medius versatur circa medium affectus & actus, sicut extremi habitus circa extrema affectus & actus. Priori modo medium, posteriori in medio. II. Quia, quod rectum & laudabile, næ illud virtutis proprium: Sed mediocritas affectuum & actionum est illud ipsum rectum & laudabile,

ut in quâ omnium affectuum & actionum rectitudo & laus consistat, si quis v. g. irascendo, timendo, dando, accipiendo modum servet: Ergò virtutis propria, proprium, inquam, ejus adjunctum, quod ideò loco formæ non incommodè poni potest, poniturquè ab Aristotele! III. Quia, quod decet, quando, & in quibus, erga quos, cujus rei causâ, quomodo decet, næ illud est mediocre: At virtus moralis illud ipsum, quod decet, in affectibus & actionibus sibi propositum habet: Ergò quid mediocre: Si quid mediocre, non malè formæ loco ponitur mediocritas. IV. Denique vel hanc quoque ob causam virtus moralis seu morum non inappositè mediocritatis & medietatis sepimento circumscribitur, quia omni arte limatior est & melior, quæ & ipsa inter nimium & parum servat medium, excessu & defectu, si quid addas, vel demas, operis perfectionem corrumpente, eandemquè mediocritate conservante, quomodo calceamenta ea censemus optima, quæ ad pedem sunt accommodatissima, & neque laxiora, neque arctiora, picturas item & statuas eas exactissimas, in quibus nihil redundat, nihil deficit. Virtutem arte esse limatiorem & meliorem, id verò confirmatur ex eo, quia ad artem requiritur tantùm cognitio seu notitia, ad virtutem

præter

præter hanc agendi consilium, & animus virtute præditus: Ars ad bonum & malum est indifferens moraliter, ut quâ quis possit abuti, exemplo Oratorum, qui linguam venalem habent, ut meretriculæ pudicitiam, at virtus semper determinata ad bonum, ut quâ nemo possit uti malè, cùm sit bonum honestum, ac proprium viri boni: Ars perficit artificem, respiciendo ad res externas, reddendo animum ejus peritiorem, non meliorem & honestiorem, unde eam videas subindè cadere in viros malos, immò pessimos, virtus contrà perficit habentem, reddendo animum ejus prudentiorem & meliorem, quæ ideò in hominibus malis haud habet locum: Eadem ars varia, virtus exemplo naturæ semper sibi similis: Denique ars, ut famula, materiam præparat virtuti, ut dominæ, sartor v. g. vestes, quibus utatur liberalis, cocus cibos, quibus vescatur temperans, non item virtus arti.

5. *Cæterùm vox Medii quadrifariàm accipitur in Scholis Philosophorum. Vel enim significat Medium Comprehensionis*, quale medium inter continens & contentum id, quod & continet, & continetur, quomodo octonarius inter duodenarium & quaternarium, continet quaternarium, sed à duodenario continetur: *Vel Medium Situs seu Locationis*, quale medium, quod medio quidem situm

eſt loco, neque interim vitioſis extremis interjacet, v. g. äer terram inter & cœlum, Germania Galliam inter & Poloniam: *Vel Medium Participationis ſeu Subjecti*, quale quod participat aliquid de extremis, in gradu putà remiſſo, v. g. tepor quid de calore & frigore, medii colores quid de albo & nigro, tanquam coloribus extremis: *Vel denique Medium Negationis ſeu Excluſionis*, quod in neutrum oppoſitorum cadit, nulliusquè extremorum, inter quæ ſitum, eſt particeps. Atque tale medium eſt virtus moralis, quæ nec defectum continet, contineturvè ab exceſſu, ut medium comprehenſionis, nec habet extrema vitio carentia, quibus penes intervalla locorum interponatur, ut medium ſitus ſeu locationis, nec miſcetur contemperaturvè ex extremis, ut medium participationis, verùm inter nimium & parum, adeoquè id, quod ultra aut citra, ſupra aut infra medium, ſervat medium, ut medium negationis. Videtur quidem etiam eſſe πῆ, ſeu aliquâ ex parte, medium per participationem, quia ſimilitudo quędam eſt fortitudinem inter & audaciam, liberalitatem hinc & prodigalitatem, ſed hæc comparatio veriùs, quàm ſimilitudo, neque ipſa hæc comparatio ratione eſſentiæ, ſed ratione exiſtentiæ, hoc eſt, modi & operationis.

6. *Atque hoc Medium, quod vocant, Negatio-*

gationis adhuc duplex, Rei videlicet seu Arithmeticum, & Rationis seu Geometricum.

7. *Medium Rei seu Arithmeticum* est, quod absolutè æquè distat ab utroque extremorum, nec uni vicinius similiusquè est, quàm alteri. Simile centro in circumferentiâ circuli, & puncto in lineâ, hanc in æquales partes dispescenti. Appellatur medium rei, eò quòd à parte rei æquè distet ab utroque extremo, quomodo panis duarum libellarum, medius inter panem unius libellæ, & trium libellarum: Item Arithmeticum, eò quòd proportio æqualis numerorum ex hoc oriatur, quomodo senarius medius inter binarium & denarium, quoniam tantum excedit unum extremorum, putà binarium, quantum exceditur ab altero extremorum, putà denario, nempè quatuor unitatibus, similiter novenarius medius senarium inter & duodenarium, à quo utroque distat tribus unitatibus. Atque hoc medium quantitatis semper manet idem, sine ullâ circumstantiarum variatione, quia semper eodem modo se habet ad sua extrema, nullo habito respectu personæ, loci, temporis, regulæ Atticæ conferenda hâc parte.

8. *Medium Rationis seu Geometricum* est, quod inæqualiter distat ab extremis, quodquè uni extremorum interdum vicinius, ab altero verò contrà remotius, ita tamen, ut

neque

neque redundet, transiens medium in excessu, neque deficiat, deserens medium in defectu, contrà quàm loci temporis & personæ circumstantiæ requirunt. Appellatur medium rationis, quia in analogiâ est positum, & à rectâ, hoc est, sapienti ratione statuitur determinaturquè respectu circumstantiarum, earumquè ratione mutatur, adeoquè augetur vel minuitur: Item Geometricum, quia in eo servatur eadem ratio seu proportio majoris termini ad medium, & medii ad extremum: Item personæ, quia consistit in proportione rei ad personam, spectatâ conditione & qualitate operantis, varians ubi hæ variant: Item quoad nos, se habens perindè ac regula Lesbia, quæ flecti, ac proindè variis lapidibus accommodari poterat, non quasi virtus hoc exemplo ratione essentiæ suæ sit mutabilis, cùm sit habitus, ac propterea constans & invariabilis, sed quòd respectu modi & existentiæ sit variabilis, qui modus agendi secundum hunc habitum subindè variat, ita tamen, ut à rectâ ratione nunquam recedat. Atque hoc ideò medium, cùm in proportione rei mutabilis, rationisquè moderatione, consistat, consideratâ re, non in se, sed ad aliud, non semper est idem, verùm variùm & mutabile, prout concurrentia ad actionem variare & variari possunt circum-

cumſtantiis mutatis. Rès exemplo fiet illuſtrior. Ita v. g. comedere duos panes ſit parum omnibus, decem verò nimium, medium conveniens cuique non ocyùs propterea fuerint ſex panes, qui ſunt medium rei inter duo & decem, ſed medium ſumetur id, quod erit conveniens cuique, ſecundum quod requirit cujusque complexio. Nam quia non omnibus eadem temperamenti & caloris vis ad decoquendum, ideò ſæpè id, quod unius collatione, v g. Tironis aut Socratis, nimium, reſpectu alterius, v. g. Milonis Crotoniatæ, aut Theraginis, quorum uterque uno die taurum quadrimum integrum ſolus comedit; Phagonisquè illius anonymi, qui vertente die, ante menſam Aureliani imperatoris, aprum integrum, vervecem, porcellum, & centum panes, comediſſe fertur, parum. Quibuſdam ergò erit conveniens, comedere fortè tres panes, quibuſdam quinque, aliis ſeptem, & tale medium erit reſpectu noſtri, ita ut non res, ſed nos ipſi ſumus termini, ad quos reſpicere convenit ex præſcripto temperantiæ, imperantis victum medium, naturæ habitum non evertentem.

9. *Virtus Moralis non eſt poſita in Medio Rei, ſed Rationis, & reſpectu Eſſentiæ, & reſpectu Exiſtentiæ. Reſpectu Eſſentiæ*, quia in medio duorum extremorum vitiorum conſiſtit, id eſt, inter duos habitus vitioſos, quo-

quorum alter peccat in excessu, alter in defectu, fortitudo v. g. audaciam inter, quæ excessus, & timiditatem, quæ defectus, similiter liberalitas prodigalitatem inter, quæ excessus, & avaritiam, quæ defectus, hactenus medietas, non in extremis, sed inter extrema. *Respectu Existentiæ*, quia illuc spectat, ut passiones & operationes, circa quas attinetur, medium teneant, quod medium, secundum subjecti, hoc est, operantis varias conditiones, propter locorum, temporum, personarum, aliarumquè circumstantiarum varietatem, subindè mutatur, quomodo quod in periculis militi fortitudo, id sacerdoti & mulieri temeritas, quodquè in cibis giganti parùm, id pumilioni nimium, ei verò, qui statura mediocri, æquale, hactenus mediocritas. Scilicet virtus moralis debet se accommodare circumstantiis, & nunc ad unum, nunc ad alterum extremum, propiùs accedere, prout majorem minoremvè cum hoc vel illo habet cognationem, non quidem ratione essentiæ, cùm ut sic nulla sit participatio vitiorum cum virtute, nec magis dicenda prodigalitas in essentiâ liberalitas, quàm avaritia, sed ratione existentiæ, quam si spectes, prodigus liberali est similior, quàm avarus, id quod fieri utique non posset, si virtus, quam vocant, morum semper æquali intervallo distaret à suis extremis,

mis, distaret autem, si foret medium rei, non rationis.

10. *Ab hâc communi lege eximitur Iustitia, quæ non in Simplici sed Analogico sive Proportionali Medio consistit.* Cùm enim aliæ virtutes morales (verba sunt Thomæ,) principaliter consistant circa passiones, quarum rectificatio non attenditur, nisi secundum comparationem ad ipsum hominem, cujus sunt passiones, ideoquè medium talium virtutum non accipitur secundum proportionem unius rei ad alteram, sed solùm secundum comparationem ad ipsum virtuosum, propter hoc in ipsis solùm est medium secundum rationem, seu quoad nos: At cùm materia justitiæ sit exterior operatio, secundum quod ipsa, vel res, cujus est usus, debitam proportionem habet ad aliam personam, ideò medium justitiæ consistit in quâdam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem, quare in medio rei; ut quæ hoc solùm spectet, ut tantum det alteri, quantum debet, vel secundum æqualitatem rei ad rem, Proportione Arithmeticâ, ut si debeas 100 des 100, prout fit in Justitiâ Commutativâ, vel secundum æqualitatem proportionis bonorum onerum præmiorum meritorum, Proportione Geometricâ, ut si merearis habere 10, alius 20, tibi dentur 10, alteri 20, prout fit in Justitiâ Distributivâ.

CA-

CAPUT XXI.

De Medii Oppositione Logico-Logisticâ cum Extremis, & Extremorum inter se.

§. 1. *Cùm Virtus Moralis sive Morum posita sit in Medio inter duo Extrema re vel ratione, quæstionis est, quo inter se opponantur modo? Consentiunt classicè, quòd Extrema medio opponantur Privativè, ipsa verò inter se Extrema Contrariè.*

2. *Extrema Medio Privativè*, quia virtus, quæ medium, quatenus virtus, ponit illud, nempè actiones, legi naturæ & bonis moribus conformes, quod vitia, quà vitia, tollunt, nempè easdem actiones in formâ.

3. *Ipsa verò inter se Extrema Contrariè*, ut quæ sub uno & eodem genere longissimè distent, v. g. omnia pericula aggredi sine ratione, quod audaciæ, & omnia pericula fugere sine ratione, quod timiditatis, pecuniæ tenacissimè inhærere, quod avaritiæ, & eandem temerè profundere, quod prodigalitatis, vitiorum extremorum, oppositorum virtuti mediæ, altera fortitudini, altera liberalitati: *Non Privativè*, quia illa ipsa extrema non sunt puræ privationes virtutis in medio consistentis, sed quid cum privatione, purà actus pravi, includentes non tantùm privationem, sed & contrarietatem.

4. *Cæterùm Oppositio hæc in suâ amplitudine seu latitudine triplex est. Vel enim Medium*

dium opponitur Extremis, vel Extremum Extremo, vel Extrema Medio.

5. *Medii atque Extremorum Oppositio* est, cùm virtus vitiis, non ἁπλῶς simpliciter, sed πῶς quâdamtenus, hoc est, ratione exuperantiæ, opponitur, quatenus nimirùm ab uno extremo superatur, alterum verò superat. Sicut enim æquale, cum re minore comparatum, est majus, respectu defectus excessus, cum re verò majori comparatum minus, respectu excessus defectus: Ita virtus, si cum eo extremo comparetur, quod in defectu cernitur, superat, estquè excessus, sin cum eo, quod in excessu cernitur, superatur, estquè defectus. Dico, non ἁπλῶς sed πῶς, quia medium extremis, virtus vitiis, non verè contraria. Etenim de verè contrariis unum uni tantùm contrariatur, album v.g. nigro, verè quin etiam contraria longissimè inter se distant, album v.g. à nigro: Jam verò virtus, tanquam medium, non uni tantùm vitio, tanquam extremo, verùm duobus, opponitur, neque longissimè, eò quòd proficisentibus ab uno extremo ad alterum, medium priùs occurrat, quàm ad illud perveniatur, alterum putà extremum.

6. *Extremorum inter se Oppositio* est, quando extremum extremo, vitium vitio, opponitur. Quæ oppositio priori major, tum quia extrema longiùs distant inter se quàm à me-

à medio, ſicut videmus majus & minus longiùs diſtare inter ſe, quàm ab æquali, tria à novem, quàm ſex à tribus & novem, tum quia major ſolet eſſe diſſimilitudo inter extrema, tanquam ſpecies oppoſitas, quàm inter medium & extrema, tanquam ſpecies diſparatas, cùm illæ nullam habeant cognationem, hæ aliquam, ſaltem in ſtrato præſenti, quomodo avaritiam inter & prodigalitatem, quæ duo liberalitatis extrema, nullam videre eſt convenientiam, quia extremè diſtant, & altera nullum modum in retinendo obſervat, altera verò in erogando, cùm interim media liberalitas, cum avaritiâ retentionem, cum prodigalitate largitionem, communes habeat, etſi modum utrique præſcribat, illi in retinendo, huic in largiendo.

7. *Extremorum cum Medio Oppoſitio* eſt, quando extrema medio, majoris minoriſvè contrarietatis reſpectu, opponuntur. Si enim in his, quæ ad corpus pertinent, extremorum unum magis eſt contrarium medio, quàm alterum, v. g. in exercitatione τὸ nimium, quidni idem obtineat etiam in iis, quæ ad animum ſpectant, quomodo videas virtutem cum alterutro extremorum habere aliquam affinitatem, modò cum exceſſu, modò cum defectu. Licet namque virtuti mediæ duo utrinque vitia repugnent, ſæpè tamen unum extremorum vitiorum habet

ma-

magis sibi contrarium, quàm alterum, adeoquè nonnunquam magis ei repugnat vitium per defectum, nonnunquam vitium per excessum, v g, liberalitati magis avaritia, quæ defectus, quàm prodigalitas, quæ excessus, contrà temperantiæ magis intemperantia, quæ excessus, quàm stupor, qui defectus,

---

Caput XXII.

Atque adeò, Ἀκρότηςνὲ Extremitas cum Pythagoricis, an Μετριότης Mediocritas sic cum Aristotelicis Virtus Moralis? Μετριοπάθειανὲ item potiùs, sive Temperamentum Affectuum, cum Peripateticis, an Ἀπάθεια, sive Vacuitas Affectuum, cum Stoicis?

§. 1. *Virtus Moralis seu Morum, κατ' ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον, diverso, inquam, considerandi modo, & Mediocritas est cum Aristotele, & Extremitas cum Pythagorâ.*

2. *Mediocritas cum Aristotele*, eaquè passionum & operationum, non absolutè atque intrinsecè, secundum suam substantiam & naturam, quia enim virtus non est de genere passionum aut operationum, sed objectivè & extrinsecè, quia prædicta virtus est circa medias passiones atque operationes occupata, inveniendo in his medium, appetitumquè ad passiones & operationes medias determinan-

nando, ut in his servet aptam, ac commodam, sive ratione circumscriptam, moderationem, evitetquè id, quod nimium est, vel parum, secundum omnes medii conditiones & circumstantias, quando, quantum, ubi, quomodo, cur, & sic de cæteris.

3. *Medietas deinde autem cum eodem*, eaquè vitiorum, quoad situm in medio inter duo extrema re vel ratione, si substantiam ejus essentiam rationemquè formalem spectes, quatenus ut medium bonum extremis malis, medius habitus bonus extremis habitibus malis, opponitur, alteri in excessu, alteri in defectu, utrique ratione quantitatis seu essentiæ.

4. *Extremitas hinc cum Pythagorâ*, ratione qualitatis, si excellentiam ejus & bonitatem spectes, quatenus ut bonum malo, extremum extremo, opponitur, hoc est, duobus extremis simul sumtis, virtute obtinente locum formæ, vitio locum privationis & recessus à formâ. Scilicet virtus moralis, & medium est, & extremum, illud essentialiter, hoc perfectionaliter, illud respectu oppositionis mediatæ, ut respicit extrema, hoc respectu perfectionis & rectitudinis, ut respicit objecta, quomodo in medio ea, non medium, quia bonum opponitur malo, non secundum medium, sed secundum extremum, illud, si collocetur inter duo extrema vitia in specie, justitia v. g. inter inju-

injustitiæ excessum & defectum, hoc, si opponatur suis vitiis in genere, justitia v g injustitiæ.

5. *Quòd si virtus moralis seu morum Mediocritas, nominatim Passionum, Μετριοπάθεια igitur cum Peripateticis, non Ἀπάθεια cum Stoicis.*

6. Μετριοπάθεια *cum Peripateticis, sive* Εὐπάθεια, ἡ Συμμετρία τῶν Παθῶν, quia de eorum placito virtus est habitus, quo nos περὶ τὰ πάθη εὖ ἔχομεν, benè in affectibus habemus, habemus autem, cùm iis affecti sumus mediocriter. Neque tamen propterea ipsa hæc affectuum mediocritas virtus, tum quia, si formaliter affectuum mediocritas foret virtus, tunc genus ejus esset affectus mediocris, isque non simplex, sed compositus è gradibus extremorum, quoniam duorum extremorum medium ejusdem est generis cum extremis, atqui falsum consequens, ergò & antecedens, tum quia mediocritas affectuum non fuit forma virtutum Adami ante lapsum, cùm ante eum homo non fuerit vitiosis affectibus obnoxius, eadem autem virturis forma manserit etiam post lapsum, tum quia nec mediocritas affectuum vitiosorum erit forma virtutum in beatâ futuri ævi vitâ, jam verò virtutis forma non mutatur, etsi virtus perficitur, tum denique, quia si forma virtutis est μετριοπάθεια sive affectuum mediocritas, tunc illi

tur, ideò nequaquam omnes indifferenter uno ictu tollendi, saltem quasi in perpetuum exilium pellendi, nisi velimus committere *αὐτοχειρίαν* à parte naturæ affectæ, & *θεομαχίαν* ex parte Dei afficientis, qui mortificari vult affectus, velli, inquam, vellicari, non evelli, neque expungi & induci unâ quasi liturâ, sed poliri atque expoliti potiùs. II. Quia, quod per se malum & vitiosum, ideoquè tollendum, id ad laudabilem mediocritatem nunquam redigi potest: Atqui affectus, in excessu vel defectu peccantes, ad laudabilem mediocritatem rediguntur per virtutem, quo aspectu apud Homerum pingitur Pallas, retrahens iratum Achillem, ne gladium stringat in Agamemnonem, apud Pindarum verò & Æschylum Poetas fingitur Pegasus alatus, partem in homine *θυμικὴν*, quæ rapidissima est, significans, non antè potuisse domari, donec eadem Pallas aureum frenum attulit Bellerophonti, quorsum modò laudatus Homerus Heroibus suis, Hectori, Ajaci, Ulyssi, non omnem affectum adimit, sed nimium tantùm & immoderatum: Ergò non sunt tollendi! Vel ideò, quia virtus moralis pugnam solummodò affectuum cum rectâ ratione natam est auferre, non pugnantes affectus, qui non simpliciter tollendi, verùm secundum quid, id est, respectu intensionis seu nimii, & remissionis seu minimi. Virtus namque non

pugnat cum affectibus, sed horum extremis, neque ipsi affectus, sed horum excessus & defectus, impediunt virtutem, qui tollendi, non ipsi affectus cum radice & matrice, qui exscindi nec possunt, nec debent: Non possunt, quia sunt naturales, ideoquè immutabiles, cùm fieri nequeat, ut, qui homo est, non sit animal, id est, ut non habeat appetitum homini naturalem, quem compescere quidem potest rationis imperio, exuere non potest, modum v g ponere dolori, ut autem nullum dolorem sentiat, non item facere, quia omnis homo animal, animal autem non est, quod sensu caret, caret autem isto, quod re nullâ afficitur, quæ in sensus incurrit: (Usque adeò, tollere affectus ex homine, est hominem ex homine tollere, & intra hominem non hominem agere!) Non debent, quia enim hæc foret quædam quasi castratio innaturalis, velle abscindere affectus, rebusquè à naturâ insitis seipsum nudare. Et cur abscindantur quæsò, cur? Quàm diu enim limites à rectâ ratione præscriptos non emigrant, moraliter utique non sunt mali, quare nec virtuti obstant, ideoquè nec opus est, ut tollantur: Quin tantum abest, ut tolli hos oporteat, ut sublatis iis nec ipsa virtus moralis esse possit, v g fortitudo sublato metu & fiduciâ, temperantia sublatâ cupiditate, mansuetudo sublatâ irâ, cùm sit quædam quasi calcaria atque inci-

ta-

tamenta, ad benè, hoc eſt, rectè vivendum, homines expergefacientia è veterno vitiorum. III, Quia in totâ rerum naturâ, non ex humorum extirpatione, ſed ex eorum moderatione, apta temperamenta naſcuntur, ſalutareſquè harmoniæ conficiuntur, quæ natura perfectionem naturalem molitur, non per contrariorum everſionem ſive exterminationem, ſed per eorum contemperationem, uti videre eſt in qualitatum primarum contrariarum, ad certam & cuivis naturæ congruentem temperiem, reductione & redactione, ſimiliterquè perfectionem moralem in homine, non per contrariorum affectuum evulſionem, ſed mediocritatem ac temperamentum. Quin ergò reducimus potiùs affectus ad mediocritatem, eo pacto, quo ii, qui ab ebrietate ſibi metuunt, non effundunt vinum, ſed diluunt, quovè boum & equorum magiſtri, non motus horum, verùm petulantiores ſaltus, caſtigant jugi & freni impoſitione, aut, ut Muſici in ſonis concentum, non acutarum & gravium vocum internecione, Medici in corporibus ſanitatem, non ſuffocatione caloris & frigoris, ſed proportione temperamenti, Mathematici, ex gravium & levium compoſitione æquilibrium, quærunt & colligunt, quovè adeò modo imperatores milites, licet non omnes ſint

ſint boni, non tollunt tamen, verùm redigunt in ordinem, quoniam ſine his bellum geri nequit, quin, inquam, idem & nos celebramus factum in facto horum exemplo, niſi ſimiles videri velimus Lycurgo, vites à radicibus exſcindenti, hortulanovè Herodiano, qui, cùm ruris colendi eſſet inſolens, agrumquè purificare deſideraret, omnes cum rubis frondes, palmitesquè fæcundos, proſtravit, adeoquè illis, qui currendum eſſe negant, quòd aliquandò impingatur, jaciendumquè & jaculandum, quòd aliquandò à ſcopo aberretur, quiquè cum in ſano amore omnem amorem, cum avaritiâ, ſive æris aviditate, omnem appetitionem tollunt, næ inſulsè inſulſiùs inſulſiſſimè!

8. Sed ſcilicet Stoici Peripateticis etiam hâc parte non ſunt contrarii. Stoa aſſerit, affectus rationi contrarios eſſe expellendos: Peripatus, ῥοπὰς illas naturales, ſive motus indifferentes, rationi non contrarios, vel in exceſſu, vel in defectu, per ſe expelli, nec poſſe, nec debere. Utrumque verum, utrumque bonum & rectum. Quid ergò in Stoicis reprehendendum? Rectè etiam hîc ſenſerunt, ſed non rectè locuti ſunt, quia non diſtinxerunt actum naturalem ab ejus ἀταξίᾳ, putàruntquè, idem eſſe affectum, & ejus acceſſorium vitium: Atqui Philoſophum δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, examinatè lo-

loqui. Scilicet non convenit inter partes, funem contentionis ducentes, de significatione vocum, passionis & affectus. Quod enim passionem seu affectum esse voluerunt Peripatetici, quibus hæc duo nomina sunt rei per se & suâ naturâ non vitiosæ, quæ tamen per excessum & defectum vitiari potest, id negârunt esse Stoici, quibus nomen passionis sive affectus erat rei naturâ suâ & per se vitiosæ, atque hinc, quod Peripatetici affirmant esse affectum, id negant esse Stoici. Et sanè, si per affectus intelligas, quod Stoici, nullum dubium est, quin illi non sint temperandi, & ad mediocritatem revocandi, verùm omni ope ac conatu extirpandi, ejiciendiquè penitùs ex animo, neque quisquam veterum, cùm de affectuum temperamento verba facit, id autor est, ut quis aff. ctus mediocriter indomitos habeat, sed ut mediocres, quia enim vitium temperari aut mediocre reddi nequit, quoniam à mediocritate abit: Sin per eosdem intelligas, quod Peripatetic', iterum dubium nullum est, quin nullo modo sint eradicandi ex animo. Ut ita non tam discrepantia aut dissensio sit in rebus, quàm in verbis, neque tam πραγματομαχία, quàm λογομαχία, præsertim si vocabulum ἀπαθείας non capias pro exclusione cujuscunq; passionis in genere, tam corruptibilis, qualis in incontinente, quàm non corruptibilis, qualis in

in continente, incorruptibilisquè, qualis in temperante, qui passionatur quidem aliquâ passione, verùm non concutiente, nedum corrumpente rationem, sed pro exclusione certæ passionis in specie, purà malæ moraliter, saltem non bonæ.

CAPUT XXIII.

De Indivisibilitate & Divisibilitate Virtutis Moralis, Affectuumquè & Actionum, verùm Ethicâ, non Mathematicâ.

§. I. *Quamvis Virtus Moralis seu Morum, ratione quantitatis, & quoad essentiam definitione explicabilem, adeoquè absolutè, & in abstracto, sit indivisibilis, & hactenus non recipiat gradus, hoc est, magis & minùs: Tamen eadem ratione qualitatis, & quoad inexistentiam in subjecto, adeoquè subjectivè, & in concreto, divisibilis est, saltem hactenus admittit eosdem.* Cujus bicoli hæc ratio & regio: Prioris, quia id, quod pertinet ad essentiam & speciem rei, est aliquid naturâ definitum constans & certum, ideoquè non receptivum gradus, quo sensu omnes formæ in simplici atque invariabili essentiâ dicuntur esse positæ, numerisquè comparantur, quibus sine variatione speciei nihil potest addi vel demi, atque hoc conceptu, omnium virtutum una, ut definitio, ita essentia, ut essentia, ita definitio essen-

essentialis: Posterioris, quia multa ad virtutis introductionem in subjectum, & ejus in subjecto radicationem, concurrunt, quæ uno momento non adsunt, nedum ut uno eam momento perficiant, quæ sicut habent sua incrementa & decrementa, interventu prudentiæ majoris minorisvè, crebritatis actionum majoris minorisvè, aptioris ineptiorisvè dispositionis recipientis, firmioris infirmiorisvè connexionis cum aliis virtutibus, adeoquè ratione variorum extrinsecùs occurrentium, sive naturæ sive fortunæ munerum, necnon aliarum opportunitatum, vel remorarum, quæ faciunt, ut alii magis alii minùs sint virtuosi, ita virtus magis minusvè in subjecto recipitur, perquè gradus successivè acquiritur, hactenus divisibilis. Quòd si enim consideretur ex parte subjecti participantis, sic contingit eam esse majorem vel minorem, sive secundum diversa tempora in eodem, sive in diversis hominibus, eò quòd ad attingendum medium virtutis unus meliùs sit dispositus, quàm alius, vel propter meliorem dispositionem naturæ, vel propter majorem assuetudinem, quæ altera natura, vel propter perspicacius judicium rationis, vel propter majus donum gratiæ denique.

2. *Sicuti verò Virtus Moralis divisibilis condicto modo, ita & Affectus, & Actiones*

circa quos & quas illa versatur. Affectus, in quibus ipsis divisibilis quædam latitudo est. Quemadmodum enim in omnî re continuâ & divisibili, & plus, & minus, & æquale, sumere possumus, ita etiam in affectibus. Possumus siquidem, & plùs, & minùs, & mediocriter irasci, plùs, & minùs, & mediocriter metuere. Idem de reliquis affectibus judicium. *Actiones* hinc, in quibus & ipsis divisibilis quædam latitudo est atque extensio, aut in rebus potiùs, circa quas actiones humanæ sunt occupatæ, veluti in periculis, nutrimento, pecuniâ, honore. Sicut enim in omni re continuâ ac divisibili, & plus, & minus, & æquale, legere possumus, similiter in actionibus. Possumus quippè, & plus, & minus, & mediocriter dare, & plus, & minus, & mediocriter distribuere. Idem de reliquis actionibus judicium. Sed cur in omni re continuâ & divisibili sumere licet, & plus, & minus, & æquale? Quia enim divisio fit in partes, vel majores, vel minores, vel æquales, ubi autem æqualitas, ibi & medium.

3. *Neque interim indifferenter omnes, vel Affectus, vel Actiones, divisibilitatem hanc admittunt. Non Affectus*, quia quidam affectus per se mali, & rationi adversi, quorum nominibus statim vitium est implicatum, sive malitia moralis, ita ut cùm quis eos audit appellari, turpes eos & pravos protinùs judi-

judicet, quales omnes illi, in quibus medium ferire non licet, verùm necessariò est peccandum, ceu sunt, malevolentia, impudentia, invidentia: Alii contrà per se boni, & rationi consentanei, quorum nominibus statim virtus, seu bonitas moralis, est complicata, ita ut cùm quis eos vel nudè audit nominari, bonos eos protinùs esse censeat, ceu sunt, nemesis, pudor, zelus. *Non etiam Actiones*, quia similiter quædam actiones per se malæ, rationiquè adversæ, quarum nominibus vitium est implicatum, ita ut si quis eas audiat allegari, turpes eas & pravas nonnon judicet, quales omnes illæ, in quibus item medium ferire non licet, verùm necessariò & semper peccatur, quantumcunque nos ad eas habeamus mediocriter, quia sunt de naturâ suâ pravę, & non ut excessus, aut defectus, ceu sunt, in genere, delicta crimina & scelera, in specie, proditio, parricidium, scortatio, adulterium, furtum, sacrilegium, alię contrà per se bonæ, & rationi consentaneæ, quarum nominibus statim virtus est complicata, ita ut si quis eas audiat vel nominari, bonas & probas eas esse animo præsumat; ceu sunt, jejunium, eleemosyna. Atque hujus quidem rei hæc videtur esse ratio, quòd hæc vocabula, tam affectuum, quàm actionum, non nudos affectus, aut nudas actiones, significent, verùm affectus & actiones cum

circumſtantiis conjunctas, in quibus bonitas aut malitia moralis eſt poſita. Certè enim, v g, invidia nihil aliud eſt, quàm dolor, qui è commodo proximi capitur, ἡ ἐπιχαιρεκακία contrà nihil aliud, quàm voluptas, percepta ex ejuſdem incommodo. Plus ergò ſunt, quàm dolor & voluptas, adeoquè plus quàm affectus. Similiter στοργὴ parentum erga liberos, & horum ἀντιπελαργία erga parentes, affectus ſunt, putà amor, & boni quidem, at non ſimplices, cùm non ſint amare tantùm, verùm ejus amor, quod recta ratio, & lex naturæ ac divina, amari jubet. Ad hoc exemplum furtum actio, cùm ſine ablatione rei alienæ non committatur, at non ſimplex, cùm non ſit agere tantùm, verùm agere contra leges & mores, mores & leges, ideoquè actio quidem, ſed mala, illa quoad materiale, hæc quoad formale. Similiter abſtinentia à cibo & potu, non negativa, ex ἀδυναμίας quæ eſt ſubjecti, vel objecti defectu, ſed privativa, qualis Danielis & ſociorum ejus, actio & ipſa eſt, non ſimplex, verùm ejus, quod pro tunc expediebat, ideoquè plus quàm actio, nempè bona actio, & quoad materiale, & quoad formale.

CA-

Caput XXIV.

Duo famosa Paradoxa Stoicorum, de Rectè & Pravè Factorum Æquilibrio Morali, contra Peripateticorum Disquilibrium, cum Conciliatione Partium Controvertentium.

§ 1. Sicut ad indivisibile virtutis moralis medium, (indivisibilitate putà Ethicâ, habente aliquam qualemcunque latitudinem, non Mathematicâ,) sicut, inquam, ad indivisibile virtutis moralis medium, interdum propiùs acceditur, interdum minùs propè, ita ab eodem interdum longiùs receditur, interdum minùs longè, aliâs intensivè, per actuum ut virtuosorum ita vitiosorum contentionem, aliâs extensivè, per eorundem actuum repetitionem, quomodo meliùs pejùs v. g. agit, qui ex proposito, & majore cum voluntatis intensione extensione protensione agit, quàm qui præter, immò contrà, quiquè adeò sæpiùs, quàm qui semel.

2. *Quo posito & præsupposito, hallucinari Stoicos necesse est, qui nec Virtutem Virtute Majorem esse, & Recte-Factum Recte-Facto, nec Vitium Vitio, & Prave-Factum Prave-Facto, perhibent. Virtutem Virtute haud Majorem, & Recte-Factum Recte-Facto,* moti his argumentis. I. Quia rerum essentiæ & for-

mæ non recipiant magis & minùs, cùm sint quid naturâ definitum: Quare nec virtutes & rectè facta! Immò verò, si minùs ratione essentiæ absolutæ, minimùm ratione particularis inexistentiæ, ut recipiuntur in materiâ, quomodo differentias coloris recipere magis & minùs videmus, quatenus in alio recipiuntur. II. Quia nullum perfectum possit crescere in aliquâ sui perfectione: Quare nec virtus perfecta! Immò verò, si minùs quoad perfectionem essentialem, quæ in impartibili, minimùm quoad gradualem. III. Quia virtus moralis sit veritas rectitudo & ordo rationis, vero autem nihil detur verius, recto rectius, ordinato ordinatius! Immò verò, & vero verius, ratione cognitionis confusæ & distinctæ, objecti etiam magis aut minùs mutabilis respectu, sicut falso falsius, cùm non similiter mentiatur, qui quatuor censet esse quinque, ac qui mille, & recto rectius, ordinatoquè ordinatius, si minùs Mathematicè, minimum Ethicè: Quin immò & Mathematicè, si minus absolutè, minimùm comparatè. Quamvis enim omnes lineæ rectæ sint æquè rectæ, quia à puncto ad punctum brevissimæ sunt, tamen queunt inter se esse inęquales, quia aliæ aliis longiores vel breviores sunt, ut digiti in manu.

3. *Sed nec Vitium Vitio Majus, & Prave-Factum.*

Factum Prave-Facto, moti iſtis argumentis I. Quia vitia virtutibus opponantur : Omnes autem virtutes ſint æquales: Quare & vitia oppoſita ! Immo verò non æquales. Quamvis enim virtutes ſint æquales proportionaliter in uno & eodem, nihilominùs una aliam præcedit dignitate ſecundum ſuam ſpeciem. Ne dicam, unum hominem virtuoſiorem eſſe alio vel in eâdem ſpecie virtutis, v. g is, qui in majori periculo fortem ſe geſſit, quàm qui in minori. Quid, quòd etiamſi virtutes eſſent pares, non tamen inde ſequeretur, vitia quoque eſſe paria, quia virtutes habent connexionem, non item vitia, virtus indiviſibilis in gradu perfectionis, vitium contrà diviſibile, virtus ſimplex, vitium verò duplex, unum in exceſſu, alterum in defectu, non ſic virtus una excedens, altera deficiens. II. Quia omnia vitia ſint æquè vitia, ut quæ de naturâ generis ex æquo participent, cùm eſſentia & definitio vitioſitatis omnibus æquè vitiis conveniat, ſicut definitio alboris omnibus albis ! Immò verò non æquè. Quemadmodum enim omnia animalia ſunt æquè quidem animalia, beſtia v. g. æquè animal atque homo, quoniam ſpecies ex æquo naturam generis ſibi vendicant; neque interim æqualia, cùm differant quantitate : Idem ſuo modo tenet hîc. III. Quia peccare ſit quaſi tranſilire lineam, hoc

eſt,

est, regulam rationis: Lineam autem transilire se habeat æqualiter, & uno modo, cùm æquè extra lineam sit, quisquis transivit, adeoquè privativè, privationes autem non recipiant magis & minùs: Quare omnia vitia esse æqualia! Immò verò non esse, quia vitia privationes quidem sunt, at non puræ. Et quis nescit, privationem, quò plus habet contrarii habitus, hoc minorem esse? Quis non animadvertit discrimen tenebrarum & umbræ? Quis ignorat, differentiam esse inter eclipsin totalem & partialem? Quamobrem, meo judicio distinguendum fuerit inter ipsam privationem, exorbitantiamquè rectæ lineæ præcisè, & illius exorbitantiæ gradum.
IV. Quia vitium sit positum, non in hâc vel illâ declinatione, sed absolutè in declinatione à scopo sive recto, à quo qui declinant, eos absolutè & æquè peccare declinando, veluti absolutè dicuntur in aquam demersi, qui vel uno vel decem pedibus infra aquam sunt positi, pariterquè perhibentur non esse in Canopo, & qui centum inde absunt stadiis, & qui uno, nihiloquè magis respirare in aquâ, qui ad summum ejus appropinquant, atque qui sunt in profundo. Immò verò non æquè, cùm omnes æquè non declinent, sed alii magis, alii minus. Quod attinet illos, qui vel uno vel decem pedibus infra aquam sunt positi, in aquâ

qui-

quidem utrique sunt demersi, at non utrique pariter, sicut à Canopo æquè abesse dicuntur & illi, qui centum absunt stadiis, & qui uno tantùm, verùm illi longiùs interim, hi minùs longè. Simile, sumtum à respirantibus, est sibi dissimile, cùm dispar vitiorum & aquarum sit ratio. Quamvis enim nihilo magis respirent naturaliter, qui jam ad summum aquæ appropinquant, quàm qui sunt in profundo, cùm omnis demersio in aquâ simpliciter respirationem impediat, magis tamen nescio quomodo respirare possunt moraliter, qui minûs profundè vitiis sunt immersi, atque qui magis. Adde, quòd nec æqualitas distantiæ ab objectis diversis æqualia faciat omnia vitia, eò quòd non omnia objecta sint æqualia, sed nec æquales circumstantiæ omnes, quomodo graviùs peccare videas, & moribus & legibus, ex hoc capite, sacrilegum quàm furem, parricidam quàm homicidam, eum, qui Deum blasphemat, quàm qui homini maledicit, quam in rem næ egregiè Poeta:

Non vincit ratio hoc, tantundem ut peccet idemquè,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divûm sacra legerit: Adsit
Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne scuticâ dignum horribili sectere flagello.

V Quia

V. Quia peccare sit facere, quod non licet: Id autem, quod non licet, nec majus nec minus esse possit, cùm uno & eodem modo in omnibus reprehendatur: Quare unum vitium & prave-factum non esse altero gravius in comparatione! Immò verò esse, idquè ob majorem minoremvè deordinationem, aggravantem vel elevantem illud. Quorsum peccata spontanea deteriora invitis, consulta inconsultis, in scholâ morali: Ex eodem quin fonte facta alia merentur veniam & commiserationem majorem minoremvè, alia verò pœnas, & has inæquales, in eâdem scholâ, prout sunt vel συγγνωμικὰ, vel μὴ συγγνωμικὰ, ἀτυχήματα alia, ἁμαρτήματα alia, ἀδικήματα alia, gradibus differentia, & quoad culpam, & quoad pœnam.

4. Quid multis? Inæqualibus vitiorum, & prave factorum, (quorum hæc pejora in comparatione, quàm illa, tum quia propter actum vitiosum quis justè punitur, non item propter habitum vitiosum, nisi in actum erumpat, tum quia, sicut est melius benè agere, quàm posse benè agere, ita pejus malè agere, quàm posse malè agere, tum quia habitus non denominatur malus, nisi quatenus inclinat ad actum malum, tum quia actus vitiosi pluribus nocēt & graviùs, quàm habitus, qui suo tantùm subjecto nocent,

cen, & minùs etiam id affligunt, quàm actiones, quæ & autori & aliis sunt damnosæ :) illa verò radicaliter oritur è duobus fontibus moralibus, voluntatis, inquam, προαιρέσει, & adjunctis circumstantiis, ab illâ internè, ab his externè. E voluntatis προαιρέσει, quomodo quicquid minùs invitè, magis spontè, hoc est, majore cum scientiâ, minori cum ignorantiâ, minori item cum animi affectu, præsupponente majorem προαίρεσιν, majori denique cum voluntatis intensione extensione & protensione, committitur, deterius est in foro morali. Dico, cum majori voluntatis intensione, ut cùm quis, quò facit magis, hoc cupit & studet facere magis : Dico, cum majori voluntatis extensione, ut cùm quis delictum iterat : Dico, cum majori voluntatis protensione, ut cùm diu quis in animo habuit quid facere. Atque adeò, quis æquè peccare dixerit eum, qui præter voluntatem & consilium, temerè atque fortuitò, nullo antegresso odio, ullâvè nocendi cupiditate, per iram, quam consequitur pœnitentia, ebrietatemvè, cum pœnitudine conjunctam, quem læserit, ac eum, qui deliberato consilio, ex composito, proindequè ex malevolentiâ & maleficio, perquè insidias, id fecerit? Qui ex infirmitate cum Petro Christum abnegârit, ex inscitiâ cum Paulo eundem in membris suis persecutus fuerit, & qui

& qui eum cum Judâ, filio illo perditionis, ex malitiâ prodiderit? Quis æquè peccare eum, cujus pudicitia labitur in formosâ, ac cujus in deformi muliere? Quis æquè denique ex duobus gubernatoribus, quorum uterque naufragium fecit, peccare eum, qui majori diligentiâ cavit, atque eum, qui levi brachio tractavit suam vecturam? Si in altero fuerit ignorantia pravæ dispositionis, in altero simplicis negationis? Si alter solùm ignorans peccaverit, alter verò per ignorantiam? Si in altero fuerit ignorantia concomitans aut consequens, in altero verò antecedens? Si in altero fuerit inscitia juris, in altero facti? Et illa sine pœnitentiâ, hæc cum? Si denique in altero fuerit ignorantia vincibilis, in altero contrà invincibilis? Ex adjunctis hinc circumstantiis, quomodo majus delictum audit in curiâ morali, ratione loci, stuprum in loco sacro commissum, ratione temporis, τὰ προσωποβακχεῖα pridiè Quadragesimam, ratione occasionis, cùm quis eam sibi facit, non utitur factâ ab aliis, ratione quantitatis, beneficium malâ animi intentione datum, quod etsi majus materialiter, minus interim moraliter, quale Pharisæorum beneficium in ordine ad mulieris Euangelicæ beneficiolum, ratione qualitatis, stuprum illatum liberæ ab homine in officio constituto, ratione instrumenti, cædes pugione aut sicâ patrata, ratione actus,

ma-

maleficium quod actu nocet, quamvis, si deliberata sit & firmiter constituta voluntas, utut actus non sequatur, res pro factâ habeatur. Quis iterum, quis æquè peccare dixerit latronem, qui peram & loculos, & qui jugulum secuerit? Eum, qui furtum, & qui sacrilegium, cædem, & qui parricidium commiserit? Qui vim privatam, & qui publicam, fecerit? Qui hominem privatum, & qui in magistratu constitutum, percusserit? Qui bis tervè decem vel viginti florenos furatus sit, & qui semel centum, vel mille? Etc.

Contra Stoicos, rectum sentientes in obliquo, & acutum in obtuso, quod ajunt. Quis enim credat, sapientissimos viros omnimodam peccatorum æqualitatem statuisse, nullosquè simpliciter admisisse gradus? Aliud ergò nihil videntur voluisse Stoici hâc suâ peccatorum æqualitate, quàm convenientiam peccatorum omnium in formali ratione peccati, per quam unum non est magis peccatum, quàm alterum. Neque enim necessariò magis & minùs inferunt quoque majus & minus. Hoc igitur sensu æqualitatem adstruxisse videntur, ut nihilo concederent dissimilitudinem minùs, quam ad dispares retulisse gradus videntur. Scilicet æqualia dicunt esse omnia peccata Stoici, non item similia. Ita v g, omne mendacium est æquale, neque aliud alio magis

magis falsum, sed quanquam omne mendacium æquè sit mendacium, non tamen omnes, qui mentiuntur, æquè mentiuntur. Sic etiamsi patris & mancipii cædes æquè sit peccatum, hoc tamen differunt, quòd in servo necando semel peccatur, in patre verò necando multifariàm, quia violatur is, qui procreavit, qui aluit, qui erudivit, quæ cædes ideò multitudine peccatorum præstat, quoniam hîc variæ rationes peccatorum constitutivæ concurrunt, quæ sicut singulæ communissimam peccati habent rationem, ita conjunctæ in uno, & in unum, peccatum exasperant. Quid, quòd hoc Stoicorum pseudographema non caret suo usu in vitâ communi, ut quod conferat ad cautionem moralem, & minima pro maximis habeat caveatquè. Tantò siquidem faciliùs abstinebimus à quovis delicto, quantò illud magis metuimus, nec citò ad majora progredietur, qui etiam minora formidat, si fides Hieronymo.

CAPUT XXVI.

Quæ Virtutis Moralis Causa Efficiens? Naturanè cum Stoicis? Temperamentumnè cum Galenicis? Institutionè seu Doctrina cum Socraticis & Platonicis? An verò Consuetudo cum Peripateticis.

§. 1. *QVod attinet Causam Efficientem Virtutis Moralis, illa verò vel Vniversalis est, vel Particularis. Causa Efficiens*

ficiens Virtutis Moralis Universalis, sive Causa Principalis Divina & Remota, illa est Deus Optimus Maximus. Unde illa Philosophemata famosa: Bonus vir à Deo est, qui inde θεῖος divinus Laconibus, qui commendaturi virum bonum, eum hoc elogio ornabant: Nulla sine Deo mens bona: Nemo unquam bonus sine afflatu divino extitit. Quorsum Aristoteles summum bonum, modò θεόσδοτον, à Deo datum, modò θεόπεμπτον, à Deo missum, haud aliâ mente appellat.

2. *Causa Efficiens Virtutis Moralis Particularis, sive Administra Humana & Propinqua, illa verò vel Interna est, vel Externa.*

3. *Interna iterum vel in Animo, vel in Corpore.*

4. *In Animo, Natura Seminarium*, dictantis, honesta esse appetenda, turpia fugienda, Deum colendum, parentes honorandos, neminem lædendum, benefactoribus benefaciendum, indequè elicientis conclusiones, si Deus colendus, ergò in eo acquiescundum, si parentes honorandi, ergò honestè de his sentiendum & loquendum, eorum mandatis obtemperandum, horum nævi tolerandi, si nemo lædendus, ergò amicè cum omnibus vivendum *In Corpore Bonum Temperamentum*, hoc est humorum principalium, sanguinis, choleræ sive flavæ bilis, melancholiæ sive nigræ bilis, & phlegmatis

matis sive pituitæ, mistio laudabilis.

4. *Externa Causa Efficiens Virtutis Moralis est Doctrina & Consuetudo: Doctrina* habetur ex magistris, vel vivis, qui vivâ voce ad virtutem nos instruunt, vel mortuis, hoc est, libris, scriptam continentibus magistrorum vivorum vocem. *Consuetudo* crebrâ actionum moralium iteratione absolvitur. Sicut enim una hirundo non facit ver, nec unus dies serenus tempore brumali halcedonia sive halcyonia, ita nec una actio habitum.

5. *Sola Natura non sufficit ad virtutis moralis generationem*, quia non est in nostrâ potestate, sed Dei munere & indultu nobis accidit. Quòd si naturâ, tanquam virgulâ divinâ, viri boni effici possemus, tunc nullis opus esset, nec moribus, nec legibus: Atqui utrisque opus, illis Ethicè, his Politicè. Ad bonos namque efficiendos opus est consuetudine & assuefactione, præterquè hanc imperio & vi, quorum illud morum proprium, hoc legum, quæ armatæ potestate, ut illi honestate.

6. *Solum quoque Temperamentum non sufficit ad virtutis moralis generationem*, quia homines ad hos aut illos animi motus inclinat tantùm & disponit, non necessitat. Sæpè enim, accedente institutione & consuetudine, mutantur mores, non mutato

tem-

temperamento, & contrâ ſæpè mutatur temperamentum, non mutatis moribus, quod argumento utique, mores non in ſolidum pendere à corporis temperamento, vel ideò etiam, quia temperamentum non eſt in noſtrâ poteſtate, cùm fieri nequeat, ut quis ullis pharmacis, vel artibus, ex melancholico ſanguineus, aut ex pituitoſo bilioſus, efficiatur, at mores in noſtro ſunt poſiti arbitrio, cùm fieri poſſit, & ſubindè fiat, ut qui bonus erat & probus, improbus fiat conſuetudine vivendi, & è converſo, qui improbus, mutato genio & ingenio, probus. Erat Manlius Torquatus in pueritiâ ſuâ ingenio tam hebeti, ut à patre rus ablegaretur, & tamen poſtmodùm, cùm in urbem rediiſſet, pietate in parentem, & meritis in patriam, clariſſimus extitit. Nec Scipioni Africano Majori obſtitit, quò minùs jugum Carthagini rebelli imponeret primus, quòd ſolutior nonnihil adoleſcentia ejus fuiſſet. Quin immò tantum abeſt, ut ſemina malorum morum ſive vitiorum in herbâ opprimi nequeant, ut ſæpenumerò evellantur etiam, quando jam nonnihil adoleverunt, licet id fiat rariùs. Phœdonem certè ex cinœdo optimum Philoſophum Socrates fecit, & ex ebrioſo atque impudico adoleſcente Polemone continentiſſimum virum item fecit Xenocrates. Quid quòd, ſi mores animi ſequerentur temperamentum

corporis peremtoriè atque abſciſè, ſic omnis ratio virtutis & vitii, ſive rectè & pravè factorum, adeoquè tota Philoſophia Practica, tolleretur, virtutesquè & vitia non compararentur ampliùs, ſed innaſcerentur, neque libertas arbitrii ulla relinqueretur, verùm temperamentum dominaretur actionibus noſtris, neque aliter facere poſſent homines, quàm temperamentum ipſorum ſecum fert, quin immò ſic omnia bruta prædita forent virtutibus moralibus, quia poſitâ causâ adæquatâ neceſſariò ſequitur illud, quod ex causâ illâ fluit, quoniam dans formam, dat etiam conſequentia formam.

8. *Sed nec ſola Doctrina ſufficit ad virtutis moralis generationem*, quia per ſe in plerisque nihil planè poteſt absque conſuetudine, quæ prima ſecunda & tertia pars vitæ, fortior quàm doctrina, quæ ſine eâ tintinnabulum abſque plectro ſeu linguâ. Quicquid ſit, virtus moralis non eſt ſcientia propriè dicta, ita ut ad ejus acquiſitionem ſola doctrina ſit ſufficiens. I. Quia ſcientiam mali cum bonis communem habent, virtus autem moralis bonorum eſt propria. II. Quia virtus moralis, ſive mores, pertinent ad appetitum, ſcientia verò ad intellectum. Benè ſiquidem vel malè moratum appellamus, nō qui notitiam bonorum vel malorū morum habet, ſed qui re & opere bonos vel malos mores exprimit. Ita v. g. fortis eſt, nō qui ſcit, quid ſit

for-

fortiter agere, sed qui fortiter agit. Neq; enim scire volumus, quid sit fortitudo, sed esse fortes, quemadmodum etiam sani esse malumus, quàm scire, quid sit sanum esse, corporisquè habitu bono esse, quàm nôsse, quid sit benè habere. Quòd si exponere naturam fortitudinis non est fortiter agere, ergò nec scientia ejus, quod forte est, fortitudo fuerit. Ut ita virtutis moralis perfectio, non in scientiâ, seu notitiâ rerum agendarum, consistat, sed in ipsâ actione & praxi, quare nihil minùs quàm scientia. III. Quia oppositum moralis virtutis vitium morale & ipsum pertinet ad appetitum, non ad intellectum. Ipsa siquidem notitia vitii neminem per se vitiosum reddit: jam verò habitus & privatio ad idem subjectum pertinent.

8. *Non denique vel ipsa Consuetudo sola sufficit ad virtutis moralis generationem*, quia naturam temperamentum & doctrinam, tanquã commilitones, præsupponit hactenus, ut natura cum temperamẽto tribuat homini virtuando habilitatem sive capacitatem ad virtutem moralem suscipiendam, habile subjectum huic suppeditãdo, doctrina tribuat sequacitatem, illud facilitando, consuetudo hinc tribuat cõplementum, illud è potentiâ naturali & artificiali in actum moralem educendo, ne natura sine doctrinâ sit cæca & surda, doctrina sine naturâ manca, consuetudo sine utrâque clauda.

9. *Atque ita Virtutis Moralis Causa Effi-*

ciens, præter Deum φιλάρετον, est Natura, est Temperamentum, est Doctrina, est Consuetudo conjunctim.

10. *Natura initiativè inclinativè & dispositivè :* Semel prout naturale distinguitur contra supernaturale, quia aliàs Deus solus concurreret ad faciendum hominem virtuosum sive studiosum : Iterum, prout naturale post lapsum, in statu apostasiæ, distinguitur contra naturale antè lapsum, in statu integritatis, in quo virtus homini fuit connaturalis, quia fuit pars imaginis divinæ, itaquè à Deo creatus est Adam, ut virtutibus fuerit instructus, nec magis nudus ab his, quàm cœlum à suis ornamentis, aut terra absque herbis, virtute pro tunc existente bono φυσικῷ, tanquam à naturâ naturante infuso habitu, non ἐπικτήτῳ, studio acquisito, ut nunc in statu corruptionis post lapsum, in quo virtus naturalis esse desiit, si minùs quoad radicem, & inclinationem ad decus & honestatem, quia natura hominis etiamnum talis, ut virtute informati quomodolibet possit, minimùm quoad habitum completum & perfectum, sive quoad virtutem perfectam, ut est habitus : Adhuc, prout naturale distinguitur contra violentum, quia virtus non est res violenta, & contra naturam, ut quæ nobis insit à principio intrinseco, cùm violentia sit à principio extrinseco, & contra voluntarium, quia secùs

cùs ſequeretur, quod in voluntate noſtrâ non eſſet, acquirere virtutes morales, vel non acquirere: Denique prout naturale diſtinguitur contra caſuale, quoniam virtus eſt effectus à nobis intentus, proveniens ab actibus à nobis intentis, contraquè artificiale, quoniam eadem virtus non eſt ab arte, niſi invitativè. Id ita eſſe, hoc eſt, virtutem moralem eſſe à naturâ initiativè inclinativè & diſpoſitivè, ratione, inquam, ſeminarii inchoamenti rudimenti inclinamenti, & non quoad eſſe perfectum, id verò vincunt, immò evincunt, hæ rationes. I. Quia virtus moralis, aut eſt præter naturam, aut contra naturam, aut ſupra naturam, aut ſecundum naturam, ac proindè naturalis: Atqui non eſt præter naturam, quia non eſt prẹter intentionem ac ſcopum naturæ, neque contra naturam, quia non infert voluntati noſtrẹ violentiam, ſed huic maximam potiùs affert perfectionem, ſed nec ſupra naturam, quoniam illa debent eſſe & fieri ſupra naturam, quæ à diviniore aliquo oriuntur principio, quorumvè adeò principia non ſunt in nobis, ſed ſupra nos, id quod de virtute morali dici nequit: Ergò ſecundum naturam, tanquam ipſius perfectiva. II. Quia homo naturâ ſuâ eſt particeps rationis, huicquè naturale eſt, ſecundum rationem vivere: Quare, cùm actiones virtutum ſint conſentaneæ rectæ rationi, conſequens eſt, ut hominis quoque natu-

tæ convenientes sint. III. Quia homo per naturam inclinatur, sicut ad cognitionem veri, ita ad appetitionem boni: jam verò, sicut virtutes intellectuales feruntur in verum, ita virtutes morales in bonum: Quæ ideò nonnon naturales. IV. Quia quasi congenita sunt etiamnum homini principia tam Theoretica, quàm Practica, ex quibus virtutes, tam mentis, quàm moris, deducuntur, insita semina, radices, inclinationes, propensiones, proclivitates, facilitates ad virtutem, quæ naturalis aptitudo ad virtutem percipiendam si desit, hircum mulgebis, de virtute introducendâ si laboraveris, cùm negatâ potentiâ naturali negetur quoque potentia artificialis, negatâque potentiâ primâ, negetur quoque secunda, quæ ideò etiam hactenus naturalis. V. Quia secùs, provida illa mater natura, minùs solicita fuisset de homine, quàm de brutis, quibus media dedit, quibus intervenientibus possunt adipisci finem suum, homini non item, si virtus huic non naturalis.

12. At nō quoad esse perfectū tamē, tū quia habitus moralis est προαιρετικός, ideoquè voluntarius necessariò, & per consequ ns non purè naturalis, cùm nullus habitus προαιρετικὸς homini innascatur, tum quia habitus moralis acquiritur etiam institutione & assuefactione, jam verò, quicquid etiam studio industriâ assuetudine acquiritur, illud non

non est purè naturale, quia acquisitum & innatum sunt opposita, quæ simul stare nequeunt, tum quia, si virtus moralis hoc modo naturalis esset, omnibus hominibus inesset, ad infantes usque inclusivè, sicut naturales facultates videmus inesse omnibus, sicquè adeò nasceremur cum eâ, ut cum oculis, manibus, pedibus, sicquè quin provenirent, quemadmodum videmus provenire barbam & dentes post nativitatem, & verò etiam tunc inanis foret omnis institutio atque educatio, quoniam omnes à primis annis virtutibus moralibus essemus præditi, ne nemo vitiosè ageret, vitiisvè assuescere posset, quoniam ad id, quod hoc pacto est à naturâ insitum, nihil proficit contraria consuetudo, uti patet in terrâ, quæ, quia nativam habet gravitatem, quâ deorsum tendit, licet versus locum superiorem sæpiùs jaciatur, nunquam tamen ad ascendendum sponte naturæ assuescit, tum quia, si virtutes morales hoc modo naturales essent, nemo iis mereretur laudem aut præmium, cùm nemo, nisi ex libero actu, laudetur præmieturvè, tum quia, quæ à naturâ sunt, in iis potentiæ priores sunt actionibus, si non tempore, saltem naturâ, quomodo visus prior visione, auditus prior actu audiendi, & sic ratio prior actu ratiocinandi, voluntas prior actu volendi, at in virtute morali prior est actio, posterior potentia, quoniam virtute præditus non est, nisi qui, quæ virtutis sunt, antè egit, cùm

nascatur ex crebris actionibus: tũ deniq;, quia quæ naturâ nobis insunt, de his non necesse est ferre leges, quæ naturalibus ferri haud solent, eò quòd nec commendationẽ nec emendationẽ mereantur, de virtutibus autem comparandis, & vitiis fugiendis, feruntur leges, commendatrices virtutum, emendatrices vitiorum, quę ideò non sunt de numero merè naturalium.

13. *Temperamentum coinclinativè & condispositivè.* Negari quippè non potest, licet complexio non faciat de per se ad acquisitionem virtutum moralium, tamen multùm huc facere inclinativè, quia secundum diversitatem complexionum de facili vel difficili aliqui sunt virtuosi. Quòd si prava partium corporis temperies planè tollere usum rationis potest, ut fit in phrenesi, & similibus affectibus, immò animam ipsam à corpore separare, & mortem accersere, dubitari non potest, quin eadem multùm vel juvare vel impedire voluntatem actionesquè nostras possit, vitamquè adeò omnem. Est etiam ab illâ temperie sine dubio, quòd hominum alii aliis nascantur ad virtutes vel vitia procliviores, quòd hic sit satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis, quodquè Castor gaudeat equis, ovo prognatus eodem pugnis, seminaquè adeò naturæ quisque sequatur suæ. Sed scilicet sequi temperamentum contingit dupliciter, vel necessariò, ut causam principalem & adæquatam, quomodo odores colores & sapores sequuntur

tur temperamentum, mores item animi, qui competunt ab ortu, vel universo generi humano, vel alicui nationi, vel etiam alicui individuo, vel non adeò necessariò, cùm nata sint studio atque assuetudine immutari, atque hujus generis sunt mores, qui competunt in progressu, sive sint leves dispositiones, sive constantes habitus, qui assuetudine comparantur, & cognitionem exposcunt, atque hi sunt hujus loci.

14. *Doctrina hinc invitativè excitativè atque provocativè*, propositâ virtutis præstantiâ atque utilitate, vitii verò turpitudine & noxâ, quæ, utut non sit causa proxima immediata atque adæquata virtutis moralis, tum quia nulli inveniuntur præceptores, qui eam doceant Practicè, sanam mentem ipso actu communicando, mediantibus præceptis methodicè dispositis, quibus virtutis natura per definitiones & divisiones declaratur, canones praxin dirigentes traduntur, rationesquè ad hanc incitantes afferuntur, dociles interim Theoreticè, nempè quatenus pueri adolescentes, quid justum, quid injustum, quid sanctum, quid profanum sit, quę agenda, quę non, doceri valent à nutrice, matre, patre, pædagogo, Poëtis, Philosophis, legum conditoribus, quid, quando, quomodo, ubi, cur, ex naturâ virtutis sit agendum, tum quia sic æqualiter sermones omnibus prodessent ad virtutis moralis generationem,

cùm ſermo inſit homini à totâ ſpecie, hiquè ideò ſermones ſimiles debeant habere effectus, ſimiliterquè omnibus hominibus prodeſſe, cùm objecta ſunt ſimilia, quia omnes homines ſunt ejuſdem ſpeciei, cùm contrà comperiamus multos multa diſcerequè & dicere, at pauca facere, ut, inquam, non ſit cauſa proxima immediata atque adæquata virtutis moralis, tamen eſt ejuſdem cauſa remota mediata inadæquata, tum quia, ſicut terram, antequam ſemen huic mandes, ſubigi arari occari convenit, ita & animum ejus, qui in bonis moribus eſt inſtituendus, convenit multò ante præcoli, ut honeſtis rebus gaudeat, turpibus contrà offendatur, tum quia, ſicut in artibus opus adjuvantibus cauſis, ita & in moribus, quas inter non poſtrema doctrina ſeu diſciplina, tum quia ob virtutis moralis adeptionem paratur doctrina, parantur admonitiones, adhortationes, perſuaſiones, caſtigationes verbales, parentum, amicorum, præceptorum, apud ratione ducibiles & caſtigabiles, corrigibiles, inquam, & perſuaſibiles, quæ res argumento utique, quamvis virtus moralis non acquiratur proximè & unicè per doctrinam, quæ ad generationem ejus concurrit per accidens, ſicut ad virtutis intellectualis generationem conſuetudo, tamen non acquiri citra doctrinam, fide rationum. I. Quia ad omnem habitum acquiſitum, qualis ſuo loco etiam, eſt

est virtus moralis, præter naturam & exercitationem, desideratur doctrina, sine quâ natura cæca, & exercitatio manca. II. Quia ad comparandam virtutem moralem requiritur, tum appetitio & prosecutio boni, tum aversatio & fuga mali, utraque autem præsupponit notitiam boni & mali, quæ contingere nequit sine doctrinâ, præscribente, quid sit honestum & turpe, quid eligendum & aversandum, adeoque afferente notitiam illam, sine quâ impossibile, ut virtus moralis acquiratur. III. Quia, si ad virtutis moralis generationem nihil conferret suo loco doctrina, tunc vana atque inutilis esset tota Philosophia Practica, quæ tradit præcepta honestè vivendi. Quid multis? Quamvis litteræ virtutem dare non possint, animum tamen ad illam accipiendam præparant, atque ut ea quosdam impetus à naturâ suscitat, perficienda tamen doctrinâ est, à quâ doctrinâ licet non sit virtus ut ab operante & producente, est tamen ut à dirigente.

7. *Consuetudo denique completivè sive perfectivè*, quâ tanquam causâ proximâ positâ, ponitur virtus moralis, & sublatâ tollitur. Virtutis moralis causam proximam esse consuetudinem, probatur. I. Quia virtus moralis Latinis sic dicitur à more, prout mos naturalem, vel quodammodò naturalem, inclinationem ad aliquid agendum, significat: Græcis verò ἠθικὴ, vel ab ἦθος, vel ab ἔθος.

cùm potissimùm assuefactione seu consuetudine paretur, sicut virtus intellectualis doctrinâ seu institutione, sive genesin, sive auxesin, sive statum ejus spectes, item ὀρεκτικῇ ab appetiu, subjecto suo, in quo propriè locum habet mos. II. Quia omnes habitus acquisiti actionibus vel crebrioribus vel paucioribus, siquidem validiores sint, & validioris agentis, parantur, fidem faciẽte experientiâ: Quare & virtus moralis. Quæ enim facienda sunt discentibus, ea facientes & faciendo discimus. Ita, qui ædificant, ædificando architecti fiunt, qui canunt, canendo citharœdi, eundemquè ad modum justa facientes justi, temperantia temperantes, fortia fortes. Atque hujus loci sunt pervulgata illa & protrita: Agri, licet maximè pingues sint, culturâ cessante sterilescunt, & licet maximè steriles sint, adhibitâ culturâ convalescunt: Silices itinere formicarum atteruntur: Ipsum ferrum atque æs sensim manibus tractantium atteritur: Rotæ paulatim circumrotando curvantur: Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo: Cura potest omnia, nam & Isthmum perfodere potuit. Etc. Usque adeò.

Omnia conando docilis solertia vincit:

Quo in versu Maniliano, sicut solertia refertur ad naturam, docilitas ad doctrinam, ita conatus ad assuefactionẽ sive consuetudinẽ.

16. Cæterùm, cùm virtus moralis dicitur esse-

esse à naturâ, per naturam hîc non tam intelliguntur ipsæ facultates naturales, quàm naturæ quædam prærogativa, quam Ε'υφυίαν vocant Græcè Philosophantes, quæ nihil aliud, quàm δεξιότης φύσεως, ἢ ἐυκρασία σώματος καὶ ψυχῆς, rectè, inquam, compositus animus, cũ bono tẽperamento corporis, quãdo mẽs sana est in corpore sano. Latinè Philosophantes ingeniũ vertunt. Bis malè, quia ἡ ἐυφυία contrahitur per τὸ εὖ, proptereaquè non est indifferẽs, ut ingeniũ, quod vel bonũ, vel malũ, unde alii per bonũ ingenium eam reddidére differentiæ causâ. Certè si ἐυφυίαν malam diceremus, proferremus pugnantia. Judiciũ vertunt alii. Et ipsi malè, quia multi judicio valent, qui tamẽ ingenio videntur esse obtusi & tardi, eo modo, quo videmus multos pollere memoriâ, & carere interim judicio. Ne dicã, judiciũ solùm pertinere ad vim cognoscendi, ἐυφυίαν autem etiã ad vim appetendi.

17. *Ε'υφυία hac duplex est, Animi & Corporis.* Ε'υφυία *Animi* est, quæ vel in rerũ contemplatione, quid verũ aut falsum sit, optimè intelligit, vel in rebus agẽdis, quid expetendũ aut fugiendũ sit, optimè novit. *Et ipsa duplex, Theoretica & Practica*, per quarum illam homo benè se habet ad judiciũ veri & falsi, per hanc verò idem homo item benè se habet ad electionẽ boni, & fugam mali. Ε'υφυία *Corporis* est optima partium corporis constitutio & conformatio, cum usu earum

convenientę. Tribus, quod ajunt, verbis, σοφία in genere est bona corporis & animi constitutio, cùm ad verum, tum ad bonum, comprehendens, præter corpus bellè temperatum, sagax ingenium, acre & solidum judicium, fidelem memoriam, & bonam indolem, aliasquè dotes naturales, quæ ex benè temperato corpore ferè consequuntur, originaliterquè ac radicaliter pendent à corporis dispositione, formaliter interim sunt animi.

18. *Sicut & Institutio duplex, Theoretica & Practica*, quarum illa comparata ad sciendum, ideoquè scientiæ propria, & τῶν θεωρητῶν contemplabilium, hæc comparata ad agendum, ideoquè prudentiæ propria, & τῶν πρακτῶν agibilium.

19. *Ad virtutis moralis studium necessaria utraque: Institutio Theoretica ideò*, tum quia virtutes morales regi convenit eruditione & doctrinâ, unde dicitur vulgò, studia abire in mores, tum quia contemplatione rerum hominis animus acuitur, omnesquè ad disciplinas capessendas paratior redditur, eadem quin contemplatio animum avocat à corpore, corporeisquè voluptatibus, faciens, ut nos ipsos noscamus, quæ scientia omnium virtutum origo, tum quia eadem communia tradit principia, de vero, bono, actu, potentiâ, necessitate, contingentiâ, fato, providentiâ, animæ facultatibus, & potentiis naturalibus, dispositionibus item & habitibus, & si quæ sunt

generis.

generis ejusdem, quorum in practicis usus est maximus, & tantùm non perpetuus, ipsa quin Philosophia Practica sua principia ab hâc accipit, tum quia multa suo loco suppeditat argumenta, quæ nos ad virtutem invitant, sumta ab animi opificio seu architecturâ, qui, si liber, non igitur se perturbationibus subjiciat, si immortalis, non igitur magnifaciat mortalia, si incorporeus, elevetur igitur supra corpus, si simplex & purus, non igitur se terrenâ fece inficiat, si formosus, non igitur se per vitia deformet, si Dei proles, æmuletur igitur, ut generosa proles, parentem, si denique particeps rationis, rectè igitur formatam & firmatam sequatur, non autem deviantes sensus: *Institutio Practica ideò*, quia neglectis urenda filix innascitur agris, hoc est, optimè natis atque ingeniatis ingeniis vitia, præsertim si prava sodalitia accedant, quorum ad corrumpendos animos vis maxima. Ut enim morbi quidam contactu corporum ad alios transiliunt, ita mores animorum transeunt ad alios insensibiliter, per latentem alluvionem factorum, ex quibus paulatim nascitur habitus Quemadmodum namque minuta quædam animalia, cùm mordent, non sentiuntur, adeò tenuis illis & fallens in periculum vis est, tumor indicat morsum, & in ipso interim tumore nullum vulnus apparet, idem in conversatione malorum usu-

usuvenit, non deprehendis, quemadmodum & quando noceant, nocuisse deprehendis: *Sed magis interim Practica, quàm Theoretica*, & propter dignitatem subjecti, quod illius voluntas, quæ proximius principium actionis, hujus intellectus, qui remotius, & propter excellentiam objecti, quod illius bonum, hujus verum, & propter nobilitatem finis proximi, qui illius, ut benè beatequè vivamus, hujus ut benè beatequè vivendi rationem & viam sciamus.

CAPUT XXVI.

Quæ Actionum Consuetudinalium, quibus Virtus Moralis acquiritur, tanquam causis, ut Quantitas, ita Qualitas? Et an specie, an verò gradu, differant ab iis, quas illa acquisita edit, tanquam effecta? Quaquè adeò sit Signatura habitus contracti?

§. 1. *Cùm consuetudine, hoc est, crebrâ moralium actionum repetitione, proximè acquiratur virtus moralis seu morum, hacquè ejus sit causa immediata, quæstionis est, quot & quibus actionibus illa comparetur, & quoad quantitatem confusè, & quoad qualitatem distinctè.*

2. *Illud in confesso, quod attinet quantitatem actuum, quibus virtus moralis proximè debet suam vitam, & suum esse, habitum virtutis moralis non causari per unum actum, sed per multos, ideoquè necessariò eosdem actus pluries iterandos esse ad contrahendum ha-*

habitum virtutis moralis. Quemadmodum enim ignis, quia non potest totaliter vincere suum combustibile uno actu, non statim inflammat illud, sed paulatim abjicit contrarias dispositiones, ut sic totaliter vincens ipsum, similitudinem suam ipsi imprimat, idem gemino modo tenet in virtutis generatione, cujus habitus non causatur per unum actum, sed per multos, impedimentis generationis successivè sublatis, quò sic sternatur via ad habitum. Ut ita ex pluribus actibus surgat & consurgat habitus virtutis moralis, numerus interim numerans actionum, quibus generatur, exactè nequeat definiri in hypothesi. Plures enim vel pauciores requiruntur, prout animus ad virtutem moralem magis aut minùs dispositus, prout denique actiones validiores sunt, aut minùs validæ, actionum paucitatem valore & vigore earum compensante, sicut excavationem in lapide produci videmus, vel à multis guttis extensivè, vel à re validâ paucis ictibus intensivè.

3. *Quod porrò attinet qualitatem actionum, quibus virtus moralis generatur, ea verò constare debent certâ quâdam mediocritate excessum inter & defectum.* Quemadmodum enim oppositum vitium morale oritur ex operationibus extremis, hoc est, excessivis & defectivis, ita virtus moralis, vi oppositionis ex mediis, utrisquè tam internis, quæ proxi-

proximè conſtituunt ut virtutem ita vitium, quàm externis, quæ indicant & oſtendunt eandemmet virtutem, & idemmet vitium, extremis operationibus gignentibus vitium, corrumpentibus virtutem, mediis contrà gignentibus virtutem, corrumpentibus vitium. Quæ enim medio conſervantur, illa corrumpuntur extremis, ſicut, quæ conſervantur extremis, illa corrumpuntur medio, quod invenire ac determinare, perſuade verum & totale, ſecundum rectam rationem, exigentiamquè & ſufficientiam omnium circumſtantiarum, quæ requiruntur ad bonum & laudabilem actum moralem, perdifficile, & tantum non impoſſibile, cùm ſit unicum. Quemadmodum enim non eſt cujuſvis, ſed periti artificis, invenire centrum in circulo, quod eſt medium rei, ita non eſt cujuſvis, ſed prudentis, invenire medium in affectibus & actionibus, quod eſt medium rationis, &, ſi difficile, inveſtigare medium rei, quod immutabile atque idem ſemper, cùm ſemper eodem modo ſe habeat ad ſua extrema, à quibus diſtat æqualiter, quantò difficilius erit invenire medium rationis, quod varium & mutabile, pro occaſionum & circumſtantiarum occurſu, neque ſemper eodem modo ſe habens ad ſua extrema, à quibus diſtat inæqualiter, hoc difficilius, quia in rebus ſingulis hoc ſcrutinium verſatur, quæ ad vivum reſecari, & ad libellam per-

indè

indè quadrari nequeunt, ut res universæ, eò quòd non tam sub rationem, quàm sub sensum, cadant, quorum autem criterium seu crisis est penes sensum, ea exquisitam determinationem non admittunt, cùm sint infinita, tantamquè habeant varietatem, ut perdifficile sit, in his certam regulam constituere, definirequè verbis, quid in quâlibet re sit agẽdum, ut teneas medium, nec in vitium te ducat culpæ fuga, si caret arte, quod stultorum proprium, qui, dum vitant vitia, in contraria currunt, ignorantiâ medii, inquè Scyllam incidunt, dum gestiunt vitare Charybdin, id quod præcepto Circes cavendum cum Ulysse Homerico hoc loco.

4. *Sicut verò dantur actiones mediocres, quæ virtutis moralis generationem antecedunt, ut causa, ita dantur adhuc aliæ, quæ eandem consequuntur, ut effecta.* Neque enim actiones sunt tantùm causæ, verùm etiam effecta virtutis moralis, sed aliter atque aliter: Causæ hactenus, quia in potentiis activis & factivis, quæ acquiruntur exercitio disciplinâ & consuetudine, cujusmodi sunt artes & habitus morales, operatio prior tempore, quàm potentia sive habitus, quoniam nisi v. g. quis fidibus cecinerit frequenter, non fit fidicen, nec ædificator, qui non subindè ædificavit, oratorvè, qui non oravit: Effecta hactenus, quia sicut actiones præcedentes gignunt ac generant habitum, ita subsequentes sequuntur

tur habitum productum, illæ pariunt, hæ pariuntur.

5. De his quæri solet, speciene an gradu differant? Qui gradu differre volunt, non specie, his insistunt argumentis. I. Quia, quę differunt saltem gradibus & perfectione, ea specie haud differant: Atqui hæc duo actionum genera differunt saltem gradibus & perfectione, cùm alteræ sint, vel à naturâ, vel à dispositione quâdam, tendente ad habitum, alteræ verò ab habitu, illæ probæ materialiter, licet non fiant probè formaliter, hæ & probæ nominaliter,& probè adverbialiter, illę etiam non probi hominis, hæ nonnisi probi, illæ conjunctæ cum difficultate & molestiâ, ob sui imperfectionem, adeoquè cum dolore, hæ sine difficultate & molestiâ, ob sui perfectionem, adeoquè cum voluptate, illæ inconstantes, ut quæ pendeant mediatè ex recto rationis judicio, & huic congruente proæresi, hæ verò constantes, ut quæ pendeant inde immediatè. II. Quia dispositio & habitus non differant specie, sed gradu tantùm, id est, ut perfectum, & imperfectum, similiterquè actiones, virtutem moralem antecedentes & consequentes, quarum illæ à dispositione,hę ab habitu. III.Quia actus secundi oriantur ex primis, qui, cùm specie sint distincti, ut secundi etiam distinguantur specie necesse esse, quales omnes actus antecedentes & consequentes. IV,

Quia illæ actiones differant specie, quæ & definitione, cùm definitio explicet speciem rei, actus verò primi & secundi differant definitione, ingrediente definitionem secundi actus primo. III. Quia actio habitum consequens, formâ differat ab antecedente actione, proximè constituente habitum, uti deprehendere est in habitu justitiæ, cujus actio prçcurrens justa quidem, at non justè facta, enimverò actio sequens habitum ejus, illa verò, & justa, & justè facta, quæ ideò specie differat ab illâ. IV. Quia actiones antecedentes non sint morales, cùm non pendeant ex habitu morali, more & assuetudine comparato, quo cùm careant, solùm æquivocè morales videri possint, non univocè, ut consequentes actiones, quæ ideò ultimâ specie differant, licet conveniant genere proximo. V. Denique, quia actiones præcurrentes sint imperfectæ & inconstantes, ob internam pugnam perturbationum, consequentes verò perfectæ & constantes, ob earundem sedimentum & moderationem, ideoquè proximâ formâ ac specie distinctæ. Pro me, distinguerem fortè cum Contrado Hornejo, easquè in rigore, nec specie easdem esse, sed nec toto item genere differre, dicerem. Quamvis enim eædem sint materialiter, tamen non sunt eædem formaliter, saltem non omninò formaliter eædem, uti nec diversæ omninò formaliter, quia imperfectio & perfectio a-

ctionum

ctionum accidentalem tantùm parit differentiam, eò quòd magis perfectum & minùs perfectum in accidentibus haud mutet formam, quem vide, comparantem eas animali perfecto, procreato à parentibus calore seminis, & imperfecto, producto à calore solis ex putridâ materiâ, alteris harum existentibus ante habitum, & sine habitu, ad quem tendunt, tanquam ad terminum ad quem, alteris post habitum, & cum habitu, à quo tendunt, tanquam à termino à quo. Quod attinet rationes Francisci Piccolominei, ut præallegatas, ita præallegandas, asserentis, quamvis actiones antecedentes & consequentes habitum virtutis moralis extrinsecùs conveniant, genere item & formâ remotâ, necnon fine, intrinsecùs tamen, & formâ proximâ, à quâ actiones morales proximè formantur & constituuntur, differre, adeoquè specie, non gradu, eæ verò sic refelluntur. Primæ, negari id de actibus primis principalibus, unde actus secundi fluunt, quos morales appellant, cùm una sit causa principalis utrorumque actuum, sicut & de instrumentalibus actibus, sive habitibus, qui sunt instrumenta facultatum. Quidni enim effecta specie eadem, possint ab eâdem causâ principali, per instrumenta non eadem, produci? Secunda, differre quandoque definitione, quæ non item differunt specie, quomodo alia v.g. hominis,

alia

alia regis, definitio, neque tamen rex ab homine ſpecie differt, ſimiliterquè nec actiones antecedentes à conſequentibus, quæ ut habeant diverſam definitionem accidentalem, tamen non perindè diverſam habent eſſentialem. Nec obſtat, quòd in definitione actionum, quæ habitum, ſequuntur, fiat mentio habitus, quem vulgò actum primum vocant. Neque enim ideò, quia habitus aliquid confert ad actiones ſequentes habitum, nihil autem ad antecedentes, ſpecie differunt actiones illæ morales, cùm eas cauſa principalis producat utrasque, alteras ſine habitu, alteras cum habitu, & per habitum. Tertia, actionis antecedentis habitum, & conſequentis, formam eſſentialem non eſſe modum, quo actio alia dicatur juſta, at non juſtè facta, alia & juſta, & juſtè facta, verùm conformitatem cum lege, cui utraque ſuo loco eſt conformis, & ea, quæ tantum eſt juſta, & ea, quæ & juſta, & juſtè facta ſimul. Accedit ad cumulum, quòd nec modus planè ſit alius & diverſus ſpecie. Nam & actiones habitum antecedentes proficiſcuntur à ſciente, conſultò, & ex virtutis amore, utut nondum ita confirmatum ſit propoſitum, ut in actionibus habitum excipientibus. Quarta, quamvis actio, habitum more comparatum ſequens, κατ' ἐξοχὴν moralis appelletur, tamen antecedentem malè ideò æquivocè talem nuncupari, cùm utriusque cauſa principa-

quam qui sentit, nę ille inde de habitu virtutis moralis perfectè acquisito certus esse potest, sicut è converso, quisquis in agendo adhuc sentit dolorem, inde colligere potest, se adhuc abesse ab habitu, ejusquè perfectione, hoc magis, quò majorem sentit dolorem. *Sunt & alia signa crescentis vel adulta virtutis moralis*, cujus si accessio, atq;, ut ita dicam, alluvio, deprehendi non posset, næ tunc ęquali semper pondere vitium huic appensum hæreret, cumquè profecisse nos in Grammaticâ Rhetoricâ Logicâ sentiamus, quidni & in virtute, ac bonis moribus, ad quorum perfectionem non pervenitur in instanti, quasiquè per saltum, quare non magis sine sensu, quàm viator, qui continuò progreditur, & ab uno termino longiùs se recedere, atque ad alterum propriùs accedere, sentit ambulando. Quòd si tanta esset acceleratio mutationis, ut, qui manè fuerat duplex *xx*, sive pessimus, vesperi fieret duplex *αα*, sive optimus, aut si alicui usuveniret, ut, cùm obdormivisset vitiosus, expergisceretur virtuosus, non tamen, ut puto, ille ignoraret, ita se à seipso intra id spacium esse mutatum, modò recordari præteritorum posset. Quæ illa? I. Studium indefessum, & sitis inexhausta honestarum actionum, si quis continuò & æquabiliter, sinequè offensâ, his det operam, harumquè desiderio æstuet semper, nec jam calidus, jam tepidus aut frigidus existat, ullamvè rei benè gerendæ occasio-

nem prætermittat, ægrè quin ferat, sibi occasionem exerendæ atque exercendæ virtutis præcidi. Quod si quæ interdum induciæ laboris intercedant, ut intercedunt, dum feriæ illæ non sint ocii aut desidiæ modò, verùm huc comparatæ, uti hoc pacto recollectis viribus ad officium hoc acriùs & alacriùs redeatur, etiam hactenus confirmabitur vir bonus, virtute præditus, de suo in illam studio, affectu, & profectu. Neque enim similis est planetarum, qui motu inæquali feruntur, & jam progrediuntur celeriùs, mox incedunt tardiùs, hinc subsistunt, demùm planè regrediuntur: Sed nec similis calamo, cujus ab initio longiora sunt internodia, at quò assurgunt altiùs, hoc magis contrahuntur: Nedum Vacunæ filiis, quibus semper feriæ, verùm maleferiatæ. II. Facilitas operandi, si cui virtutis via non ampliùs sit acclivis & ardua, sed declivis facilis plana atque expedita, ita ut cupiditates, vel nullas, vel multò, quàm olim, leniores sentiat, superatuquè faciliores, si nominatim cunctatione magis peccet, quàm temeritate, aliorum admiratione, quàm contemtu, duritiâ, quàm mollitie & luxu, lentitudine, quàm iracundiâ, maledicta non pluris faciens, quàm rotę stridorem, garritum picæ, latratum canis, ventrisquè crepitum. III. Æmulationis hinc studium, si quis virtutes, & aliorum præclarè facta, non probet tantùm & laudet, sed etiam imi-

tetur, neque verò invideat aliis, cùm eos videt virtute antecellere, quin potiùs horum virtutem admiretur, idquè non solùm, cùm secundis rebus florent, sed etiam cùm adversis opprimuntur, exilio Aristides, vinculis Anaxagoras, paupertate Socrates. IV. Conjectura è somniis, si per quietem turbulentis quis haud vexetur insomniis. Honesta siquidem honestorum somnia præsumtivè. Unde Zeno ex his deprehendi posse ait, quantum quis in litteris & moribus profecerit. Ut enim in somno ferè quiescat ratio, tamen pars animi bruta bonis in viris ita subacta est, ut nil nisi ingenuum promittat & promat, criteriumquè bonæ mentis & boni moris sit exindè, sicut malæ mentis & mali moris argumentum eadem in malis viris, nondum sub jugum rationis missa, atque morata benè.

Caput XXVI.

De Fine Virtutis Moralis bis causis descripta: Et; an simplex ea, an verò multiplex?

§. 1. *Finis Virtutis Moralis duplex constituitur, Summus & Subordinatus.*

2. *Finis Summus Virtutis Moralis sive Morum* est gloria Dei, qui creati hominis, & reanti moraliter, scopus ultimus atque architectonicus.

3. *Finis Subordinatus Virtutis Moralis sive Morum* in genere intrinsecè est ἡ Καλοκ'αγαθία τῶν ἠθῶν, morum internorum probitas &

 hone-

honestas, extrinsecè ἡ Καλοκ'αγαθία τῶν Τρόπων, morum externorum probitas & honestas, in specie verò τὸ Καλὸν, Honestum cujusq; Virtutis, qui finis ejus internus, & τὸ Πρέπον, Decorum cujusque Virtutis, qui finis ejus externus, v g, liberalitatis καλὸν, ut tam δόσις quàm λῆψις fiat honesti causâ, πρέπον, ut utraque fiat observatis circumstantiis personarum, quantitatis, qualitatis, loci, temporis.

4. *Quæ Virtus Moralis, an una Numero,* cum Menedemo Eretriensi, qui censuit, virtutes morales unam esse, nomine & objectis tantùm differre, non essentiâ & naturâ, neque formâ discretas esse, sed solâ materie, adeoquè synonimas esse, ut ensis & gladius: Aristone item Chio, qui asseruit, unicam quoad substantiam virtutem moralem dari, nempè sanitatem, respectu autem certarum rerum plures, ut si quis vellet visum nostrum, quando res albas intuetur, λευκοθέαν, alborum spectatorem, quando nigras, μελάνθεαν, nigrorum spectatorem, aut aliâ simili ratione, appellare, conquè venienter has solummodò variis designari voluit nominibus, quatenus ad varia referuntur, ideoquè extrinsecùs tantùm secerni, non intrinsecùs: Socrate hinc & Platone, qui omnes virtutes morales redigere in unam prudentiam: denique Zenone Stoico, qui asseveravit asseveranter & ipse, omnem virtutem moralem nonnisi unam esse, eamquè prudentiam

nun-

nuncupavit, adeò ut fortitudo ipsi esset prudentia in rebus gerendis, justitia in rebus distribuendis. Etc.

5. *An verò plures, & Numero, & Specie* cum Aristotele, neque interim innumeræ cum Chrysippo, qui secundum singulas denominationes qualitatum singulas virtutes constituit, teste Plutarcho, à gratioso gratiositatem, bono bonitudinem, magno magnitudinem, honesto honestitudinem, & sic in infinitum, exemplo passionum, quæ penè innumeræ, hâc de re controversia est sanè quàm anceps.

6. Ego cum illis facio, qui pro pluralitate virtutis moralis, contra ejus unitatem, arma expediunt, hisquè utuntur telis. I. Quia virtutes morales, quæ occupantur circa passiones diversas, diversificentur secundum illas passiones, pertinentes ad distinctos appetitus, aliæ ad appetitum concupiscendi, aliæ ad appetitum irascendi, cumquè sint mediocritates distinctarum passionum, ideò & ipsæ distinctæ sint, eò quòd forma & materia sint ad aliquid, distinctæquè materiei forma quoque sit distincta. II. Quia virtutes morales, quæ occupantur circa operationes, distinguantur ab his, quę occupantur circa passiones, virtutes, inquā, productivæ & directivæ operationum, ab his, quæ sunt productivę & directivæ passionum. Cùm enim objecta distinctarum virtutum sint distincta, v g, res terribiles, cibus & potus, divitię,

honores, contractus, ipsas quoque virtutes distinctas esse. III. Quia non iisdem actibus acquirantur omnes, aliis fortitudo, aliis temperantia, agendoquè fortia quis evadat fortis, non temperans, & contrà, agendo temperantia temperans, non fortis, nisi ex eventu. IV. Quia nonnullos videamus magis aptos ad unam virtutem moralem, quàm ad aliam, aliumquè ad aliam magis minusvè inclinari per corporis temperamentum. V. Denique, quia à se invicem sint separabiles, cùm non omnes sint fortes, qui temperantes, liberales, qui taciturni, nec omnes magnanimi, qui justi.

7. Sed scilicet una virtus naturâ effectu ac materiâ multiplex esse potest, sicut ignis natura una cùm sit, varias interim urit materias, cultri item una natura cùm sit, varia tamen secat, & cùm aspectus noster similiter unus sit, siquidem cernat nigra, alius, sin alba, iterùm alius videtur, ratione subjectæ materiæ.

CAPUT XXVII.

De Virtutum Moralium Connexione in Prudentiâ secundum Thomam, earundemquè Inconnexione secundum Scotum, cum Syncrisi Philosophicâ.

§. 1. *Virtutes has Morales Thomas necessariò connexas esse ait in Prudentiâ, atque ita quidem connexas, ut, cui una adest, huic adsint omnes, & cui vel una deest, hic omnibus exciderit,* hocquè suum Philosophema astructum it his argumentis. I. Quia, ubi-

ubicunque eſt prudentia, conſiliativa judicativa & præceptiva eorum, quæ ſunt virtutis, ibi ſint omnes virtutes morales: At, ubi eſt una virtutum moralium, ibi ſit prudentia, cùm nulla virtus moralis eſſe poſſit ſine prudentiâ: Ergò, ubicunque eſt una virtus moralis, ibi eſſe omnes collectivè! Confirmat hoc ex eo, quia prudentis ſit cernere rerum agendarum principia, cerni verò ea nequeant, niſi à mente affectibus liberâ & ſolutâ, hoc autem præſtare virtutem moralem, quę prudentiæ ideò ſit neceſſaria, proindequè utraque ut concurrat neceſſe eſſe, virtus moralis, ut conſtituat ac dirigat ſcopum, prudentia, ut ea, quæ ad ſcopum, non hæc, aut illa, ſed omnia. Prudens namque non eſt, qui nunc rectè & prudenter quid facit, nunc imprudenter, ſed qui rectè omnia moderatur, omnia autem moderari ac dirigere nequit, niſi ſcopus antè rerum omnium ſit definitus: At hoc præſtat virtus moralis: Virtus ergò moralis ut cum prudentiâ conſpiret ac conſentiat, neceſſe eſt, non hæc, aut illa, vel iſta, ſed univerſa. Jacto hoc fundamento è dictis concludit, quòd omnes virtutes morales ſint ſimul connexæ inter ſe, & cum prudentiâ, ita ut non ſeparentur, niſi ratione ſuâ formali ac definitione, cùm hoc pacto ſint diſtinctæ, quia habent diverſa objecta, circa quæ verſantur, diverſas potentias, quas perficiunt, diverſas item rationes formales, licet hoc ſtan-

te, neque interim obstante, in eo, in quo una perfecta virtus moralis, sint reliquę simul, unà cum prudentiâ. Neq; enim dari potest perfecta prudentia, quin insint omnes virtutes morales, idquè simul, quoniam non priùs videtur oriri prudentia, quàm morales virtutes, nec priùs morales virtutes, quàm prudentia, ex quo sequitur, unâ datâ etiã reliquas ibi esse. II. Quia, quemadmodum vitia moralia summoperè dissident, & cùm virtutem, tum seipsa, mutuò destruunt, ita ex adverso virtutes morales insolubili nexu ligentur, & instar Gratiarum se mutuò amplectantur, idquè interventu consiliatricis & conciliatricis prudentiæ. Prudentia quippè vera non est, quæ justa temperans & fortis non est, nec perfecta temperantia, quæ justa fortis & prudens non est, neque integra fortitudo, quę prudens temperans & justa non est, sed nec vera justitia, quę prudens fortis & temperans non est. Quamvis enim, ut versantur in propria materiâ, & consideratę ut partes, distinctę sint, tamen per communes quasdam proprietates singulæ in singulis reperiuntur, quia habent communem finem, qui est honestum, quò fit, ut cùm unaquęq; sit honesta, unaquęq; diligat atq; exosculetur alteram, & pro facultate ac viribus cũ eâ connectatur, cùm finis sit amoris coagulum. III. Quia hoc ipsum requirat duplex perfectio virtutis moralis, interna videlicet seu propria, & externa seu adventitia, quam una virtus moralis accipit ab

aliâ virtute morali,quę adjumento alteri ad operandum, quo adjumento careat, qui præter unam virtutem non habet alias se invicem perficientes. VG.Sit aliquis temperans in summo gradu,& habeat temperantiam perfectam secundum perfectionem propriam,neq; adjuvetur à perfectione externâ, id est, ab aliis virtutibus, sed sit avarus ex alterâ parte, hic talis non erit perfectè temperans. Si enim proponatur ei adulterium committendum, magnâ vi pecuniæ oblatâ, aut recusabit, aut non: Si non, non erit temperans: Sin recusabit, quia est avarus, recusabit cum difficultate, atque ita non erit perfectè temperans,cùm non habeat habitum temperantiæ,qui operatur cum facilitate. Sic,sit aliquis intemperans, sed ex alterâ parte justus,& in re judicandâ offeratur aliqua ei voluptas, aut accipiet, & eâ de causâ afferet injuriam alteri, atque ita non erit justus,aut, si non accipiat, neque inferat injuriam,id faciet cum aliquâ difficultate,atq; ita non erit perfectè justus,cùm non operetur cū facilitate: Ergò ad hoc, ut virtus aliqua sit perfecta,requiritur,ut ad perfectionem ejus propriam accedat alia perfectio, proveniens ex unaquàq; virtute ne operatio alterius impediatur. Quòd si in aliquo sit virtus perfecta utrâq; perfectione, internâ scilicet & externâ, propriâ,inquam, & alienâ, nę tunc necesse,ut sint in eo omnes virtutes, sintquè simul, non item, si sit una virtus perfecta tantùm una perfectione, hoc est, inter-

ternâ & propriâ,quo sensu Plato dixit,claudam esse fortitudinem ex parte dextrâ, si superaret quidem dolores, sed succumberet interim voluptatibus. IV. Quia omnes virtutes morales pendeant à rectâ προαιρέσει; recta verò προαίρεσις sequatur rectam consultationem, recta porrò consultatio exposcat rectam finis expetitionem: At cui recta προαίρεσις, consultatio recta, & finis expetitio recta, competunt, huic omnes virtutes morales competere necesse sit. V. Quia integrum quiddam sit virtus moralis absoluta atque perfecta, integrum autem sit, quod omnibus suis membris constat, cōvenienterque etiam virtus moralis, omnibus virtutibus moralibus particularibus, constituentibus unam universalem, quasi membris integrum, aut speciebus veriùs genus, sive totum universale, VI. Quia, cùm de genere alicujus rei loquimur, debeamus semper optimum absolutū & perfectū illius generis inspicere, cū Platone, agente de Republicâ, Aristotele, agente de demonstratione, Cicerone, agente de Oratore, quare etiam hîc. *Contrà Scotus, perpetuus Thomæ impugnator, Virtutes Morales sive Morum non necessariò inter se connexas esse in prudentiâ asserit*, hocquè suum anti-philosophema astructum it illis argumentis. I. Quia connexio illa non sit de ratione intrinsecâ virtutum moralium, sive de essentiâ earum, cùm non accipiatur in definitio-

finitione earum, sed nec essentiam earũ necessariò consequatur, verùm extrinsecùs tantùm, atque ex eventu, his competat, id est, contingenter, hoc est, ita, ut possit etiã non competere, vel experientiâ teste, quæ testetur, in uno homine hanc, in alio aliam virtutem moralé reperiri, prout magis ad hanc vel illam suscipiendam quis est dispositus naturaliter, aut huic vel illi magis operam dat moraliter, magis quin etiam abundat opportunitatibus, ad hujus quàm alterius virtutis actionem necessariis, instrumentaliter. Hinc videas, inquit, multos extitisse viros fortes, qui tamen fuerunt intemperantes, cumquè vincerent suâ fortitudine viros, victos à fœminis, rursus multos extitisse temperantes, qui tamen, eò quòd non satis versati essent circa terribilia, nec satis instrumẽtorum ad eam rem haberent, haud fuerint fortes. Quid mirum, Scote, quia enim nullius virtutis operationibus acquiritur alia virtus præter eam, quæ est propria operationis illius, cùm ex similibus operationibus omnes generentur habitus, adeoquè non ex quâvis operatione quævis virtus, sed ex determinatâ, nec magis quis actionibus fortitudinis fiat temperans, quàm actionibus temperantiæ fortis, eò quòd una virtus alteri non sit ratio, ut sit virtus, quoniã aliâs sequeretur, unam esse causam procreanté alterius, tum unam non priùs, quàm alterã, in nobis ge-

nerari, demùm unâ in homine positâ poni omnes, & unâ sublatâ tolli omnes, atque ita consequeretur, aliquam esse virtutẽ, antequã sit virtus, nullamquè esse primam, immò nullam omninò. Nam si virtus una nequeat esse sine alterâ, tunc v g, temperantia habebit à fortitudine, ut sit virtus, & contrà, quare fortitudo erit virtus, antequã sit virtus. Temperantia enim non est virtus sine fortitudine, quod si ita, oportet ut fortitudo sit priùs virtus: At ea non est virtus sine temperantiâ: Fortitudo itaque erit virtus, antequam sit virtus, atque ita nulla erit prima virtus, neq; ulla in nobis priùs alterâ generabitur, quoniam nulla reperitur, quæ alias non supponat. Postremò sequetur, quòd nulla planè sit virtus, quia, si una nequit esse virtus, nisi adsint aliæ, & aliæ nequeunt esse sine eâ, una igitur supponet alias, & supponetur ac præsupponetur ab eis, eritquè prior ac posterior aliis, & seipsâ, quare nulla erit virtus. II. Quia perfectiones particulares ita se habeant, ut una esse possit absque alterâ, sanitas v g & pulchritudo oculi sine sanitate & pulchritudine aurium: Virtutes autem morales sint perfectiones particulares: Quare separabiles ab invicẽ vel in eodem subjecto! III. Quia, si virtutum moralium una nequeat consistere absque alterâ, sic absolutè liceat inferre, neminem fore virtute præditum, cùm nemo apud nos reperiatur, in quo omnes virtutes morales inveniantur, quiquè omnes earum operatio-

nes

nes simul producat. IV. Quia nonnulæ virtutum moralium inter se pugnent, ita ut altera repellat alteram, v.g. liberalitas magnificentiam, cùm liberalis non sit magnificus, conditiones quin etiam quorundam hominum cum conditione quarundam virtutum pugnent, eò quòd viri pauperes & obscuri possint quidem esse liberales, at non magnifici. V. Quia, sicut virtutes intellectuales, perficientes partem intellectivam, non sint connexæ, cùm quis possit habere unam scientiam, sine hoc, ut habeat alteram, ita nec virtutes morales, perficientes partem appetitivam.

3. Verùm hæc Scoti, Doctoris subtilis, sententia de virtutum moralium inconnexione in prudentiâ, sic refutari potest. Quòd enim ait, prudentiam non esse de ratione intrinsecâ virtutum moralium, sed extrinsecùs tantùm, atque ex eventu, his competere, hoc est, contingenter, id est, ita, ut possit eis etiam non competere, vel experientiâ conteste, quę contestetur, in hoc homine hanc, in alio aliam, reperiri, id tenet de virtutibus moralibus in grosso, & pingui Minervâ, quod ajunt, non item in ideâ, quomodo una non est sine alterâ, fidem facientibus rationibus pro connexione militantibus. Quòd porrò ait, unum hominem nescio quomodo magis dispositum esse ad unam virtutem suscipiendam, quàm ad aliam, neque pariter ad omnes; id verum de communiter contingentibus scilicet, non

etiã de rarò cõtingentibus.Fieri quippè posse videtur,ut aliquis homo æquè sit dispositus ad omnes, utut rarissimè. Etsi enim ut plurimùm fiat, ut unus homo habeat majorem aptitudinem ad unam virtuté capessendam quàm ad alteram,tamen sicut dari potest corpus sanissimum,sic dari posse videtur appetitus,habens æquè aptitudines naturales ad omnes virtutes suscipiendas, & is, qui habet ejusmodi appetitum, videtur æquè aptus esse ad omnes virtutes,quia habet potétias,secundum quas potest suscipere omnes, licet cum majore difficultate unam,quàm aliam,id quod cum grano salis Theologici accipiendum tamen. Quòd hinc ait, nullius virtutis moralis operationibus acquiri aliam virtutem præter eam, quæ est propria operationis illius, illud iterum verum in principio,cùm oritur habitus,non item,cùm jam est ortus. Sic enim una cum prudentiâ omnes aliæ oriuntur virtutes, ita ut simul sint. Hæc quippè dat esse virtutibus moralibus,& ideò cadit in definitionem earum. Accedit, quòd omnes virtutes morales sint mediocritates,ad quam mediocritatem si verè & perfectè redigitur appetitus, erit etiam paratus ad aliam,licet non exerceantur operationes, quia paratus est obedire rationi,quandocunque occasio tulerit., quemadmodum ea res patet in paupere,qui liberalis animo,non facultate,quæ si detur,operabitur. Quòd ulte-

siuà inferr, perfectionem particularem unam esse posse absque alterâ, quare & virtutem morum unam absque alterâ, cùm virtutes morales sint & ipsæ perfectiones particulares, id quemadmodum admiserim de perfectione particulari essentiali singularum virtutum distributivè, ita abnuerim de perfectione accidẽtali omnium collectivè. Quòd subdit Scotus, sic nemině præditum fore virtute morali, eò quòd nemo reperiatur, qui omnes virtutes morales habeat in suâ possessione sive ditione, omniumquè actus simul producat, ad id reponitur, quòd, ubi homo acquirit habitũ unius virtutis perfectæ, ibi immediatè adsint reliquę, ob affinitatem, quã habent inter se, & cũ prudentiâ. Quòd si quis nõ acquireret omnes per operationes, (diceret Thomas, aut Thomista aliquis,) acquireret tamen per electionem, quæ est actus quidam internus, & firma quædam dispositio ad exercendas omnes operationes studiosas. Quòd superioribus addit, non solùm nonnullas virtutum moralium inter se pugnare, ita ut una repellat alteram, liberalitas v. g. magnificentiam, sed & conditiones quorũdam hominum cum conditione quarundam virtutum, eò quòd homines pauperes & obscuri nequeant esse magnifici, quare non posse omnes cohabitare in uno subjecto, ut, qui unam habet, habeat omnes vi connexionis, id stringeret, si vel verè inter se pugnarent di-

dictæ virtutes, ita ut una esset alterius exclusiva ac destructiva, nunc autem gradu tantùm remissionis & intensionis distinguuntur, specie interim indistinctæ, liberali habente habitum magnificentiæ in propinquâ dispositione, sive dispositivè, magnifico contrà habitum liberalitatis actu, sive suppositivè & præsuppositivè, vel si pauperes & obscuri nullo possent esse magnifici modo, ne comparatè quidem & proportionaliter, adeoquè nec affectu, sive actu interiore, nec effectu, sive actu exteriore, quod longè secùs est. Sicut enim dicto Xenophontis, homines absque auro possunt esse liberales, ita absque eodem magnifici in quantulocunque opere, quod, etsi in se sit parvum, potest tamen magnificè fieri secundum proportionem illius generis. Usque adeò nunquã vacua est à munere manus, verbo Ciceronis, si arca cordis repleta est bonâ voluntate, potest autem esse repleta etiam in homine paupere, etiam quin in homine obscuri nominis. Quòd denique asserit, sicut virtutes intellectuales, perficientes intellectum, non sunt connexæ inter se, ita nec virtutes morales, perficientes appetitum, videri connexas esse, hoc argumentum, pace tanti Philosophi dixerim, claudicat. Virtutes quippè intellectus circa diversas occupantur materias, ad invicem non ordinatas, sicut patet in diversis scientiis & artibus, in quibus ideò non invenitur connexio, quæ invenitur in virtutibus

bus appetitus, existentibus circa passiones & operationes, habent quendam ordinem ad invicem, quò fit, ut tota materia moralium virtutum bellè sub unam rationem prudentię cadat. Taceo, omnia intelligibilia ordinem aliquem ad prima principia habere, & secundum hoc omnes virtutes mentis dependere ab intellectu principiorum, sicut prudentiam dependere videmus à virtutibus moris.

4. *Sunt, qui mediam viam eligant Thomam inter & Scotum*, distinguendo inter Gradum Continentiæ, qui Incipientium, conjunctam habens cum passionibus vehementibus virtutem, quâ his resistitur, Gradum Temperantię, qui Proficientium, passiones non adeò vehementes habens conjunctas, & Gradum Heroicum, qui Perfectorum, passiones habens planè refrenatas. Virtutes in gradu continentiæ ajunt non ita esse inter se connexas, quin una esse possit sine alterâ, atque hoc probare dicunt rationes Scoti: Virtutes in gradu temperantiæ ajunt omninò inter se connexas esse, ut, qui unam habet, habeat omnes, atque hoc probare dicunt rationes Thomæ. Quòd si virtutes in gradu temperantiæ ita inter se connexæ, multò magis virtutes in gradu heroico, quæ omnem sortiuntur excellentiam.

5. Quid veri? Casus diceret, virtutes morales esse cônexas in prudentiâ efficienter ac dependenter, nô formaliter atq; essentialiter: (Quanquam enim alia atq; alia numero prudentia sit

in

in aliâ atque aliâ virtute morali, tamen non ineſt alia ſpecie:) Timplerus, virtutes morales eſſe inter ſe connexas ratione communium attributorum, quibus inter ſe conveniunt, non propriorum, cùm unaquæque habeat ſuã propriam eſſentiam, ſuas proprias cauſas, ſua propria objecta & adjuncta: Franciſcus Piccolomineus, virtutes morales, ultimâ perfectione præditas, quam una habet ex connexione cum alterâ, hactenus eſſe connexas & perfectas, non ſecùs ac ex appoſitione ultimæ regulæ univerſa domus redditur perfecta, inque adventu ultimæ formæ ſingulæ partes hominis ultimam conſequuntur perfectionem.

5. Juvat concludere hoc argumentum judicio Wendelini, hoſpitis quondam mei, qui ſic in Philoſophiâ ſuâ Morali: Equidem, inquit, non negaverim, eam poſſe concipi virtutis ideam, ut ultima ejus perfectio in omnibus difficultatibus poſſibilibus exercere ſe perfectis actionibus haud poſſit, ſine aliarum adminiculis & concurſu, quoniam difficultates circa unius virtutis materiam poſſunt occurrere, quæ ſuperari nequeant absque aliis virtutibus, quæ pro objecto ſuo habere eas poſſunt, ut ſi à caſtitatis propoſito avocare aliquem moliatur improbus, vel per amplas divitias, vel per magnos honores, vel per tormenta & mortem, vel per ebrietatem, vel per ſermones impudicos & ſcurriles,

vel

vel per invitationem ad levitatem in moribus, vel per extenuationem beneficiorum acceptorum, ad perseverandum in castitatis proposito, opus erit liberalitate, magnanimitate, fortitudine, sobrietate, civilitate, gravitate, gratitudine, ut elidant omnia illa irritamenta: Cùm tamen virtus, ita absolutè perfecta, faciliùs cognosci possit, quàm in subjecto inveniri, non magis reprehendendi videntur ii, qui negant, omnes necessariò connexas esse inter se, quàm qui affirmant, præsertim cùm quæstio sit de virtutibus, non quales sunt in ideâ & imaginatione, sed quales sunt in hominibus, qui virtutibus exculti dicuntur, quomodo sunt, qui in unâ alterâquè virtute excellunt, qui actus aliarum virtutum proprios nunquam attigerunt, vel certè, qui habitibus omnium virtutum instructi dici nequeunt, quoniam crebris, ad eos comparandos necessariis actionibus, non sunt operati, adeoquè ad actus virtutum omnium haud assuefacti, quos omnium virtutum expertes dicere, quia omnibus virtutibus instructi non sunt, admodum videtur iniquum, cumquè ita comparatæ sint virtutes in adultis, ut, qui caret iis, earum extremis sit obnoxius, sequeretur, unâ qui caret virtute, eum omnibus obnoxium esse vitiis, quia omnibus aliis carebit virtutibus, quod absurdissimum. Hæc ille.

CAPUT XXVIII.

Divisio Virtutis & Vitii Moralis, Acroamatica ex Objecto Formali, Exoterica ex Objecto Materiali, illius in Pietatem & Probitatem, hujus in Impietatem & Improbitatem,

§. 1. *Divisio Virtutis Moralis, vel Accidentalis est, vel Essentialis, illa Subjecti in sua Adjuncta, hac Generis in Species secundum Differentiam ejus Specificam.*

2. *Differentia Virtutis Moralis petenda est ab Objecto, eoquè tam Interno, quàm Externo, tam Materiali, quàm Formali, & hoc maximè.*

3. *Objectum Internum Virtutis Moralis* sunt Affectus & Operationes Immanentes sive Internæ, quibus externæ debent acceptum ferre suum esse morale, perfectionemquè, quam habent.

4. *Objectum Externum Virtutis Moralis* sunt Operationes Transeuntes sive Externæ, occupatæ circa Personas, erga quas, quod Objectum ejus Personale, & Res, in quibus exercetur, quod Objectum ejus Reale. Dico, operationes transeuntes sive externæ, quia quamvis principaliores sint actiones immanentes sive internæ virtutis moralis antecedenter, tamen ad omnimodam ejus perfectionem requiruntur prețer eas etiam actiones transeuntes sive externæ consequenter, eò quòd voluntates hominum non sint manifestæ sine operationibus externis, incurrentibus in sensus.

5. *Ob-*

5 *Objectũ Virtutis Moralis Materiale est utrũquè simul sumtũ.* Cùm enim virtus moralis sit habitus, hic autem ordinetur ad duo, nempè ad naturam, & operationem consequentem naturam, occupatam circa certum objectũ, idquè specie distinctum, illa, nempè natura, circa objectum internum, hæc, nempè operatio, circa objectũ ferè externũ, utiq; etiam virtus moralis occupabitur circa utrumque. Quamvis enim non æquè efficaciter internas facultates afficiat, actionesquè rectificet, tamen in solis externis actionibus formandis & regendis minimè subsistit, sed internas quoque facultates & actiones respicit, adeò ut verè virtuosa actio censeri haud debeat, nisi quæ bonitatem moralem ab interno principio trahit, obedientiamquè externam cum internâ conjungit, contrà quàm faciunt legislatores, qui externam tantùm actionis cum lege conformitatem urgent, & id duntaxat absolvunt vel damnant, quod oculis vident, auribus audiunt, & manu comprehendunt, de interioribus animi affectionibus parùm solliciti.

6. *Objectũ Formale Virtutis Moralis est & ipsum utrumque simul sumtum, hoc est, idem quidem, ast non eodem modo, sed prout diversimodè ad rationem comparatur utrumque, ex quà perfectio utriusque dependet. Atque ab hoc propriè sumitur divisio virtutis moralis*, quoniam res per formam suam inter-

internam potiùs in certâ specie constituitur, quàm per aliquid externum, adeoquè virtus moralis à ratione formali, quàm ab objecto externo, describitur, quamvis interim ratio formalis tacitè concludat aliquem respectum ad objectum externum, cum hoc discrimine tamen, ut aliæ virtutum moralium magis occupentur circa affectus, sive objectum internum, hos directè moderando, ut fortitudo, temperantia, mansuetudo, benè conformantes nos ad nos ipsos, aliæ contrà magis circa operationes externas, sive objectum externum, directè has moderando, ut pietas, liberalitas, magnificentia, veracitas, justitia, benè conformantes nos ad alterum, ut rectè nos erga alios habeamus, quæ virtutes, licet immediatè spectent conformitatem operationum erga alterum, mediatè tamen respicere possunt passiones, quatenus ad operationes exercendas illud necessarium, v g, justitia, quæ licet immediatè spectet operationem externam, quâ reddamus alteri, quod ei debemus, ad æqualitatē, quia tamen hanc ipsam operationem impedire potest nimius amor pecuniæ, hactenus huic etiam passioni moderandæ secundariò servit.

3. *Sicut verò Virtutes Morales, specificè & formaliter à se invicem distinguuntur per Objectum Formale, ita & Vitia Moralia his opposita item per idem distinguuntur, putà, per Objectum*

jectum suum Formale. Dico formale, eò quòd in solo ordine vitii ad objectum non consistat & stet formalis ratio vitii, verùm in defectu & privatione rectitudinis legalis. Quidni enim principalius distinctionis specificæ sit fundamentum, quod ex ratione formali, quàm quod ex materiali tantùm, petitur, cùm forma proximè det esse rei? Est quidem etiam per materiam res, sed per formam interim est id, quod est, hoc est, hujus aut illius speciei. Atque ita objecto distinguitur, ut virtus moralis, ita vitium morale, inprimis formali.

8. *Communiter Virtus Moralis ex Objecto Externo in Pietatem & Probitatem subdividitur in Scholâ Morali, tanquam in duas Virtutes Cardinales, sub quibus omnes aliæ continentur*, pietatis vocabulo accepto, non impropriè & metaphoricè, pro charitate & reverentiâ, quàm homo debet parentibus & patriæ, sed pro virtute morali, quam homo erga Deum exercet, non ut medium beatitudinis cœlestis, quâ de Theologus, sed ut medium beatitudinis civilis, quâ de Philosophus: Similiter probitatis vocabulo accepto latè, pro virtute morali in genere, non strictè & synecdochicè, pro specie virtutis moralis, pietati in specie sic dictæ oppositâ. Scilicet virtus moralis duo habet objecta, circa quæ immediatè versatur, Deum videlicet & Hominem, quorum illum respicit Pietas, præcipiens

cipiens de officiis Deo debitis secundum primam tabulam, hunc Probitas, præcipiens de officiis homini debitis secundum secundam tabulam.

9. *Consimiliter Vitium Morale ex Objecto item Externo in Impietatem & Improbitatem condividitur in eâdem Scholâ, tanquam in duo Vitia Cardinalia, sub quibus omnia alia continentur*, quorum alterum immediatè agit contra Deum, & præcepta primæ tabulæ, alterum verò immediatè contra proximum, & præcepta secundæ tabulæ, mediatè verò etiam contra præcepta primæ tabulæ, quoniam secunda tabula refertur ad primam, ut obedientia præstetur Deo præceptori, & hîc, & illic, illic πρώτως, hîc δευτέρως. Nec est, quod excipias, ea, quæ se habent extrinsecùs non conferre speciem: Sed Deum & proximum esse quid extrinsecum, ut qui extra nos, non intra nos: Ergò per hæc non distingui rectè virtutes & vitia secundum speciem! Quamvis enim Deus & proximus sint exteriora respectu ipsius virtuosi & vitiosi, non tamen sunt exteriora respectu ipsius actus virtutis & vitii, efficaciter tendentis in objectum.

CA-

CAPUT XXX.

De Pietate, & hujus Extremis, id est, inde Superstitione, hinc Impietate.

§. 1. Pietas, *si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, nihil aliud est, quàm affectio ejus, qui pius est, v. g. in patriam, parentes, consanguineos, propinquos, præceptores, tutores, curatores, omnesquè, qui parentum sunt loco, alitervè nobis sunt conjuncti, sive eos amemus ex officio justitiæ, sive ex indebitâ gratiâ.

2. *Sin Rem sive Realitatē ejus*, ut sic est Virtus Moralis, sive More Acquisita, quâ Deum tè cognoscimus, cognitumquè ritè colimus.

3. Juvat ἀναλύζν. *Definitum est Pietas*, sed pressè sumta. *Definiturquè Genere, & Differentia Specificâ*.

4. *Genus Pietatis est Virtus Moralis, sive Acquisita More*: Quo genere primò distinguitur Pietas hæc Philosophica & Moralis, quæ medium consequendæ beatitudinis civilis, adeoquè hujus vitæ, à Pietate Theosophicâ & Spirituali, quæ medium consequendæ beatitudinis cœlestis, adeoquè etiam alterius vitæ: Secundò à Pietate Infusâ per se, naturâ sua non producibili, nisi ab extrinseco, nec per acquisitionem, sive operationes agentis pias, verùm per infusionem, sive per operationem Dei infundentis pietatem: Tertiò, à Pietate Infusâ per accidens, quæ etsi & ipsa

ipſa ſit ab extrinſeco, tamen ex naturà ſuâ talem productionem haud poſtulat, quales habitus, qui noſtris quidem actibus acquiri poſſunt, cæterùm divinitus tribuuntur, dequè facto infunduntur à Deo, v. g. Adamo prodigioſa ſcientia, Bezaleeli prodigioſa ars pictoria, Joſepho prodigioſa caſtitas, Samſoni prodigioſa fortitudo, Salomoni prodigioſa ſapientia, quales habitus per accidens infuſi vocantur in ſcholis, cùm pietas, quâ de hic agimus, ſit habitus acquiſitus, ſaltem acquiſibilis, hoc eſt, eam naturam habens, ut ei non repugnet per proprios actus acquiri.

5. *Ac Pietatem virtutem moralem eſſe in terminis, id verò probatur.* I. Quia Theologia Practica Ethnicorum fuit Ethica, ad Theologiam autem Practicam Ethnicorum pertinet præceptio de pietate, non ſupernaturali, quatenus Deus cognitionem noſtram excedit, ſed naturali, quatenus eſt inveſtigabilis ratione humanâ, ab eâquê comprehendi poteſt, quantum ſatis eſt, & ad cognitionem, & ad cultum aliquem. II. Quia ad felicitatem civilem non minùs neceſſarium medium pietas, quàm probitas, cùm hujus illa ſit fundamentum. Pietate namque ſublatâ omnis probitas tollitur, omnequè virtutum ædificium vergit in præcipitium. Ab eâ quippè ſubditorum fides in principem, obedientia erga magiſtratus, amor in parentes, charitas in ſingulos, juſtitia in omnes pendet. Qui

enim

enim rectè erga Deum est affectus, næ ille erga omnes congruenter se habet. Et inde, qui fundamenta solida Reipublicæ constituere vel conservare voluerunt, id religionis prætextu, & divini, seu veri seu fictitii numinis, cultu, sunt aggressi, tam probi, quàm improbi, credo, quòd viderent eos, qui ratione moveri nequeunt, religione tamen moveri, sic dictę à religando, quòd hoc quasi vinculo hominem Deus sibi religaverit atque obligaverit, ut ipsi serviat, ut domino, & obsequatur, ut patri, ligans se reconciliationis vinculo Deo, à quo se peccato separavit.

6. *Differentia Specifica Pietatis sumitur, partim ab Objecto Materiali, partim à Formali, & hoc maximè & proximè.*

7. *Objectum Materiale Pietatis est Deus, sub conceptu objectivo,* quatenus ex lumine naturę, sive ex principiis naturalibus, est cognoscibilis naturaliter, & colibilis moraliter: *Formale idemmet Deus, sub conceptu formali,* quatenus ex eodem lumine naturæ, sive ex principiis naturalibus, est ritè cognoscendus naturaliter, colendusquè moraliter.

8. *Absolviturquè præcedente Cognitione, & subsequente Cultu,* quia prius est, Deum scire, consequens colere, cùm ignoti nulla sit, ut cupido, ita nec cultus.

9. *Cognitio Dei Naturalis, vel est Existentia ejus, vel Essentia, vel Proprietatum Essentialium, eáquè mediante cognoscimus,*

Deum aliquem Existere, Esse unum, Esse τὸ πᾶν.

10. *Deum aliquem existere, probatur* : I. Ab ortu hujus mundi, qui aut à se extitit, aut ab alio, non à se, ergò ab alio, ab independente dependenter. II. A gubernatione hujus mundi, in quo constanter durat ac permanet ordo, semel in naturâ constitutus, quem à rectore aliquo pendere necesse est. III. A dependentiâ entis finiti contingentis temporalis causati, ab ente infinito necessario æterno causante. IV. A dependentiâ bonorum inferiorum à summo. V. A Catholico consensu omnium populorum, qui naturæ vox est, testantium esse Deum. Nulla quippè gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Dei opinio. Hæc enim communis notio, Deum esse, originis non habere autorem, esseque salutem ac perseverantiam earum, quas effecerit, rerum, ubivis gentium se exerit, religionisquè studium tam vehemens excitat, ut, quamvis homo ægerrimè se aliis summittat, lapidem potiùs colat, aut lignum, quàm ut prorsus sit sine religione. VI. A testimonio propriæ conscientiæ. Illa enim, pro conditione factorum, hominem intus in animo clanculum, vel accusat, vel excusat, & sic tacitè clamat ac dictitat, esse aliquem judicem ac vindicem supremum atque omniscium, qui probis præmia, improbis pœnas, decernat.

11. *Eun-*

11. *Eundem Deum esse unum essentiâ, probatur.* I. Ab unitate entis simpliciter infiniti, absoluteque simplicis & perfecti. II. Ab unitate causæ simpliciter primæ, ejusque tam efficientis, quàm finalis. III. Ab nnitate gubernationis & imperii mundani. IV. A typis naturalibus, qui nos quasi munuducunt ad primam summam perfectissimam unitatem omniscii & omnipotentis Dei, cujus omniscientia & omnipotentia alterius omniscientiam & omnipotentlam excludit, mundo, inquam, sole, lunâ, oceano. V. A testimonio saniorum Philosophorum, nominatim Platonis, qui ad amicum scribens: Hinc disces, inquit, scribamne ego seriò, nec ne? Cùm seriò, ordior epistolam ab uno Deo, cùm secùs, à pluribus.

12. *Denique, eum esse τὸ πᾶν καὶ ὅλον, id verò probatur inde*, quia unus omnium beatissimus, simplicissimus, æternus, & à priori, & à posteriori, immutabilis, immensus, omniscius, omnipotens, optimus, veracissimus, justissimus, liberrimus, adeoque sicut ens simplicissimè unum, nempe nec ex partibus, nec ex genere & differentiâ, nec ex substantiâ & accidentibus, nec ex potentiâ & actu, nec ex esse & essentiâ, compositum, ita & ὅλως ὅλον, totaliter totum, totus in se, totus in omnibus, totus in singulis, totus extra omnia, nec loco circumscriptus, nec loco definitus, nec loco inclusus, nec loco exclusus, omnia

præterita futura præſentia ſciens uno ſimpliciſſimo actu, absque diſcurſu noëtico aut dianoëtico à notiori ad ignotius, procul omni ignorantiâ & oblivione, potens non ſolùm eorum omnium, quæ vult, ſed plurium etiam, quàm vult, ſupra contradicentia poſitus denique, quæ omnia pleniùs & planiùs quidem cognoſcuntur ex libro ſcripturæ, defectum libri naturæ & creaturæ ſupplentis, ad cujus fontes limpidiſſimos proximè recurrendum, & non ad traditionum humanarum ciſternas, aliquo tamen modo etiam ex libro naturæ & creaturæ, hoc eſt, ex hoc mundi amphitheatro, quod templum Dei, in quo notitiam ejus diſcimus, παιδευτήριον, inquam, τῆς θεογνωσίας, καὶ βιβλίον ἔγγραφον, ſchola cognitionis Dei, & liber ſcriptus, prædicans Dei gloriam, & arcanam atque inviſibilem magnificentiam ejus nobis mente præditis annuncians, ut eum agnoſcamus, uti baſilicè loqui amat Baſilius. Scilicet cœlum quidem tacet, (verba aurea ſunt, ab aureo profecta ore Chryſoſtomi,) ſed ipſius aſpectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures, docens τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id quod de Deo cognoſci poteſt, reddens gentes inexcuſabiles hactenus, quòd non ulteriùs in veram & perfectam notitiam Dei, occaſione inde arreptâ, inquiſiverint, quam tradit liber ſcripturæ. Ut enim cognoſcere potuerint gentiles ex libro naturæ, Deum eſſe, eum-

eumquè unum, tamen non potuerunt cognoscere perindè ex principiis naturalibus, eum esse unitrinum & trinunum, idquè propter improportionem inter Deum cognoscendum, & hominem cognoscentem, eò quòd ex libro naturæ tantùm ea de Deo cognosci possint, quæ pertinent ad unitatem essentiæ divinæ, non item, quæ ad trinitatem personarum in illâ unitate, quam trinitatem personarum ratio naturalis nullo potest capere modo, quomodo videlicet una numero essentia divina sit in tribus numero distinctis personis, quod mysterium ex libro scripturæ petendum, ut quod non tam sciri possit, quàm credi, sicut & cognitio cognata de Deo redemtore, ex supernaturalibus quæ est principiis, non naturalibus. Observare quidem licet in naturâ trium hypostaseωn sive personarum vestigia, tanquam opificis summi signa & characteres, v. g. in animâ & sole, sed ea vestigia nemo hominum perspicere potuit, antequam Palladium trinitatis cœlitùs humano generi fuit patefactum, tum vestigia sunt, non fastigia.

13. *Cultus Dei Physico-Ethicus, sive Naturalis & Moralis*, est divini numinis veneratio, legibus ceremoniisquè naturæ rationalis devincta, docentis, Deo deberi cultum & subjectionem, tanquam primo summo sufficientissimo eminentissimo singularissimo bono, ideoquè summè colendo: Primo &

ſummo bono, quia omne ens, quatenus ens, bonum, & quò magis ens, hoc majus bonum: Sufficientiſſimo, & quia nihil ei deeſt, cùm ſit primum & ſummum bonum ſui conſtitutione, cætera autem ſolummodò bona per participationem, & quia per eum aliis deeſt nihil, cùm ſit primum & ſummum bonum etiam ſui communicatione, ideoquè bonum maximè expetibile, ut quo nullum magis ſit communicativum ſui, id quod proprium boni: Eminentiſſimo, quippè primo ſummo ſufficientiſſimo, & activè, & paſſivè, activè reſpectu ſui, paſſivè reſpectu noſtri: Singulariſſimo, tam ratione eſſentiæ, quàm ratione exiſtentiæ operationumquè: Ideoquè ſummè colendo, ut cujus natura adeò ſit præſtans, Ciceronis elogio, ut ea ipſa (putà natura Dei,) debeat per ſe ad ſe colendam allicere ſapientem. Etenim cùm venerationem juſtam habeat, quicquid excellit, jure præſtans Dei natura hominum pietate colitur, cùm & æterna ſit, & beatiſſima, huc nos inter alia vocante, tum ſpe beatitudinis futuræ in campis verè Elyſiis, ſeu beatorum inſulis, tum metu ſupplicii in Tartaro vero, non ficto & fabuloſo, præeuntibus nobis ad hanc rem caſcis Poetis, nominatim Homero, & Heſiodo, qui, quò pietatis ſtudium mortalibus, durioribus illis ſeculis, perſuaderent, finxerunt Deum juſtis hominibus, poſtquam vitâ functi eſſent, lætis

apud

apud inferos regionibus quercus amœnissimas dare, quæ in summitate plurimas atque optimas glandes jugiter ferrent, in medio apum examina haberent, quę perpetuo liquore dulcissima mella stillarent, ex ramis autem ac robore earum lanarum vellera depecterentur, ad usum vestium maximè idonea, funderenturquè illic vina suavissima nunquam deficientia plenis usque pateris, contrà injustos homines luto perputuo impeti, & terebratâ urnâ semper aquam ferre, Deo, qui justitiæ oculus, judicium suum in eos exercente. Quorsum Aristoteles eos castigatione & pœnâ dignos pronunciat, qui dubitant, utrùm Deus sit honorandus?

14. *Cæterùm cultus hic Dei, universè vel Internus est, vel Internus & Externus simul,* quorum ille in animo consistit, sive in motibus hominis internis, hic etiam in corpore, sive in motibus hominis externis, cujus omnes motus naturales ita institui debent, ut Deus per eos colatur.

15. *Cultus Dei Internus constat Amore & Timore Dei.* Amandus est Deus, tum quia in & per se bonus quoad sui constitutionem, ut qui non bonus tantùm in concreto ἀνθρωποπαθῶς, sed ipsissima bonitas in abstracto θεοπρεπῶς, tum quia nobis bonus, quoad bonitatis suæ communicationem. Timendus est Deus, tum ne peccatis nostris & pravè factis eum offendamus, iramquè ejus in nos

provocemus, tum ut hoc certiores simus de ejus benevolentiâ, quam nemo sibi habet polliceri absque timore ejus. Et quis (verba sunt Ciceronis Christianizantis,) non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertenté, omniaquè ad se pertinere putanté, curiosum & pleнũ negocii Deum? Nõ ex ἀυ]οφιλία sed θεοφιλία quod fiat tamen.

16. *Cultus Dei Internus & Externus simul* est, qui non animo tantùm, sed etiam corpore, exercetur, id est, non actibus tantùm elicitivis, sed etiam imperativis, hoc est, non affectu tantùm, sed etiam externis gestibus actionibusquè.

17. *Estquè Precatio, & Gratiarum Actio presè sumta.*

18. *Precatio* est cultus Dei internus & externus simul, quo necessaria ab eo petimus, internè, per animi conceptus, cogitationes, gemitus, externè per linguam & gestus, in quos se quasi exonerãt gemitus, quando eos non ampliùs capit cordis angustia. Atque hi duo modi ita sunt comparati, ut esse prior possit sine posteriori, posterior non itẽ sine priori. Quòd si enim ille sit absq; hoc, verus nihilominùs cultus esse potest, quia mente magis hîc opus, quàm mento, pectore, quàm ore, animi intensione, quàm manuum extẽsione, neq; tam refert hîc, quo corporis habitu quis fundat preces, quàm quo affectu: Sin hic absq; illo, næ ille hypocrisis est, & Pha-

Pharisaismus merus, non Pythagorismus, quoniam Pythagoras cum voce quidem fieri preces voluit, non tamen, quasi existimaret, exaudiri à Deo non posse eos, qui tacitè precarentur, sed quòd justas vellet esse preces, quas aliis audientibus non vereretur quis fundere. Scilicet ita loquendum cum hominibus, (verba sunt Macrobii,) tanquam Dii audiant, & sic loquendum cum Diis, tanquam homines audiant.

19. *Precationis species duæ sunt, Petitio & Deprecatio.*

20. *Petitione* petimus à Deo, ut bona necessaria nobis largiatur. Dico necessaria. Neque enim quælibet à Deo indifferenter petenda, quo de argumento sic Thomas: Illa bona, inquit, determinatè in orationibus petenda, quibus quis malè uti potest, v. g. honoribus, divitiis, non item illa, quæ malum eventum habere nequeunt, quæ sancti orando absolutè petunt, non item temporalia bona, quæ, quamvis à Deo sint petenda, ut quędam minùs principalia bona, tamen non sunt petenda, ut præcipua & extrema bona. Scilicet hoc licet orare, quod licet desiderare: Atqui temporalia licet desiderare, non quidē principaliter, ut in eis constituamus finē, sed sicut quædam adminicula, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, & in quantum nobis organicè deserviunt ad actus virtutū: Pro istis ergò, cùm haben-

tur, ut teneantur, cùm non tenentur, ut habeantur, suo loco orandum.

21. *Deprecatione*, quæ altera species precationis, à Deo petimus, ut delinquentibus nobis ignoscat, & mala, quæ ob malefacta nostra nobis imminent, clementer avertat. In hâc ab Ethnicis olim adhibita fuerunt Sacrificia & Lustrationes, quibus iratum numen censebant posse placari, seseque horum interventu liberari à peste, fame, siccitatibus, imbribus, bello, aliisquè calamitatibus provincialibus & popularibus, sed veram interim satisfaciendi & placandi rationem, usumquè sacrificiorum ac purgationum, ignorârunt.

22. *Gratiarum Actio pressè & compressè sumta*, est cultus Dei internus atque externus simul, quo Deo gratias agimus pro acceptis beneficiis, debitamquè huic laudem pro datis desuper bonis, reddimus. Nec immeritò. Quòd si enim homini non referre gratiam simile homicidio judicatur, quantum crimen est, eam non referre Deo? Atque adeò, quid melius, & animo premamus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias, quo nihil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi agivè fructuosius potest. Si luscinia essem, (ait admirandus senex Epictetus, cujus fictilis lucerna ter mille drachmis vendita fuit olim, quem si legas, ut Paganum, scripsit Christianè, sin ut Christianum, scripsit Paganicè, virtutis interim studio penè Christianus,)

ſtianus,) facerem quod luſcinia, nunc autem, cum homo ſim, quid faciam? Laudabo Deum, nec ceſſabo unquam. Et alio item loco idem: Quamobrem, inquit, ſi quid mente valemus, quid nobis agendum, niſi ut Deum aſſiduè celebremus, ei hymnos, ei gratiarum actiones agamus, canamus, dum terram fodimus aut vertimus, ſive laboramus, ſive requieſcimus. Quas autem? Magnus eſt Deus, qui hæc inſtrumenta dedit, magnus, qui manus ipſas largitus eſt nobis, magnus, qui dat, ut nec cogitantes creſcamus, & dormientes reſpiremus; (Sunt enim hæc ejuſmodi, ut noſtræ induſtriæ aſcribi non poſſint:) Hic omnium debet eſſe quotidianus hymnus.

23. *Extrema Pietatis duo ſunt, alterum in Exceſſu, alterum in Defectu. In exceſſu ei opponitur Superſtitio, in defectu Impietas.*

24. *Superſtitio, ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus ſpectes*, hoc nominis accepit, vel ab aniculis, quæ multis ſuperſtites per ætatem delirant delirium, vel ex eo, quòd parentes totos dies precabantur atque immolabant, ut ſui liberi ſibi eſſent ſuperſtites, vel ex eo, quòd ſuperſtitem memoriam mortuorum, aut ſuperſtites imagines defunctorum parentum, domi inſtar numinis, & tanquam Deos Penates, in larario ſuo colebant ſuperſtites, vel denique ex eo, quòd ſuperſtantium, hoc eſt, cæleſtium & divinarum rerum, quæ ſuprà nos ſtant, inanis delirus & ſuperfluus

amor timor & cultus sit superstitio, amandos timens, quos colit violans, à superstare, quatenus est nimium esse, non quasi in cultu divino possit esse quid nimii, secundum absolutam quantitatem, quia nihil homo potest facere, quod non sit minus eo, quod Deo debet, verùm secundum quantitatem, quam vocant, proportionis, quomodo omne superfluum, quod non est proportionatum fini, hoc est, gloriæ Dei creatotis, cui subjectus homo, & mente, & corpore, quæ sunt Dei.

25. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic superstitio est vitium morale, exhibens cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Duplex numero exindè. Vel enim eum exhibet ei, cui non debet exhiberi, v. g. creaturæ, cùm divinus cultus primò atque ultimò ordinetur ad reverentiam Deo exhibendam, atque hæc superstitionis species appellatur Idololatria, quæ divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ cuicunque, per sensibilia signa, repræsentata per aliquam sensibilem formam sive figuram, cum divinitatis opinione: Vel eum, (persuade cultum divinum,) non exhibet eo modo, quo debet illi, cui debet, verùm modo indebito, hoc est, aliter & contrà, quàm Deus præscripsit, atque hæc est altera species superstitionis, differens à superstitiositate, tanquam vitium à suo objecto, vel effectu. Superstitio quippè propriè est falsus & pravus Dei:

Dei cultus, falſus Theoreticè, pravus Practicê, adeoquè adversè opponitur religioni, ſicut ſuperſtitioſitas religioſitati, quæ qualitas religioſi, ſicut illa ſuperſtitioſi.

26. *Impietas* eſt Dei ſummè colendi neglectus & contemtus.

27. *Eſtquè duplex numero. Vel enim eſt Simplicis Negationis, Theoretica aliter, vel Pravæ Diſpoſitionis, Practica aliter.*

28. *Impietas Simplicis Negationis ſive Theoretica* eſt, quâ de Deo, ejusquè operibus, mens hominis planè non eſt edocta, qualis impietas eorum in genere, qui dicuntur Athei, in ſpecie verò Cyclopum & Cyclopiſtarum, ſive Cyclopicorum Hominum, utrorumque non abſolutè, quales athei non dantur, niſi atheiſmi crimen impingere velimus infantibus negativè, quia ſenſum de Deo per ætatem nondum induerunt, aut furioſis privativè, quia exuerunt per morbum eundem, ſed comparatè, atque in ordine ad atheos vitæ & morum profeſſione tales.

29. *Impietas Pravæ Diſpoſitionis ſive Practica*, eſt, quâ de Deo, ejusquè operibus pravè mens hominis eſt edocta, qualis Epicureorum & Libertinorum impia pietas, dicam, anpia impietas.

CA-

CAPUT. XXXI.

De Probitate, hujusquè Speciebus, tam Usu Loquendi, quàm Usu Artis.

§. 1. *Tantum de Pietate, jubente nos vivere piè quoad Deum: Excipit Probitas, jubens nos vivere sobriè quoad nos, & justè quoad proximum.*

2. *Probitas* est Virtus Moralis, sive Acquisita More, per quam nos in humanis rectè gerimus, & quidē vel ergą nos ipsos, vel erga alios.

3. *Probitatis Species aliæ sunt Usu Loquendi, aliæ Usu Artis.*

4. *Usu Loquendi numerantur quatuor cum Theage Pythagoréo, Prudentia, justitia, Fortitudo, & Temperantia.* Atque hic quaternarius numerus populariter colligitur, ex Subjecto, eò quòd prudentia domicilium habeat in mente, justitia in voluntate, fortitudo in appetitu irascibili, temperantia in appetitu concupiscibili. Appellantur aliter in Scholâ Morali Virtutes Cardinales, ad similitudinem cardinum, in quibus ostiorum motus firmatur, eò quòd in iis, tanquam quatuor cardinibus, tota hominis vita, hoc est, omnis vitę moralis honestas, vertatur, & ad has, tanquam partes potestativas, reliquę omnes quomodolibet referri possint, sicut ad quatuor cardinales ventos, à quatuor mundi plagis flantes, reliqui. Videntur quippè esse quasi genera reliquarum virtutum moralium, ad quæ cæteræ omnes, vel tanquam

quam species subordinatæ, vel tanquam partes potentiales, aut integrales, revocari queant.

5. Verùm enimverò hæc quadripartitio virtutum moralium antiquorum, ex subjectis petita, non fert omne punctum, sive illa sit divisio virtutis communissimè sumtæ, quia nec omnes virtutes intellectuales, nec omnes virtutes morales, comprehenduntur in istâ divisione, non omnes virtutes intellectuales, quia sunt aliæ quatuor, quæ non cadunt sub membra hujus divisionis, non etiam omnes virtutes morales, quæ & ipsæ non cadunt sub istâ divisione, sive sit divisio virtutis intellectualis, quia in istâ divisione, præterquam quòd omittuntur quatuor virtutes intellectuales, ponuntur tres virtutes morales, quæ non sunt intellectuales, sive denique sit divisio virtutis moralis, tum quia hîc ponitur una virtus intellectualis, quæ non est moralis, tum quia non satis liquet, quâ ratione reliquæ virtutes morales ad quatuor has familias referantur: Nòn, inquam, fert omne punctum hic quadrumviratus moralis, nisi fortè sumantur quatuor præallegatæ virtutes cardinales fusiùs, pro reliquarum quodammodò causis, sicquè alias virtutes sibi quodammodò connexas habeant, quarum bonitas sustineatur super humeros earum, tanquam cardines aliquos.

6. Usu Artis numerantur undecim cum Aristotele, non ut species infimæ tamen, sed

ut

ut subordinata: Fortitudo, Temperantia, Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Modestia, Mansuetudo, Veracitas, Comitas, Vrbanitas, Iustitia. Cujus numeri undenarii, hæc reddi poteſt ratio. Virtus moralis vel nos dirigit in ordine ad nos ipſos, ſive in ordine ad ipſum habentem atque operantem, vel in ordine ad alios, ſive ad eos, in quos operans operatur. Virtus moralis, quæ nos dirigit in ordine ad nos ipſos, vel universè magis occupatur circa paſſiones, vel universè magis circa operationes. Circa paſſiones universè magis occupatur fortitudo, quæ moderatio metus & fiduciæ, temperantia, quæ moderato cupiditatis voluptatum guſtus & tactus, liberalitas & magnificentia, quæ moderatio cupiditatis pecuniæ, quà parvæ, ut liberalitas, quà magnæ, ut magnificentia, magnanimitas hinc & modeſtia, quæ moderatio cupiditatis honoris, quà magni, ut magnanimitas, quà parvi, ut modeſtia, denique manſuetudo, quæ moderatio iræ & vindictæ. Dico, universè magis circa paſſiones, quia habent pro immediato objecto paſſiones, quibus erga nos ipſos nos habemus rectè, licet mediatè quoq; poſſint reſpicere actiones erga alios, quas moderentur, v. g. erga patriam, eam defendendo, quod fortitudinis, erga innuptam nuptamvè, ab eâ debitè abſtinendo, quod temperantiæ, erga egenos, his ſuccurrendo,

quod

quod liberalitatis. Etc. Circa operationes universè magis occupatur veracitas, quæ moderatio dictorum & factorum in conversatione communi, ratione veritatis communis, comitas, quę moderatio dictorum & factorum in conversatione communi, ratione jucunditatis & delectationis in seriis, urbanitas, quæ similiter moderatio dictorum & factorum in conversatione communi, ratione jucunditatis in & ex ludicris. Dico, universè magis circa operationes, quia habent pro immediato objecto operationes, quibus erga nos ipsos nos habemus rectè, licet mediatè quoque possint respicere passiones, quas moderentur, impedientes, ne quis veraciter comiter & urbaniter se gerat in conversatione erga alios, v g, ne verum dicat, quibus & quando debet, comemvè & urbanum se præbeat, erga quos debet. Virtus moralis, quæ nos dirigit in ordine ad alios, illa verò justitia, eaquè tam universalis ad omnes, quàm particularis ad singulos, & ipsa occupata circa operationes, ut quæ habeat pro objecto immediato operationes externas, quibus erga alios nos habemus rectè, licet mediatè quoque possit respicere passiones, quas moderetur & quibus moderetur, quatenus scilicet ad operationes suas exercendas necessarium est, atque ita justitia immediatè quidem spectat operationem externam, quâ

quâ reddamus alteri, quod huic debemus, ad æqualitatem, quam operationem quia impedire potest nimius amor pecuniæ alienæ, hactenus huic quoque passioni secundariò servire potest justitia, verùm per accidens scilicet, quia ejus non est hæc impedimenta per seipsam tollere, verùm aliarum virtutum subsidio & præsidio, v g. liberalitatis, uti suo loco dicetur.

CAPUT XXXII.

De Fortitudine, & hujus Extremis, id est, inde Audaciâ & Timiditate, hinc Ignaviâ & Intimiditate, dicam, an Indolentiâ.

§. 1. *Fortitudo, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, ut sic latè patet. Interdum siquidem nomen fortis idem valet, quod vox celer, ut in illo Enniano:

Sicut fortis equus, spacio qui sæpè supremo
Vicit Olympia., nunc senio confectus quiescit:

Interdum verò idem, quod vox robustus, ut in illo Capitolini contra Maximinum Imperatorem:

Leo fortis est, & occiditur,
Tigris fortis est, & occiditur,
Cave singulos, si multos non times:

Quo loco vocabulum fortis accipitur, non pro virtute morum, sed naturæ, pro fortitudine, inquam, naturali, in viribus & lacertis corporis

ris consistente, quomodo, quò quis valentior in luctæ certamine, hoc fortior habetur opinione multitudinis: Interdum denique idem, quod vox pulcher dives & nobilis, ut in Plauti Milite & Trinummo. Quicquid sit, hoc nominis proximè accepisse videtur fortitudo à ferendo, quasi fertitudo. Quis enim fortis, nisi qui vel viribus pollet corporis ad ferendum aliquid naturaliter, idquè *ἀκύρως*, vel viribus pollet animi ad ferendum aliquid moraliter, idque *κυρίως*. Sicut namque requiritur fortitudo corporis ad sustinendum & portandum magna pondera, ita requiritur fortitudo animæ ad aggrediendum & operandum difficilia correlativè.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic iterum accipitur vox fortitudinis, aut generaliter, pro omni animi firmitate, quæ in affectuum debellatione, & cujuslibet virtutis moralis actione, reperitur, aut specialiter, pro certâ animi firmitate, in certâ materiâ, hoc est, in suscipiendis & sustinendis iis periculis, in quibus maximè difficile est, habere præsentem animi firmitatem, contra carnis infirmitatem, atque hęc significatio est præsentis instituti.

3. Aristoteles eam, sumtam sub hoc conceptu objectivo & formali, sic finit: *Fortitudo* est Virtus (putâ Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Metu & Fiduciâ, adeoquè in Terribilibus & Fiducialibus.

4. Juvat *ἀναλύειν*. *Definitio hac constat Genere, & Differentiâ Specificâ.* 5. Ge-

5. *Genus Fortitudinis est Virtus Moralis*, cùm sit habitus Προαιρετικὸς Electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam putà rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciat habentem, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis.

6. *Differentia Specifica Fortitudinis sumitur ab Objecto, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum.*

7. *Objectum Fortitudinis, vel Internum est, vel Externum.*

8. *Objectum Internum Fortitudinis est Metus & Fiducia*, non prout accipiuntur hæc vocabula pro vitiis extremis tamen, sed pro passionibus, in quibus moderandis attinetur hæc virtus, quæ circa aliquid versari dicitur tribus modis, tanquam circa aliquid fugiendum, v g, circa timiditatem & audaciam, tanquam circa aliquid dirigendum ac temperandum, v g, circa metum & fiduciam, illius cohibitiva, ne retrahat voluntatem à sequelâ rationis, per recessum à malo difficultatem habente, hujus moderativa, ne contrà trahat voluntatem in oppositum rationis, per accessum ad malum difficile, denique tanquam circa aliquid amplectendum, v g, circa labores, dolores, pericula,

ita

ita tamen, ut præstantior in comparatione sit horum sustinentia quàm aggressio, tum quia ferre pericula honestius, quàm ferire, cùm alterum tendat immediatè ad honestatem, alterum verò ad temporalem utilitatem, victoriam nempè, & pacem temporalem, nec nisi ex consequenti ad honestatem, tum quia, cùm duo munera sint viri fortis, perferre pericula, & hostem invadere, perferre pensius, quàm invadere, vel hoc nomine, eò quòd, qui invadit, bonâ spe feratur, qui verò sustinet, invito planè sit animo, nisi ad τὸ οἰςίον accedat τὸ ἐλπιςίον.

9. *Objectum Externum Fortitudinis sunt Terribilia & Fiducialia sive Ausibilia: Terribilia*, qualia sunt omnia mala, quæ hominem, cui accidunt, destruere possunt, cujusmodi sunt pericula corporalis doloris illativa, evitabilia quidem per turpem actum, invasibilia interim ad bonum virtutis salvandum, nomine malorum accepto, pro malis molestis noxiis & turpibus: *Fiducialia sive Ausibilia* hinc secundum hominem honesta, qualia omnia ea, quæ homini à secundâ fortunâ accidere, ejusquè animum lætitiâ efferre possunt, sive bona sint revera, sive apparenter, nomine bonorum accepto, pro bonis fortunæ corporis & animi, sive jucundis utilibus & honestis: Ex quibus illa constituunt objectum primarium, hæc secundarium, quia difficilius, ideoquè fortitudini magis

magis consentaneum, tristia sustinere cum Aristotele, quàm à secundis abstinere cum Archiâ, dolores, inquam, ferre, quàm voluptatibus æquo animo carere, resquè adversas pati, quàm confidere secundis, cùm tantò magis laudetur, qui firmiter stat, quantò habet gravius impellens ad cadendum, vel cedendum: Impellit autem ad cadendum, vel cedendum, & bonum delectans, & malum affligens, sed graviùs interim hoc, quàm illud, cùm à dolore maximè abhorreat natura, eumquè tanquam hostem fugiat, voluptatẽ contrà amicè amplectatur, plus haběre timoris naturaliter homine, quàm fiduciæ.

10. *Objectum Externum Fortitudinis, respectu τῶν φοβερῶν sive Formidabilium, universè vel Negativorum est, vel Positivum.* Quávis enim omne malum ita comparatum sit, ut metum incutere possit, unde metus Platoni, προσδοκία τις τοῦ κακοῦ, expectatio quædam mali dicitur, fortitudo tamen in omni malorum genere nõ conspicitur, cùm vir fortis nec omnia indifferenter metuat, accedendo ad unum extremum, nec nulla, accedendo ad alterũ extremum, sed quædam.

11. *Objectũ Fortitudinis Negativum sunt Mala, quævocant, Turpia, item Tristia tam φαινομένως apparenter, quàm ὄντως verâ re: Et hæc vel Ὑπὲρ Ἄνθρωπον, vel Καθ' Ἄνθρωπον, eaquè tam Leviora, quã Graviora*, adeoquè in genere omnia illa, quæ salvâ fortitudinis mediocritate

critate metui possunt, quin etiã non metui.

11. *Mala Turpia* dicuntur, quæ cum turpitudine conjuncta sunt, ideoquè bono honesto è diametro repugnant, vel saltem cõjungibilia, quorum altera impensè metuere justissimum est, non metuere injustissimum, altera verò metuere quidẽ licet, ast moderatè. Prioris generis sunt, ira Dei, flagitia, scelera, pœnæ delictorum, carceres, verbera, libelli famosi, dedecus, infamia justa, & alia malorum genera: Posterioris generis sunt, quæ turpitudini quidem juncta non sunt, ideoquè omni vacant culpâ, nobisquè præter meritum eveniunt, ut cùm cicutam bibit Socrates, cùm Aristides pellitur in exilium, cùm Phocion ducitur ad capitis supplicium, at jungibilia interim, qualia metuere utique licet, verùm moderatè. Utrorumque hæc ratio: Vir fortis laudatur: Non timens hæc, vel in totum, vel in tantum, non laudatur: Ergò non est fortis.

13. *Mala Tristia* dicuntur, quæ cum molestiâ conjuncta sunt, ideoquè bono delectabili è diametro repugnant, ut sunt doloris illativa, per sui præsentiam, non absentiam tamen.

14. *Suntquè vel Φαινομένως, sive in speciem talia, vel Ὄντως, verâ re.*

15. *Mala Tristia Phenomena, sive Φαινομένως talia, sunt Spectra*, in quibus nullus locus fortitudini, quia metui possunt salvâ for-

titudinis mediocritate, possunt quoque non metui salvâ eâdem, cum Democrito Abderitâ, Bruto, Athenodoro philosopho, & adolescente Laconico, qui noctu præteriens monumentum, cùm umbrâ conspectâ in eam impetum faceret, hæcquè subduceret se persequenti, quò me fugis, succlamavit, anima bis moritura?

16. *Mala Tristitia* Ὄντως *talia*, *vel* Ὑπὲρ Ἄνθρωπον *sunt*, *vel* Κατ' Ἄνθρωπον.

17. *Mala Tristitia* Ὑπὲρ Ἄνθρωπον dicuntur, quæ majora sunt, quàm ut mente imperterritâ contemni possint, sustineriquè ab homine, cujus viribus sunt superiora, ut quæ, vel à Deo, cujus irati sunt, aut indicia, aut judicia, vel à naturâ, vel à fortunâ, immittantur, ceu sunt, inusitata fulgura fulmina & tonitrua, insolentes solis & lunæ eclipses, insoliti terræmotus, insueti cometæ, pluviæ sulphure & sanguine undantes, tempestates atque exundationes extraordinariæ, præcipitia hinc, incendia, prodigia, portenta, ostenta, & monstra denique, in quibus, & circa quæ, fortitudo haud occupatur, tum quia supra hominis sunt virtutē & constantiam, tum quia, qui horum malorum mole opprimuntur, nec sibi gloriam pariunt, (Cui enim unquā laudi fuit, quod fulmine, terræmotu, naufragio, ruinâ, periisset? Cui ideò statua posita, pyramides & colūnellæ erectæ, laudatio funebris decreta?) nec cuiquā utilitatem

tem affetunt,quibus ideò contraire hominis est, vel sanè quàm stupidi, vel sanè quàm insani. Quanquam non desint, qui fortitudinem illum quoq; metum moderari dicant, quem mala, quæ supra hominem sunt, causantur. Ejus siquidem, & excessum, & defectum, dari posse pronunciant, excessum in iis, qui hæc ad mala planè deficiunt, & quasi è mentis potestate exeunt, cùm fortes his non exanimentur penitùs, sed recipiant animum vel tandem, modumquè timori ponant talium, defectum verò in iis, qui ea omninò pro nihilo ducunt. Sed scilicet metus etiam vehementior hic nō est vitio, nisi fortè per accidens, si ad præcipitia, v g festinet, laqueo collum inserat, ferro pectus fodiat, homo desperabundus in illo articulo, quæ desperatio ne quidē in metuendâ fortitudine locum habet, non per se, quia illum ipsum metum, quem mala supra hominem incutiunt, seriâ pœnitentiâ, precibus, futurorum prospicientiâ, denique patientiâ, temperant verè fortes, mediocritatem affectuum, quam aliâs virtus efficit, servando in latitudine extra vitium, etiam in tali perplexitate. Ne dicā, tam excessum, quàm defectum, hujus exorbitantiæ, pertinere ad orbitam pietatis. Sive enim excedas in timendo, sive deficias, utrinque peccas, illic superstitione, hic impietate, non audaciâ timiditatevè propriè loquendo.

18. *Mala Tristia* Κατ' Ἄνθρωπον dicuntur, quæ, etsi hominem terrere possunt, humanas tamen vires non superant, quia secundum hominem sunt, hoc est, in hominis potestate.

19. *Atque hæc iterum vel Leviora sunt, vel Graviora.*

20. *Mala Tristia Leviora* dicuntur, quæ minùs terrent, quæquè huic vel illi tantùm metum incutiunt, v g, jactura pecuniæ, paupertas, exilium, captivitas, servitus, degradatio, repulsa, dolor, debilitas, cæcitas, orbitas, solitudo, ἀτεκνία, inquam, & ἀφιλία, invidia, inimicitia, & si quid his affine, quæ omnia, quãvis huic vel illi sint terribilia, ambitioso infamia, voluptuario dolores, vir fortis non ideò ocyùs & ipse debet pertimescere, dummodò ea propriâ culpâ sibi non attraxerit, v g, exulet quis, sed ob scelus, inciderit in morbum, verùm ex intemperantiâ, quo in casu omninò metuenda sunt, quia tũc sunt juncta cum ignominiâ & dedecore, justamquè reprehensionẽ merentur. Ut enim, absque hoc sit, usq; metuenda non sint, cùm sint ἀδιάφορα, quæ citra reprehensionem timeri vel non timeri possunt, fortis tamen ideò non est, qui ista non metuit, aut in his se præbet ἄφοβον imperterritum, cùm plagas etiam nequam servi contemnant, paupertatem prodigi, morbos desperati homines, supplicia facinorosi. Quid ergò? Qui in levio-

levioribus hisce se impavidum præbet ac præstat, si nihil aliud accedat, non fortitudinis ille, sed aliarum virtutum, liberalitatis, ob jacturam pecuniæ, modestiæ, ob jacturã honoris, & repulsæ contemtũ, mansuetudinis, ob iræ temperamentum, laudẽ mereetur hoc nomine, sicut ex adverso, avari ambitiosi iracundi audiunt, qui ea supra modum metuũt, non timidi, non magis quàm pater, qui filio peregrinãti ægrotãtivè metuit, quẽ nemo timidũ propterea nominaverit rectè.

21. *Mala Tristia Graviora* dicuntur, quæ magis afficiunt & terrent homines, quæquè per se viris etiam fortibus metũ incutiunt. *Suntquè Pericula & Mors. Neq; interim, vel omnia pericula, vel omnis mors indifferenter.* Vera enim fortitudo in maximis tãtùm malis conspicitur, si minùs quoad objectum commune, quod omnia terribilia secundum hominem honesta, minimùm quoad objectum speciale, quod maximè terribilia, & ex parte rei, & ex parte hominum.

22. *Non omnia pericula indifferenter.* Sunt siquidẽ quædam mala & pericula satis gravia ex humanis malis periculisquè, quæ sine impietate & improbitate cõtemni nequeũt, ut ignominia & contumelia nobis ac nostris immerenter illata, excidium patriæ, eversio religionis. & id genus alia

23. *Sed nec omnis mors indifferenter*, licet inter ea, quæ ita terribilia sunt, ut constan-

tiam non superent hominis, præcipuum sit vitę periculum, sive mors ipsa. Nam etsi in illâ v. g. morte, quam vel in mari tempestas, vel domi morbi vis affert, vir fortis non sit animo abjecto, tamen hæc non est ἔργον, præcipuum, inquam, munus fortitudinis, ut quæ hanc mortem molestè ferat, eò quòd virtuti & rectè factis in eâ non sit locus, sed altera debeatur naturæ, altera fortunæ. Non detrectat quidem mori vir fortis, sed ita, ut morte suâ præclarè de aliis mereatur. Unde Achilles apud Homerum, & Æneas apud Virgilium, cùm hic metueret naufragium, ille, ne in Scamandri fluvio periret, similiterquè Ajax apud Sophoclem, uno ore conqueruntur, quòd non in prœliô, multis hostibus priùs cæsis, sibi cadere licuerit potiùs, quàm ita miseram atque ingloriam vitam oppetere. Verba quirantium sunt:

----- O terquè quaterquè beati,
Queis ante ora patrum, Troja sub mœnibus altis,
Contigit oppetere!

Neque alia causa fuit, quare olim Cimbrorum & Celtiberorum fortissima gens, in acie exultârit, tanquam gloriosè & feliciter vitâ excessura, in morbo verò contristata sit, quasi turpiter & miserabiliter peritura. Certè, si circa mortem naturalem occuparetur fortitudo, tum omnes, qui moriuntur, absque exceptione essent fortes, &, si circa mortem, quæ

quæ ex ſimplici naufragio, eadem occuparetur, tunc fortiores multò futuri forent nautici, qui propter experientiam benè ſperant, etiam cùm viri fortes deſperant, atque tam ægrè mortem eam non ferunt, verè fortibus, quod abſurdum.

24. Ubi notandum interpunctoriè, & quaſi interlineariter, licet circa mortem, cui nullo modo poſſibile eſt obviare, eò quòd non ſit in noſtrà poteſtate eam evitare, licet, inquam, circa talem mortem non vertatur principaliter fortitudo, tanquam circa ſpecificum objectum, tamen aliquo modo accidentaliter habere locum etiam in tali morte, eò quòd mors ſit omnium terribilium terribiliſſimum homini, quà homo eſt, ut quæ ſit finis omnium rerum ad civilem vitam pertinentium, tollens omnia corporalia & incorporalia bona, ipſum quin etiam ſpem, quæ in reliquis malis ultimum eſt ſolatium, neque tantùm τὸ εὖ εἶναι, benè eſſe, ſed etiam τὸ εἶναι, ipſum eſſe, cùm ſit non ens, hoc eſt, negatio aut privatio entis: Jam verò naturaliter quodlibet potiùs appetit eſſe, quàm non eſſe, ad beſtias uſque incluſivè. Dico, homini, quà homo eſt, non quà homo fortis, aut Chriſtianus, cui mors eſt via ad meliorem vitam, hactenus bona, verùm per accidens.

25. Notandum deinde autem, quòd, quamvis in adeundis ac ſuſtinendis mortis

periculis vir fortis non vacet omni metu, instar furiosorum, & mente captorum, qui pericula contemnunt, quia non cognoscunt, perterritusquè sit, ut homo, cùm timor sit naturalis affectus, qui per se omni homini, & quatenus est animal, & quatenus est homo, competit, perquè naturam nihil dolere haud sit in potestate hominis, eò quòd dolor & voluptas necessitate naturæ sensum consequantur, quem non tollit fortitudo, cujus proprium dolores fortirer ferre, quorum si sensus nullus foret homini, huic nec opus esset fortitudine, quâ ei peropus tamen, etiam quà forti, quia viri fortis ἀφοβία non excludit simpliciter omnem sensum doloris, sed metum tantùm ejus, quo homines absterreri solent ab adeundis periculis dolorem afferentibus, quamvis, inquam, vir fortis non vacet omni metu, sed perterritus sit, ut homo, tamen imperterritus, ut homo talis, hoc est, fortis, ut cui mortis pericula, parùm terribilia, aut nihil, non quasi ei mors & vulnera non per se sint molesta, invitoquè accidant, aut quasi hic ei finis simpliciter sit propositus, ut aut vulneretur, aut mortem abs se appetat, cùm sciat se per eam maximis bonis spoliari, quin quò virtute præstat magis, & patriæ cupit magis, hoc magis sæpè doleat, se incommodo tempore illi eripi, lacrimas quin

etiam

etiam in tali casu mittat, non quasvis interim, non utique, quæ ab ignaviâ timiditate impatientiâ desperatione profluunt, sed quæ à justâ indignatione, piâ commiseratione, honestoquè gaudio, promanant, juxta proverbium, quo boni virî lacrimabiles dicuntur, sed quòd, quia finis fortitudinis, ob quem actio acerba & molestiæ plena suscipitur, ipsâ honestate jucundus est, non tantum illa constanter ferat, verùm insuper lętetur conscientiâ rectè factorum, & gloriæ factis suis debitæ, saltem, si non gaudeat, cùm mortem oppetit pro patriæ salute, eò quòd vi cruciatus impediatur, ne gaudium queat præ se ferre, non doleat, utquè fortè doleat corpore, non tamen doleat animo, aut, ut in cunctis operationibus, procedentibus à fortitudine, non gaudeat, gaudeat tamen in pluribus, exemplo gladiatorum, quibus molestós quidem videmus esse ictus, plagas, tumores, livores, vulnera, at spem plausus & victoriæ præmiaquè longè jucundissima.

25. Summa summarnm huc redit, ut mors sit terribilium terribilissimum Physicè, non tamen esse Ethico-Theologicè, utiquè sit terribilissima homini, quà homini, non tamen esse talem, quà homini forti, aut Christiano. Non quà homini forti, ut qui sibi persuasum habeat, mensuram vitæ esse honestatem, non temporis diuturnitatem, eàdemquè sciat, se non fugere debere

ex hâc vitâ, sed exire: Non etiam, quà homini Christiano, ut qui sibi perindè persuasum habeat, mortem non obitum esse, sed abitum, nec interitum, sed quandam quasi migrationem, commutationemquè vitæ pejoris cum meliori.

27. *Tantum de Objecto Negativo Fortitudinis. Objectum ejus Positivum sunt Pericula & Mors Bellica.* Objectum speciale appellant aliter, ad differentiam objecti communis, quod omne formidolosum, secundum hominem honestum, ejus vires non superans, ut mori cum Socrate, certare cum Hectore.

28. *Pericula illa, vel Togata sunt, vel Sagata.* Sicut enim foris, & in bello, occurrunt res arduæ ac periculosæ, ita & domi, atque in foro & curiâ. Ac in foro quidem vir fortis adversus injustas accusationes famam suam defendit fortiter, etiamsi in magno se periculo versari animadvertat, potentesquè adversarios habeat, cum Scipione & Catone Romanis, in curiâ verò, neglectis itidem periculis, quæ sentit, liberè profitetur, verbisquè & consiliis sæpê majores res gerit, cum Scipione Nasicâ, & Cyneâ oratore, quàm armis & telis.

29. *Utraque vel Pravisa sunt, vel Improvisa, adeoquè Objectum Positivum Fortitudinis utraque, sed Positivius interim hæc, quàm illa*, tum quia ea animi constantia & præsentia, quæ in repentinis periculis, κατ' ἄνθρωπον non.

non ὑπὲρ ἄνθρωπον tamen, ſe exerit, ad bonum virtutis ſalvandum, aut malum culpæ fugiendum, (dico, ad illud ſalvandum, hoc fugiendum, quia, etſi quis invaſus ab inexpectato defendat ſe viriliter, ad conſervandam vitam ſuam, non propter hoc ocyùs operatur actum fortitudinis, prout eſt virtus moralis, cùm ſic habere ſe poſſit canis ad canem, quod ideò naturale, non morale:) neſcio quomodo magis eſt ab habitu, ut quæ minus habeat præparationis & conſilii, quantò autem minor præparatio, tantò major animi magnitudo, laudem fortitudinis merens majorem, eò quòd ſubita & repentina perferre animi ſit ſuo habitu confirmati, tum quia, qui operatur fortiter in ſubitis periculis, fortiùs animum percellentibus, faciliusquè de ſtatione dejicientibus, fortior næ fortior eo, qui in prævifis, ſemel, quia hic fortem operationem producere poteſt, licet non operetur per habitum, ille non item, cùm non habeat ſpacium conſultandi, ſed agat ex conſuetudine, iterum, quia quò ſubita minùs perſpici, quanta ſint, ideoquè nec caveri depellivè facilè poſſunt, hoc magis ardua, circa hæc autem potiſſimùm occupatur virtus, tum quia pericula, in quibus cernitur fortitudo, non debent eſſe indifferenter cujuſvis temporis, non utique longinqui, ſed propinqui, cùm fortis nomen haud mereatur, qui v. g. mortem in decem annos, aut

periculum aliquod longè positum, non metuit, eò quòd hoc sit extra periculum potiùs esse, quàm in periculo.

30. *Mors hinc Bellica,* quæ tantùm non sola objectum fortitudinis, determinatę secundum ultimum, in quod potest, & quia ab hominibus intenditur, humanisquè viribus depelli potest, & quia uną omnium honestissima propter causam, pulcherrima propter decorum, nobilissima & gloriosissima propter famam, ut quæ ubique locorum, pręmiis & honoribus maximis, afficiatur cum suis alumnis, quibus orationes & pompæ funebres, statuæ, pyramides, colossi, columnæ, sepulcra publica, victus publicus in Prytanéo, aut Xenodochio, vel etiam Nosocomio, privilegiaquè nescio quæ, decernuntur, in favorem exortivæ posteritatis, quæ non item decernuntur iis, qui naufragio, ruinâ, terræmotu, fulmine, morbo, insidiis latronum aut piratarum, perierunt, difficillima hinc propter certamen, utilissima propter fructus emolumenta & commoda, cùm religionem pariter & regionem, aras, inquam, & focos, libertatem, leges, liberos, fortunas, defendat, fortunatissima denique, cùm nulla sit fortunatior mors, loquendo civiliter, quàm ea, quæ, cùm naturæ sit debita, pro patriâ potissimùm redditur, in cujus gremio securè dormit ecclesia, defensionem suam proximò Deum illi debens.

31. Offi-

13. *Officium Fortitudinis circa suum Objectum in eo vertitur, ut vir fortis teneat Medium Fiducialia inter & Terribilia*, & quoad passiones inter plùs & minùs timere, & quoad operationes, inter plùs & minùs aggredi, & quoad habitus, audaciam inter, quæ excessus in aggressu, & ignaviam, quæ defectus in aggressu, denique audaciam & ignaviam inter ex unâ parte, quæ vitiant aggressum, timiditatemquè & intimiditatem inter ex aliâ parte, quæ vitiant regressum, adeoquè, ut agat, ex quâ causâ debet, circa materiam, circa quam debet, eâ formâ, quâ debet, ob eum finem, ob quem debet, hoc est, quâ de re, & quâ in re, quomodo, quando, & cur oportet. *Vt ita, subductis subducendis, ut quis sit vir verè & positivè fortis, ad hoc requirantur sequentia requisita.* I. Ut non ex quâlibet causâ quis indifferenter adeat pericula. II. Ut non quælibet indifferenter, sed honesta, laudabilia, utilia: Honesta, quia in inhonestis virtuti, ejusquè mediocritati, non est locus: Laudabilia, quia sicut omne, quod ex vitio fit, vituperio dignum, ita contrà omne, quod ex virtute, dignum laude: Utilia, quia virtuti præter honestatem proposita utilitas. III. Ut non temerè, & desultoriâ levitate, sed prudenter, hoc est, tempore, loco, modo, quo oportet. Nequè enim fortitudo est

impetus præceps atque inconsultus, aut bruta ferocia, sed prudens ac præmeditata animi in rebus formidolosis magnitudo. IV. Ut honestatis causâ, non ostentationis, lucri, vindictæ, aut alius rei gratiâ, utquè adeò fine honesto, ita & mediis honestis, ad fœminam usq; inclusivè, ut quę & ipsa suo loco capax sit fortitudinis, tū quia omnis homo sanæ mentis per naturam est capax virtutis, cùm nulli ea sit præclusa, omnes admittat, & nec sexum, nec censum eligat, tum quia contraria vitia in eam cadunt experientiæ testimonio, quare & virtus opposita, cùm opposita sint nata fieri in eodem, sed universè interim magis vir, quàm fœmina, in comparatione, tum quia fœmina per naturam impotentior viro, unde mulier quasi mollier à mollitie, tum quia hæc virtus temperamentum virile, hoc est, calidum & siccum, animum quin etiam magnum, cor excelsum, hoc est, solidum & compactum, corpusquè spiritus ac caloris plenum, desiderat, quo fœminæ, quæ ordinariè habent temperamentum humidum & viscosum, destituuntur, tum quia virorum officio competit, interesse belli pacisquè rebus, non item fœminarū, illorum fortitudine differente ab harum fortitudine, quantitate tā continuâ quàm discretâ, continuâ, quoniam tantū pręcellit fortitudo viri fortitudini fœminę, quantū fœmininus sexus infra masculinum subsistit, discretâ, tum quia occasiones pro patriâ fortiter pugnandi

gnandi ad mortis usq; confiniū, infrequentes admodū in fœminis, quæ quàm audaculæ, tàm timidulę, tum quia actus, quibus acquiritur fortitudo, gravibus undiquaq; sunt circumsepti periculis, ideoquè etiam hoc nomine rariores in fœminis, ad quarū mensuram qui fortis de classe virorum, næ ille timidus potiùs quàm fortis, in suo genere.

32. *Quod si ita, si, inquam, hoc Officium Fortitudinis circa suū Objectum, ut teneat Medium inter Fiducialia & Terribilia, tunc Αὐτόχειρες ἢ Αὐτοφόνοι Græcis, Propricidæ Latinis: Coöperantes ad propriam mortem, vel ipsius judicis jussu: Milites Classiarii, ignem in pulverem pyrium mittentes superioris autoritate: Milites hinc Stipendiarii sive Mercenarii, quæstus gratiâ stipendia merentes, causâ belli susquè dequè habitâ: Milites quin Desperabundi, sive desperatione pugnaces: Martyres: Ipsi quin etiam Μονόμαχοι hinc sive Duellatores, tam Privati, quàm Publici: Denique Analogicè atque Adumbratè Fortes, hoc est, tales Politicè, Empiricè, Patheticè, Fiduciariè, Casualiterve atque Insciè, γνησίως fortes non sunt.*

33. *Αὐτόχειρες ἢ Αὐτοφόνοι sive Propricidæ ideò,* quia αὐτοχειρία, tam naturalis, sive ea sit totalis, sive partialis, quàm moralis, qualis eorum, qui vel intemperantiâ, vel negligentiâ & temeritate, sibi mortem accelerant, ut homines audaculi, & medicinæ contemtores, ea verò adversis frontibus pugnat-

gnat cum Lege Naturali, Divinâ, Civili, & Morali, ex quâcunque tandem causâ fiat, sive ex tædio vitæ, senectutis, morbi impatientiâ, amoris vehementiâ, patriæ amissione, mortibus uxoris liberorum amicorum, metu supplicii, ignominiæ, paupertatis, timore item vel odio servitutis, pudorevè ereptæ pudicitię, aut non benè gestæ rei, ex desperatione quin etiam, avaritiâ, similivè animi imbecillitate, & vel ipsius ex immortalitatis cupiditate, solo delirio, ut excipiendo, ita excepto. Cum Lege Naturali pugnat hactenus, quia ea requirit, ut omne animal suiipsius intendat conservationem, cujus contrarium, putà, suiipsius destructionem, intendit homo ἀυτόχειρ, dum unionem animæ & corporis dissolvit contra naturæ legem, quæ animam homini dedit, non ut dissociata à corpore viveret, sed ut corpori semper esset devincta, cui etiam semper devincta fuisset, nisi tristissima Protoplastarum nostrorum παράβασις καὶ παρέκβασις, transgressio & prævaricatio, secuta esset. Cum Lege Divinâ pugnat hactenus, quia ea præcipit, ne occidas, & ne occidas hominem: Jam verò, si neminem debeo interficere, ergò propter generalitatem legis, neque meipsum, cùm, qui se necat, necet hominem, contra legis interdictum. Qui enim tollit genus universaliter, eum etiam omnes ejus species tollere consentaneum est: Atqui hoc facit lex divina: Ergò!

34. Coë-

34. *Coöperantes ad propriam mortem, vel ipsius magistratus jussu, ideò*, quia sivè permiserit judex *αὐτοφονίαν*, sive jusserit, peccatur, tum quia sic committitur *αὐτοχειρία*, tam naturalis, quàm moralis, cùm licet illa præcepta sit pœna, dum sustinetur, tamen insimul est culpa, dum à semet infertur, cùm nemo debeat esse suus carnifex, sibiquè ipsi scindere ventrem regis Japonii jussu, tum quia hîc non tam respiciendum ad id, quid judex possit, (immò verò non possit, cùm nequeat punire, nisi more patrio, hoc est, usitato,) quàm quid damnatus, qui ut possit exercere actus præparatorios ad mortem, actus, inquam, indifferentes, v g, ire in carcerem, aut exilium, scalam gemoniàm sive patibularem conscendere, carnifici præbenti citutam os applicare, tamen non potest exercere actus coöperatorios ad ipsam mortem, qualis actus, si v.g, tonsor, damnatus ad sanguinis missionem, ipse de se supplicium hoc capiat, vel magistratus imperio, quia hoc in casu legi naturæ parendum potiùs, quàm magistratui id, quod naturæ contrarium est, præcipienti.

35. *Milites Classiarii, ignem in pulverem pyrium, ejusdem magistratus mandato, mittentes ideò*, & quia magistratus nequit dispensare de legibus divinis naturalibus moralibusvè, & quia in malis moralibus

neque majus neque minus eligendum, ſicut nec ex uno morali, naturali altero, graviore utrobique exiſtente culpâ ipſo malo, quæ ne admittatur, cætera ferenda, nec voluntariâ morte antevertendi cruciatus, & turpiſſima quæque ſupplicia, malis gravioribus ea, quæ minora ſunt, intercipiendo, & quia tales in patiendo ſuccumbunt, feruntquè pericula, non feriunt, niſi incertiſſimo eventu, & quia hic eorum actus eſt actus deſperationis, viri autem fortes ſunt εὐέλπιδες, non ἀέλπιδες, tum hæc actio verſatur tantùm circa terribilia, nulla fiducialia vitæ civili proportionata, & quia denique objectum veræ fortitudinis audit τὸ terribile quidem, verùm propulſabile à viro forti, quæ conditio hîc deficit.

36. *Milites hinc Stipendiarii ſive Mercenarii, ſtipendia merentes quaſtus gratiâ, causâ belli ſusque deque habitâ, ideò*, quia hi ſtipendii præcipuè causâ, ſpequè prædæ ac rapinarum, militant, cutemquè venalem circumferunt, non tam decus & gloriam captantes, quàm rem, quibus ideò finis nequit eſſe honeſtus, cùm his nihil ſpei ſit reliquum, niſi capax ſpoliorum bulga, & pecuniæ burſa, quæ ſpes ſi fallat & decollet, palearum inſtar diſſipantur, ut qui non pugnent pro aris & focis propriis, verùm alienis, quæ minùs afficiunt, quàm propria, neque verò cum ratione, ſed ſine. Dico, præcipuè. Meren-

Merenter ſiquidem viri fortes quoque etiam ſtipendia, at ea non reſpiciunt, tanquam cauſas moventes, & finem principalem, ſed ut finem ſecundarium, & minùs principalem, quid autem vetat, virtutem primò ſpectari, nummos verò poſt virtutem? Quòd ſi tamen ſuperiores conſentiant in prædam, tanquam præmium virtutis, belliquè cauſa ſit honeſta, ſiquè illi, qui nomina dant militiæ, populi ſalutem ſibi potiùs propoſitam habeant, quàm rapinas & ſpolia, næ tales milites probantur.

37. *Milites quin Deſperabundi, ſive deſperatione pugnaces*, *ideò*, partim quia illorum audacia & pugnacitas non eſt conjuncta cum ratione, nedum cum virtute, quæ ἐκ προαιρέσεως, ex certo animi propoſito ac conſilio, proficiſcitur, cùm milites deſperabundi contrà omnia agant impetu, eò quod nihil impetuoſius ſit deſperatis, Veſpaſiani effato, quibus cum ideò malum pugnare, quoniam ſæpè hominibus dat deſperatio, quod non dat fortitudo, partim quia vera fortitudo eſt ſine deſperatione, reſti, præcipitiis, ferro, ut quæ, cùm mala eam premere cœperunt, animum non deſpondeat plenè ac planè, verùm fiduciâ miſericordiæ divinæ, ſeriæquè pœnitentiæ, meliorisquè fortunæ ſpe, eum poſtliminiò colligat, partim quia etiam timidiſſimæ quæque belluæ, concluſæ & quaſi captivatæ, ubi nullum ſe ha-

habere effugiū sentiunt, efferatiores ac ferociores factę, ob desperationem acerrimè pugnant, neque tamen ideò fortiores sunt cęteris, quę idem faciunt citra talem necessitatē.

38. *Martyres quin hinc ideò*, tum quia non versantur circa objectum fiduciale, vitæ civili proportionatum, tum quia non versantur circa objectum terribile, propulsabile à viro forti viribus humanis, tum quia non ex habitu fortitudinis sive virilitatis versantur circa illud vel istud, tum denique, quia in martyrio non bellant plures invasoriè, sed nec defensoriè, ità ut vel defendendo invadant, vel invadendo se defendant, verùm solummodò mortem mortisquè periculum sustinent, ne incurrant malum culpæ, abnegando fidem, contra fidem semel datam in sacramento initiationis, & confirmatam in sacramento obsignationis. Quid ergò martyres? Spiritualiter fortes, non moraliter, ut qui, quod agunt, agant vi gratiæ superioris.

39. *Sed & Μονόμαχοι sive Duellatores, tum Privati, quàm Publici.*

40. *Duellatores Privati ideò:* I. Quia in tali duello ille, cui non licet alterum interficere, nititur eum interficere, putà privatus privatum, idquè consultò, extra casum & causam necessitatis. II. Quia duella privata suscipere, hoc ipsum sanè quàm temerarium, contraquè officium viri fortis, qui non adit

adit quævis pericula, sed ea tantùm, quæ honesta, non scelesta, laudabilia, non vituperabilia, utilia in publicum, non noxia, qualia pericula, quæ adeunt duellatores privato consilio & autoritate. III. Quia ideò judiciorũ jurisquè publici tutela est constituta, ne quis sibi permittat ultionẽ, quę, si privata, prohibita, sive quis injuriam acceperit in rebus, sive in personâ & personalibus, cùm viâ juridicâ res suas & honorẽ possit recuperare, saltem spem recuperandi habeat, quæ judicia, & quam juris publici tutelam, contẽtui habent duellatores, dum ad sui defensionem utuntur illegitimis mediis, iracundiâ, fremitu, tremore, furore, rabie, maledictis, conviciis, blasphemiis, temulentâ, insaniâ, execrationibus, odio, vindictâ, inanisquè gloriolæ vento, malis sodalitiis frigidam suffundentibus, temeritatemquè loco magnanimitatis, fortitudinem loco ignaviæ, veramquè gloriam loco ignominiæ habentibus. IV. Denique, quia si honor tuus videatur venturus in discrimen, non iccircò petulanter exponenda vita, quæ pluris meritò esse debet, quàm quivis honor, cùm vita semel erepta nequeat restitui, honor verò queat, qui hìc non eripitur, eò quòd infamia ex delicto & propriâ turpitudine oriatur, non calumniantis calumniâ, sive ea sit verbalis, sive realis, sive mixta.

41. *Duellatores Publici ideò,* quia, licet ad lites

lites publicas dirimendas ac componendas, majoris malorum acerbitatis propulsandę causâ, adeoquè ob honorem & salutem patriæ, seu bonum publicum, utquè sic parcatur sanguini humano, cujus minimè debemus esse prodigi, & quò sic in compendium mittatur bellum, publicâ autoritate, vel à militibus jussu ducis, exemplo Horatiorum & Curiatiorum, pueri item Vandalici & Alemannici, vel ab ipsis ducibus immediatè, exemplo Caroli Andegavensis, & Petri Tarraconensis, licet, inquam, horsum suscipiatur duellum, tamen non tenet, tùm quia certius omen ac præjudicium de belli eventu capi potest ex iis, quæ fortuitò, & quasi divinitùs, offerri videntur, quale fuit certamen duarum aquilarum in castris Bruti, & ludicrum in castris Alexandri Magni, tum quia justitia belli non est habenda ludibrio, & in duorum triumvè pacitum fortunâ collocanda, id quod sine tentatione Dei vix fieri potest, tum quia, siquidem dux, ab hoste provocatus ad singulare certamen, huic se sistat, si occubuerit, facilè totus exercitus animum despondet, quod ne fiat, etiam atque etiam cavendum. Sed non temerè interim recedendum etiam hîc à communi viâ sive sententiâ, quam his verbis complexus est Franciscus Piccolomineus: Singulare, inquit, certamen, cùm absolutè & per se malum sit, cum conditione

ditione tamen, & ex accidenti, concedi potest, putà, si versetur inter duos principes legitimum bellum, vel ex parte unius, vel ex parte utriusque, quod tamen, an detur, dubitatur. In tali quippè casu, pro vitando majori malo, vel ipsimet principes, vel alii ab his electi, singulari certamine litem universam dirimere posse videntur, quia sic non obtinet amplius locum certaminis singularis, sed publici, & præsupponitur id fieri ob bellum legitimum, cum majoris mali evitatione, cujus respectu minus malum obtinet locum boni. Hæc ille.

42. *Denique Analogicè atque Adumbratè Fortes ideò*, quia hujus commatis homines exercent exteriorem solummodò actũ fortitudinis, impulsi ad pericula subeunda apparente aliquo & specioso nomine, hoc est, ex aliquâ aliâ causâ, quàm ex virtute, id est, exercent illi quidem actum fortitudinis, sed materialiter tantùm, non formaliter. Appello analogicè fortes, quia hæc eorum fortitudo ficta atque ementita, veræquè fortitudinis simulacrum potiùs, quàm species, εἴδωλον, inquam, quàm εἶδος. Quamvis enim quid habeat cognatum genuinæ ac germanæ fortitudini, observantiam putà legũ, spem præmiorum, metum pœnarum, experientiam, idquè secundariò, tamen insimul quoque habet quid cognatum oppositis vitiis, putà, spem temerariam, iram inordina-

tam

tam, cupiditatem effrenem, idquè primariò, ideoquè his magis analoga in comparatione, quàm oppositę virtuti, adeoquè quasi intermedium quiddam, hoc est, nec virtus omninò, nec vitium.

43. *Caterùm Analogica hac sive Apparens Fortitudo, universè vel Politica est, vel Empirica, vel Pathetica, vel Fiduciaria, vel Casualis sive Inscia.*

44. *Fortitudo Politica* est, quam leges à singulis civibus, in propugnandâ patriâ, propositis pręmiis & pœnis, exigunt. Duplex numero. Vel enim est spontanea, ut cùm milites, ad legum jussa, solo honore ac præmiis, ad fortiter pugnandum incitantur, quodquè agunt, id omne agunt spe præmiorum: Vel Invita, & propemodùm Coacta, ut cum milites, formidine pœnarum compulsi, juxta legum tenorem, fortiter se periculis objiciunt, non tam id, quod turpe, quàm quod molestum, aversantes, ne scilicet, si pugnæ se subducant, jussu Agamemnonis Homerici fiant canibus voracibus esca. *Differt à Verâ Fortitudine.* I. Causâ efficiente, quia leges hanc singulis imperant, sub comminatione pœnæ, si recusent, non mores. II. Causâ finali, quia non tam honestatem, quàm vel præmii adeptionem, vel pœnæ declinationem, spectat.

45. Ad civilem hanc fortitudinem referri solent etiam eorum ausa, qui coacti se viros

præ-

præſtant, & vel verberibus, incenſis navibus, abruptis pontibus, occluſis portis, aguntur in hoſtem, vel à fronte hoſtem, à tergo fluvium lacus foſſas & foſſata habent, ſicquè obſeſſi pugnant præter communem modum, non tam dedecus effugere cupientes, quàm mortem

46. *Fortitudo Empirica ſive Militaris* eſt, quæ milites, ob experientiam in periculis adeundis, intrepidos reddit. Empirica ob experientiâ, ſive adjuncto ejus: Militatis verò à militibus, ſive ſubjecto ejus, eò quòd in veteranis atque exercitatis militibus præcipuè inveniatur, qui inſtar veterum murium uni haud fidunt antro. *Differt à Verâ Fortitudine.* I. Causâ efficiente, quia non à prudentiâ conſiliovè, ſed experientiâ, quæ ſicut animoſos facit alios in aliis periculis, nautas in mari, dum malos ſcandunt, & contractum cum ventis ac fluctibus bellum gerunt, ſcandularios, dum tecta ſcanſitant, urinatores, dum aquas ſubeunt, venatores, dum feras in ſilvis perſequuntur, foſſores, dum metalla in ſubterraneis ſpecubus ſcrutantur, athletas, dum congrediuntur cum adverſariis in arenâ, ita milites in bello, dum pericula contemnunt, quibus ſunt aſſueti. II. Causâ finali, quia mortem, quàm turpitudinem, magis verentur hujuſcemodi milites. III. Adjunctâ perſeverantiâ, quia tales milites tam diu præſenti ſunt animo, quàm diu peritiæ ſuæ fidunt,

eaquè hostibus se longè superiores esse autumant: At ubi deprehendunt, hanc non esse tantam, quantam putârunt, vel successus præter opinionem non respondet ipsorum expectationi, majusquè sit periculum, inferioresquè se esse videant numero atque apparatu, næ illi tunc primi sæpè fugiunt, stationemquè deserunt suam.

47. *Fortitudo Pathetica sive Affectuosa* est, quæ ex odio, irâ, vindictæ cupiditate, & cupiditate in genere, sine certo consilio, maxima pericula adit, atque ad tempus sustinet, non tam ob actum tolerandi & sustinendi, quàm aggrediendi tamen. Quod qui faciunt, non tam fortes dicendi, quàm pugnaces, quia ex affectu faciunt, quod faciunt. *Differt à Verâ Fortitudine.* I. Causâ efficiente. Nam à passione aliquâ, putà, irâ, odio amore excitatur: Jam vir fortis, non tam affectu, quàm consilio, pugnat, nec ob iram doloremvè, sed ob honestatem. II. Subjecto, quia & bestiis, & malis hominibus, nonnunquam inesse deprehenditur. Nam & bestiæ, dolore atque irâ accensæ, periculum præsentissimum contemnunt, ipse quin immò asinus, omnium aliàs ignavissimum animal, nullas plagas metuit, cùm esurit, neque se à pastu abigi sinit, & mœchi, sceleratiquè homines, nihil scelerum suorum perpetrandorum causâ intentatum relinquunt, neque tamen vel illæ vel illi fortes, nisi bestias, cùm irri-

irritatæ magno impetu feruntur in eos, à quibus læsæ, quamvis alios homines formident, fortitudinis titulo ornare velis, hominesquè extra se affectibus raptos, v. g. Chorœbum Virgilianum, qui, dum videt sponsam Cassandram crinibus ad templum pertrahi, insano ejus accensus amore, medium se in hostium agmen moriturus præcipitavit, nihil minùs quàm fortis. III. Causâ formali, quæ in verâ fortitudine moderatio affectuum rationi consentanea, in hâc verò inconsideratus impetus. Neque enim rationi obtemperat hæc fortitudo, sed ab affectibus rapta præceps inconsideratèq; fertur. IV. Causâ finali sive fine, qui veræ fortitudinis honestas, hujus vindicta.

48. *Fortitudo Fiduciaria* est, quam confidentia victoriæ, externaquè præsidia, in periculis prævisis, adeoquè spes certa evasionis, excitat in animo canentium ἐπινίκιον ante triumphum. Unde apparet, fortitudinem hanc δι' ἐυελπιςίαν esse eorum, qui, cùm sæpè & multùm vicerint, resquè habuerint secundas, ita ut ex voto aliquoties successerint omnia, perpetuam sibi ex eo felicitatem promittunt, intrepidequè se ideò periculis objiciunt, id quod familiare inprimis militibus veteranis. *Differt à Verâ Fortitudine:* I. Causâ efficiente, quę illius, persuade verę fortitudinis, fiducia bonę causæ, & bonæ conscientiæ, sive spes nixa causæ

eò usque progrediens, donec se imparem viribus esse sentiens, mortemquè magis quàm ignorantiam metuens, in pedes conjiciat, exemplo Argivorum, qui, cùm in Lacedæmonios incidissent, quos Sicyonios esse putabant, re animadversâ protinùs terga verterunt, similes pueris, qui præsenti animo tractant aspides & serpentes ignari veneni, eosdemquè mox è manibus abjiciunt, ubi didicerunt periculi magnitudinem. *Differt & ipsa à Verâ Fortitudine.* I. Causâ efficiente, quæ illius notitia periculorum, hujus ignorantia eorundem. II. Subjecto, quod illius experti rerum bellicarum, quà juvenes, quà viri, hujus imperiti & inexperti rerum adolescentuli, qui ad bellum vadunt, tanquam ad choréas, quod dulce inexpertis. III. Causâ formali, quæ illius aggressio periculorum cum consilio & constantiâ, hujus fuga eorundem tumultuaria & temeraria, ubi innotuerunt. Quàm primùm enim ignorantia periculi est detecta, stationem deserit, dumquè reliqui pugnant maximè, fugit maximè. IV. Causâ finali sive fine, qui illius honestas, hujus privata salus, vel cum ignominiâ, quàm honestati præfert.

53. *Timiditas* est vitium morale, quod in metuendo modum excedit, in confidendo verò deficit, exemplo Pisandri, qui, ne mortuus umbram suam videret, pertimuisse dicitur, item Artemonis cujusdam,

cui æreum usque scutum supra caput duo servuli tenere, ne illapsu rei alicujus læderetur, si fortè cœlum rueret. Atque hujus loci sunt proverbia: Timidi nunquam statuunt trophæum: Qui observat ventum, nunquam seminat, & qui observat nubes, nunquam metit. Item illa: Prætervolantes muscas metuere: Ad soricis stridorem expavescere: In pulicis morsu Deorum opem implorare: Ne μὺ quidem aut χρὺ dicere audere.

54. *Differt à Timore Physicè considerato*, sumto, inquam, pro affectu appetitus irascibilis, ab objecto ingrato proveniente, inclinante, non tantùm ad non aggressum, sed etiam ad fugam terribilium: *Etiam quià Ethicè*, sumto eo, vel pro motu vitioso, unâ vice in animo timentis excitato, vel pro dispositione, ad habitum timiditatis vitiosum comparandum ducente, natâ partim ab educatione servili, timidiores ad omnia reddente homines liberos, partim à præteritorum malorum recordatione, maximè recentium, quæ vix evasimus, partim à conscientiâ scelerate factorum, cùm nihil sit mericulosius animo hominis sibi malè conscio, qui, sicut

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Differt deinde autem à Fortitudine per excessum timoris, in quantum scilicet timet, quod non

non oportet, vel secundum quod non oportet, cujus contrarium facit fortitudo, servans medium rationis in materiâ, circa quam est, quam transit vititum circa eandem materiam, v. g. timiditas in præsenti argumento, quæ licet non semper pertineat ad pericula mortis, v. g. timor amissionis pecuniæ in avaro, voluptatis in intemperante, tamen opponitur fortitudini, non quidem sumta pro timore inordinato communiter, pro timore, inquam, servitutis vel ignominiæ, verùm pro timore inordinato in subjectâ materiâ, hoc est, periculis mortis, qui desperationis principium, sicut principium audaciæ spes.

55. *Ignavia* est vitium morale, quod in confidendo, hoc est, audendo & aggrediendo, deficit, in metuendo verò excedit, exemplo Arati Sicyonii, qui signo pugnæ dato secedere, & eventum præstolari solitus pugnæ, præterquè Thrasonem Terentianum, stantem post principia, & inde omnibus signum dantem, Anonymus quidam, qui Herculis famâ auditâ præ metu in specum se abdidit, vidensquè eum exanimatus est.

56. *Intimiditas sive Indolentia* est vitium morale, quod in metuendo deficit, in confidendo verò excedit, quæ si planè nullum formidabile reformidet, insania appellatur, qualis fuit Celtarum Psyllorum & Canniorum, qui aërem hastis pulsârunt, Gladiatoris

item Anonymi, qui, cùm in Cæsaris ludo vulnera ejus à Medicis exsecarentur, ridere solitus est, necnon alterius Anonymi, qui cùm minutissimis cultellis scriptoriis peteretur, dedoluit magis, quàm indoluit, dicens, nihil agis, ô dolor!

57. Quamvis verò quatuor extrema in scholâ morali ponantur fortitudinis: (verba sunt Alberti Magni,) superabundans putà in audaciâ, & deficiens in eâdem, superabundans item in timore, & deficiens in eodem, tamen hæc quatuor solùm duplicis moris sunt in eâdem scholâ. Etenim superabundans in audaciâ est deficiens in timiditate, & superabundans in timiditate deficiens in audaciâ, & sic audaciam inter, quæ, dum nimiùm confidit, in confidendo excedit modum, dum verò minùs, quàm debebat, metuit, in metuendo eundem deserit, & timiditatem inter, quæ, dum nimis metuit, in metuendo excedit modum, dum verò minùs, quàm debebat, confidit, in confidendo eundem deserit, medietas est fortitudo. Cùm enim duæ sint fortitudinis actiones, confidere & metuere, audacia excessus est in confidendo, defectus in metuendo, timiditas contrà excessus in metuendo, defectus in confidendo, cumquè princeps hujus virtutis sit actio confidere, moris est, ut absolutè quidem audacia excessus, timiditas verò defectus appelletur.

58. Qua-

58. *Quarum utra media Fortitudini propior sit, Audaciane an Timiditas, quæstionis est?* Sunt, qui propiorem esse dicant fortitudini θαῤῥαλεωτικῇ audaciam, ut quæ animo sit præsenti, sicut illa, aggrediaturquè magna pericula, sicut illa, contrà propiorem fortitudini φοβερωτικῇ timiditatem, ut quæ metuens sit periculorum, sicut hæc, fugiatquè pericula, sicut hæc, at ignobiliorem interim, eò quòd magis gloriosum sit, magna pericula aggredi, quàm fugere. Sed propiorem scilicet, non probiorem. Est enim fortitudo virtus, & viri prudentis, audacia verò vitium, & viri imprudentis, illa rationem sequitur, hæc contenmit, quæ non magis ideò cum illâ consistit, quàm cum ratione insania: Quòd si non consistit cum fortitudine audacia, multò minùs timiditas, cùm potior actio fortitudinis sit, confidere, quàm metuere.

60. Quicquid sit, audacia ad medium fortitudinis faciliùs reducitur in comparatione, quàm timiditas, sicut prodigalitas ad liberalitatem faciliùs, quàm opposita avaritia, quæ ideò ei propior, sicut hæc illi, ob rationis identitatem, quæ est utrinque.

CAPUT XXXIII.

De Temperantiâ, & hujus Extremis, id est, inde Intemperantiâ, hinc Stupore in genere: In specie verò de Frugalitate, & hujus Extremis, id est, inde Edacitate & Bibacitate, hinc Nimiâ à Cibo & Potu Abstinentiâ: De Castitate item, & hujus Extremis, id est, inde Libidine & Impudicitiâ, hinc Diogenicâ à Venere Venereisquè Abstinentiâ.

§. 1. *Temperantia, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, ut sic accipitur generalissimè, pro qualibet moderatione, sive pro quâcunque naturali continentiâ, qualis in apibus, quæ feruntur eos odisse, qui unguentis sunt delibuti, aut à recenti veniunt Venere, capitone item & accipensere piscibus, cicadisquè, necnon in aquilâ Jovis alite, & in genere in bestiis, quæ subjectum ejus communissimum.

2. *Sin Rem, sive Realitatem*, ut sic iterum accipitur vox temperantiæ, aut generaliter, pro eâ virtute, quæ in quovis animi motu modum servat, pro moderatione, inquã, omnium actionum humanarum, quæ cum voluptate conjunctæ sunt, dolorevè, quod subjectum ejus commune, ut sic deducta à tempore, eò quòd quamque rem suo tempore faciat, nec nimis citò, nec serò nimis, sed nec sæpè nimis, nec diu, aut specialiter pro eâ virtute, quæ ventri, tam superiori, quàm inferiori, modum imponit, inquè gulæ atq; inguinum voluptatibus mediocritatem

servat,

servat, ut sic Latinè deducta à temperie. Græcè Σωφροσύνη audit, vel quasi σώζουσα τὴν φρένα, conservans mentem subjectivè, vel quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, conservans prudentiam, quæ habitus mentis perfectivus, adjunctivè, utramque effectivè. Cùm enim opposita intemperantia nullam aliam notionem magis corrumpat, quàm prudentiam, (Neque enim intemperantia ita impedit, quò minùs sciamus triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, quod est scientiæ, aut quomodo navis sit fabricanda, quod est artis, sed solùm, saltem maximè, pervertit id, quod sub actionem cadit, in quo versatur prudentia,) sequitur vi oppositionis, oppositam temperantiam prænominatam prudentiam, judiciumquè ejus practicum, salvando salvare, & propter conservationem sanitatis, quam omnium maximè tuetur temperantia, & propter moderationem sensuum, ac refrenationem affectuum, qui sæpenumerò turbant mentem, & propter suppressionem ac strangulationem voluptatis & doloris, adversantium judicio ejusdem, quæ monstra domat hic Hercules.

3. Aristoteles τὴν Σωφροσύνην sive Temperantiam, sumtam sub hoc ultimò conceptu objectivo & formali, sic finit: *Temperantia* est Virtus, (purà Moralis sive Ac-

quisita More,)servans Mediocritatem in Voluptatibus & Doloribus Gustatus & Tactus, virtus, inquam, moderans Cupiditatem Nutricem, quæ gustus, & Generatricem, quæ tactus.

4. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

5. *Genus Temperantiæ est Virtus Moralis,* ut quæ, & ipsa sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam putà rationem pro principio agendi, mediocritatē inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciat habentem, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis.

6. *Differentia Specifica Temperantiæ sumitur ab Objecto, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum.*

7. *Objectum Temperantiæ, vel Internum est, vel Externum, idquè iterum vel Primarium, vel Secundarium.*

8. *Objectum Temperantiæ Internum est Cupiditas Nutritionis & Generationis,* non tam naturalis tamen, sive toti speciei communis, qualis cupiditas cibi potus & Venerìs, in quâ per se vitium committi nequit, sed ratione accessoriæ ἀκρισίας καὶ ἀταξίας, injudicii & inordinis tantùm, quàm moralis & propria, sive unicuique peculiaris in

illâ.

illâ specie, ut cùm quis hunc vel illum cibum potum aut Venerem expetit.

9. *Objectum Temperantiæ Externum Primarium est Voluptas inde Exoriva:* Omnium una ratio. Cùm enim temperantia cupiditatum moderetur voluptates, versabitur insimul, & circa cupiditates, & circa voluptates, harumquè, ut causas, ita effecta, adjuncta, omniaquè, quæ cum ipsis cohærent.

10. *Objectum Externum Secundarium Temperantiæ est Dolor*, quatenus ex rerum jucundarum privatione sive absentiâ nascitur tamen. Cùm enim res jucundæ, quibus homo fruebatur, absunt, dolere solet homo, qui dolor ne nimiùm intendatur, facit temperantia.

11. Ex his objectis externis, illud, quod primarium, est objectum per se temperantiæ, hoc verò, quod secundarium, objectum ejus per accidens, nec nisi, ubi quem intemperans, ex privatione atque carentiâ voluptatis, capit dolorem. Ut ita temperantia sit moderatrix, & voluptatis, & doloris, pertinentis ad sensum gustus & tactus, sed universè interim magis voluptatis, quàm doloris, quia virtus versatur in rebus difficilioribus, difficilius autem resistere voluptatibus, quàm doloribus, eò quòd voluptates sint blandæ dominæ, & quasi

perantes, sed φιλάρετοι, φιλόσοφοι, φιλοχρήματοι, φιλότιμοι, φιλόμυθοι, φιλόφιλοι; studiosi virtutum, sapientiæ, opum, honorum, fabularum & historiæ, amicorum, amicæque conversationis, siquidem in his servent modum, & contrà, affectatè virtuosi sive virtuosuli, sapientuli, scioli, lucripetæ, ambitiosi, nugivenduli, Placentini sive Gnathones, siquidem eum histrionicè transeant. Scilicet illud est objectum temperantiæ, ex quo quis temperans vel intemperans appellatur: At propter voluptates animi, quas quis percipit ex virtute, sapientiæ studiis, pecuniâ, honere, fabulis, amicis, nemo temperans vel intemperans appellatur: Ergò non sunt objectum temperantiæ!

16. *Voluptates Corporis* dicuntur, quibus corporis sensus titillantur & hilarantur, tanquam suavitatibus quibusdam, quibusquè adeò sensus movetur, & jucunditate quâdam perfunditur.

17. *Sed nec circa Voluptates Corporis omnes occupatur Temperantia, non utique circa Voluptates Visus Auditus atque Odoratus*, quales voluptates sunt, cùm v g intuentes hortorum amœnitatem, aëris puritatem, cœli serenitatem, astra, pulchram virginem, pictas tabulas, statuas, colossos, cùm audientes Musicam, tam Vocalem, quàm Instrumentalem, comœdias, tragœdias, fabulas,

ora-

orationes, conciones, historias, cum odorantes thymiamata, flores, rosas, mala Punica, citronia, cottonia, præter animum oculos his aures & nares pascimus, nisi fortè per accidens, sive alienę causæ interventu, hoc est, hactenus, quatenus reducunt in memoriam voluptates gustus & tactus, quatenusquè verè temperantes & intemperantes his quoque delectantur, eò quòd voluptatum ipsis propriarum recordationem excitent, spemquè faciant earum voluptatum, quæ ad gustum & tactum directè spectant, quomodo etiam belluæ voluptatem ex hisce sensibus percipiunt, per se non item. Dico per accidens, non per se. Quòd si enim quis v. g. picturis obscœnis delectetur, sermonibusquè Fescenninis & Priapejis, hæc voluptas, quam inde percipit, eum haud dubiè intemperantem arguit, sed per accidens scilicet: Quòd si alius delectetur tabulis pictis, acroamatibus, thymiamatibus, ad profusionem usque, luxus ille non item ad intemperantiam referendus erit, ne per accidens quidem, si nihil aliud accedat, verùm per se ad oppositam liberalitati prodigalitatem, cujus liberalitatis proprium τὸ φιλόκαλον καὶ φιλόπρεπον, observantia honestatis & decori. Certè etiam hæ voluptates, ex oculis auribus & naribus cognitione quæ distinctâ percipiuntur, debent esse materia alicujus virtutis, circaquè eas versari debet.

me-

mediocritas; quæ mediocritas reduci debebit ad aliquam virtutum, non reducitur autem ad temperantiam, nisi comparatè, quare ad aliam, saltem aliquam virtutem absolutè & per se. Quid multis? Illud dicitur objectum per se virtutis, circa quod virtus aliqua per se versatur: Atqui temperantia non versatur per se circa voluptates visus auditus & odoratus: Ergò non sunt ejus objectum per se! Tunc quippè quis temperans dicitur, quando gustum & tactum benè temperatum ac contemperatum habet, non autem, quando visum auditum & odoratum. Quis enim, amabò, intemperantem vocitet eum, qui venustæ puellæ aspectu condelectetur, si modo eam inordinatè non concupiscat? Quis intemperantem eum, qui auditione pulchræ cantilenæ, & odore suaveolentium rerum, capiatur, si modò voluptate inguen ac gulam explendi haud extimuletur, idquè ideò fiat, quòd memoriam aut imaginationem aliarum voluptatum contineant, quomodo videmus, canem odore leporis capi, leonem mugitu bovis, non odorem propter, aut sonum, sed pastum propter & prædam, sive escam propter prædæ causâ, quam ex odore & sono præstò esse sentiunt, bovem item mugitu vaccæ, non pabulum propter, sed coitum.

18. *Voluptates Naturales, sive Communes*

toti speciei dicuntur, quas natura cunctis animalibus necessariò indidit, ad individui & speciei conservationem, ut subveniretur naturæ necessitati, non tam quoad voluptatem tamen, quàm quoad victum & Venerem, quoad victum, qui necessariò requiritur pro conservatione individui, quoad Venerem, quæ necessaria, non pro generatione ejus individui, in quo est, sed pro generatione alterius individui, in suâ specie.

19. *Sed nec circa has Voluptates propriè occupatur Temperantia*, tum quia uniusmodi sunt, unoquè semper agunt modo, vel absolutè, cùm eadem apud omnes sit, ut fames, ita sitis, quarum illa est calidi & sicci, hæc frigidi & humidi, vel comparatè, pro generibus animalium, nominatim hominum, quomodo melancholicos ferè voluptatem capere cernas ex amaris naturaliter, sanguineos ex suavioribus, septentrionales ex multâ carne & potu, meridionales verò ex herbis, hunc abhorrere à butyro & caseo, illum à vino aut cerevisiâ connaturaliter, ipsâ corporis constitutione, quæ naturalis est, & affectione seu crasi, multum huc conferente, tum quia in his vitium per se ratione objecti committi nequit, sed ratione quãtitatis tantùm mediocritatem transilientis. Neque enim peccant, qui cibi & potus tantum sumunt, quantum satis est ad sedandam famen aut sitim, at edere & bibere, quæcun-

que

que offeruntur, donec plenior sis, quàm naturæ necessitas postulat, adeoquè non tam edere, quàm vorare, bibere, quàm potare, hoc nihil aliud est, quàm modum naturæ convenientem copiâ superare, cujusmodi homines à Græcè philosophantibus appellantur γαστρόμαρχοι, rabie ventris accensi, ἀπὸ τῆς γαστρὸς καὶ μαρχᾶν, à ventre & furendo, item γαστρίδες, hoc est, helluones, glutones, comedones, ventres. Similiter appetitus sexus ad sexum, voluptasquè, quæ inde percipitur, per se peccatum non est, sed tale evadit, quando in quantitate mediocritas exceditur, ut cùm libidinum flammæ atque incendia ad simplicem appetitum accedunt, quod ubi fit, tunc opus generationis leprâ libidinis inficitur in libidinantibus libidinem, argumento ejus, quòd etiam in naturâ integrâ locum habuerit appetitus cibi potus & Veneris.

12. *Tantum de Objecto Negativo Temperantiæ. Objectum ejus Positivum, vel est Minùs, vel Magis, vel Maximè Positivum.*

13. *Objectum Temperantiæ Minùs Positivum sunt Voluptates Gustus.* Hæ enim, quia serviles & belluinæ, ipsoquè excessu per se vitiosæ, virtute aliquâ moderandæ sunt, ne servis, immo bestiis, quis similis evadat, nominatim temperantiâ. Tunc siquidem temperantes dicimur, quando gustum rectè moderamur, quoad saporum judicium

&

& usum, non quando visum auditum odoratumvè.

14. *Objectum Temperantiæ Magis Positivum sunt Voluptates Tactus*, tum quia & ipsæ nobis cum bestiis communes, cùm in nobis sint, non quà sumus homines, sed quà animalia, quantò autem voluptates nobis magis communes cum bestiis, tantò magis subjiciuntur temperantiæ, tum quia hic sensuum omnium làtissimus, saltem latior fratre suo gustu, qui in exiguâ corporis parte, purâ, linguâ summo gutture & palato, est positus, cùm tactus diffundatur per totum corpus, cujus ideò voluptates, & plures, & majores, quàm gustus, eò quòd linguæ & palati voluptates, non nisi interveniente tactu, percipiantur, ad eumquè referantur, sive ille sit in esculentis, sive in potulentis, quoniam gustus per se voluptatem haud afferre videtur, sed tantùm ratione tactus, quatenus scilicet cibus vel potus attingit nervos & membranas, quæ tactus instrumenta, unde intemperantes, non tam visu odore & sapore delectari comperias, quàm comestione ciborum, & bibitione liquorum, hoc est, fruitione, quæ tota in tactu efficitur, quo qui gaudent, non capiunt voluptatem, nisi ex plenâ & omnimodâ fruitione, totos cantharos exhauriendo, integrasquè obsoniorum patinas deglutiendo, judicio vini, quod est in gustu,

nullo

nullo ferè existente helluonum, qui non olfaciunt temetum, cum Varrone Noniano, & poculum naribus sæpè admovẽtes omnes vini suavitates aucupantur, cum Sileno Euripidéo, pitissando & repitissando vina probantes, aut probaturientes veriùs, sed cum temulentâ aniculâ Plautinâ, cùm eorum naribus objicitur veteris vini flos, non contenti odore ejus, cupiunt dari, non naso tantùm, sed gutturi suo gaudium; quò tangere, invergere in se liquorem ejus ductim possint, immò haustim, cujus rei causâ Philoxenus fertur sibi optâsse collum trium cubitorum, haud minùs, inquam, longum, quàm collum gruis, cur, nisi quia impensè delectabatur tactu, tum quia tactus voluptatibus temperare difficilius, quàm gustus, circa difficiliora verò magis occupatur virtus, & per consequens etiam temperantia.

15. Neque interim circa omnes voluptates tactus indifferenter occupatur temperantia, non utiq; circa liberales & ingenuas, quæ in gymnasiis, ex frictione atq; unctione gymnasticâ, aut in balneis, ex calefactione sudatione atque lotione balneariâ, natationeque, re vè simili, percipiuntur, quæ naturaliter bonæ, ut quæ eandem cum exercitatione vim habeant, debitoquè modo adhibitæ vitale robur excitent, modicè calefaciant, & alimenti concoctionem ac distributionem, adeoquè nutritionem, mirum in modum, promo-

promoveant, eâdemquè operâ ad valetudinem potenter conferant, sed circa illiberales & serviles, quæ tactu, in determinatis corporis partibus, gulâ putà & inguine, ex cibo potu ac Venere, percipiuntur.

16. *Objectum Temperantiæ Maximè Positivum sunt Voluptates Propriæ atque Adventitiæ Gustus & Tactus*, quales, quę cuique peculiares, secundum varias complexiones, conditiones, mores, immò morbos, tam animi, quàm corporis, ut cùm quis hunc vel illum cibum potum venerem expetit, vel propter perversam & flagitiosam naturam, vel ex consuetudine pravâ, quæ animi morbus. Φιλοτοιᾶτοι Græci appellant tales, quasi tu dicas, cujuscunque rei præter modum studiosos, v. g. piscium, ut φιλίχθυες, vini, ut φίλοινοι, mulierum, ut φιλογύνιοι. Sed cur maximè positivum? Quia enim circa has speciales gustus & tactus voluptates vel maximè occupatur temperantia, eò quòd in his facilior sit lapsus, nec is uniformis, verùm pro circumstantiarum varietate varius, ob invitamenta & incitamenta varia, quæ hominum curiositas adinvenit. Fieri quippè potest, immò subindè solet, ut quis non tantùm plùs simpliciter delectetur aliquâ re, quàm decet, sed & eâ parte, quâ non decet, vel quomodo quando ubi & coram quibus non decet, ratione objecti, cupiendo ea, quæ non oportet, voluptatemquè capiendo

do iis ex rebus, ex quibus non oportet, v g, ex cibo potu Venere non conveniente, curiosè, inquam, præparatis alimentis & liquoribus, nec minùs curiosè ornatis mulieribus, ratione qualitatis accessoriæ, cupiendo, voluptatem què ex his capiendo, alio modo, loco, tempore, vel etiam magis, quàm oportet, v g, vescendo in publico, in diversorio, cum infamibus sodalibus, utendo comessationibus nocturnis, nullâ honesti aut decori habitâ ratione, & si quæ aliæ circumstantiæ in fruendis voluptatibus observari solent, negligi verò ab utriusque ventris, tam superioris quàm inferioris, mancipiis.

17. Ut totam tractationem de objecto temperantię, quasi in tabellâ pictâ, domi exhibeam, temperantia, uti ex ipsâ vocis acceptione notum, circa voluptates versatur, hisquè modum ponit. Hæ voluptates sunt duplices, aliæ animi, aliæ corporis: At illę huc non pertinent, quare tantùm curporis voluptates: Verùm nec hę omnes, non utique, quas visu auditu & olfactu percipimus, quare eæ, quas gustu & tactu: Ac ne hæ quidem æqualiter, quare potissimùm eæ, quas percipimus tactu: Sed nec hoc omni, aut omnes, non utique, quæ toto corpore percipiuntur: Relinquitur ergò, eas voluptates tantùm hujus loci esse, quæ gulâ percipiuntur, & iis corporis partibus, quibus sexus distinguitur.

18. *Officium Temperantia circa suum Objectum*

jectum in eo iterum vertitur, ut vir Temperans teneat Medium in Cupiditatibus & Voluptatibus Gustus & Tactus, servando quintuplex hoc Decorum, Physicum, Ethicum, Oeconomicum, Politicum, & Theologicum, non solùm ab intra appetendo, sed etiam ab extra exequendo atque operando, quando, ubi, quantum, quale, & quemadmodum, appeterequè oportet, appetitisquè uti: *Decorum Physicum*, quoad indigentiam naturæ, ac virium naturalium, virtutisquè digestivæ quantitatem, satietatemquè appetitus, cùm parvo sit contentus venter, si des illi, quod debes, non quod potes, contrà verò turpe sit, stomachi sui haud nôsse mensuram, majoremquè palati & gulæ, gutturis, inquam, & ventris, quàm valetudinis, habere rationem, magisquè id operam dare, ut opprimantur vires, quàm ut reficiantur: *Decorum Ethicum*, & quoad bonam habitudinem mentis, ritè appetendo appetenda, fugiendoquè fugienda, & quoad honestatem moris, nihil voluptatum causâ faciendo, quod nomen atque existimationem boni viri lædat, & neque se efferendo voluptatibus præsentibus, nec dolendo absentibus, & quoad loci ac temporis circumstantiam, ne licitis quidem voluptatibus apud quosvis, quovis loco & tempore, indulgendo: *Decorum*

Decorum Oeconomicum, quoad proportionem ac facultatem substantiæ corporalis, sive sumtus, non plus impendendo, ne in voluptates licitas quidem, quàm res famimiliaris & facultates patiuntur: *Decorum Politico-Theologicum*, quoad jura & leges, non capiendo, nedum captando, voluptates, quæ lege civili vel divinâ sunt prohibitæ.

19. *Extrema Temperantiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Intemperantia, in defectu Stupor sive Stupiditas, non naturæ, sed consuetudinis.*

20. *Intemperantia* est vitium morale, quod in concupiscendis & fruendis voluptatibus gustus & tactus excedit modum, omnemquè molestiam, quæ ex harum absentiâ oriri poterat, inordinatè declinat ac fugit, furiosè amplectens præsentes voluptates, nec minùs anxiè appetens absentes, &, siquidem comparari nequeant, dolenter do'és, pueto malè educato nõ absimilis hâc parte. Sicut enim ille, si non castigetur, cupiditatem potiùs sequitur ducem, quàm pædagogum, suoquè vivit arbitrio& arbitratu, refraganeus immò refractarius rectæ rationi, ideoquè ejus directorio, quasi capistro morali, opus habet: Ita, nisi τὸ ἐπιθυμητικὸν hominis dissoluti à ratione coërceatur, næ ille eundo vires acquirit, contraquè

 ratio-

rationem petulanter insurgit, nullâ habitâ ratione qualitatis, dum, quæ jucunda, promiscuè concupiscit, etiam turpia, quantitatis, dum plura & majora, quàm par est, modi, dum ita avidè, ut illa omnibus rebus habeat potiora, dolore anxius, & dum iis potiri non potest, & dum concupiscit, denique circumstantiarum, dum nec loci, nec temporis, nec personarum, ullam habet rationem, dum malè desideratis desideriis potiatur modò, appetendo, vel cum famæ atque existimationis jacturâ, ea, quæ non oportet, eovè modo, quo non oportet, aut quando vel ubi non oportet, plura quin subindè, quàm oportet.

21. *Deterior Ignaviâ & Timiditate in comparatione*, tum quia actiones singulares, quibus comparatur intemperantia, magis nescio quomodo sunt voluntariæ, ut quæ sint junctæ cum voluptate, quam ultrò expetimus, tanquam optabilem; quàm quibus comparatur ignavia timiditasvè, ut quæ sint junctæ cum dolore, quem ultrò refugimus, tanquam inimicum naturæ, jam verò, quò vitium aliquod magis voluntarium, hoc deterius, reprehensionequè, & odio majori dignum, quò autem minùs voluntarium, hoc minùs malum, reprehensionisquè ideò minoris, & per id odii, tum quia, quò faciliùs virtuti alicui assuescitur, hoc fœdiùs ab eâ descisscitur declinaturquè ad extremum ma-

gis

gis contrarium, jam verò multò faciliùs temperantiæ quis assuescit, & per eam voluptatibus moderatè expetendis ac perfruendis, quàm fortitudini, & per eam periculis intrepidè adeundis ac sustinendis, quorum illud crebras habet occasiones, & sine periculo, hoc raras, & cum periculo.

22. *Stupor* est vitium morale, quod in concupiscendis fruendisquè voluptatibus gustus & tactus deserit modum, omnes, etiam necessarias & honestas voluptates, spernens, nullamquè molestiam, quæ ex harum oriri poterat absentiâ, capiens, à quo defectu, quòd videlicet deficiat in consectandis voluptatibus, describitur potiùs, quàm ab excessu, quòd excedat in his aspernandis. Sic dictus à stupâ, quia ut hæc rimas in carinis obturat, ita stupor sensus & rationem. Græcè Philosophantibus ἀναισθησία audit, non negativa tamen, inferens negationem sive extirpationem sensus, & appetitus sensitivi, sed privativa, inferens defectum ejus circa voluptates legitimas gustus & tactus, eò quòd nihil ampliùs sentire videatur stupidus.

23. *Atque hæc de Temperantiâ in genere, cum ejus Extremis, putà Intemperantiâ & Stupore: Excipit Temperantia in specie, quoad Partes Subjectas, cum suis item Extremis.*

24. *Partes Subjecta Temperantia sunt, Abstinentia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia.*

25. *Abstinentia* est temperantia, in cibis sumendis temperamentum rectæ rationi consentaneum servans, tam objectivè, sive ratione materiæ seu quantitatis, quàm formaliter, sive ratione formæ seu qualitatis: Ratione materiæ seu quantitatis, capiendo tantum cibi permissi, ejusquè parabilis, & salubris potiùs, quàm delicati, oblati, quàm quæsiti, & nec corpori gravis, nec patrimonio, tantum, inquam, cibi, quanto opus est: Ratione formæ seu qualitatis, capiendo cibum, habito intercè respectu honestatis, non saturitate, sed voluntate edendi, finem faciente, tum Proportione, non Arithmeticâ, sive ad pondus, sed Geometricâ, sive ad justitiam. Neque enim omnibus indifferenter hominibus, cujuscunque sint ætatis, sexus, complexionis, una mensura cibi, vel secundum quantitatem discretam, sive numerum & multitudinem, vel secundum quantitatem continuam, sive molem & magnitudinem, præscribi, vel potest, vel debet.

26. *Extrema Abstinentiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Edacitas sive Voracitas, in defectu Nimia à Cibo Abstinentia.*

27. *Edacitas sive Voracitas* intemperan-

perantia circa cibum, in edendo temperamentum ejus excedens, idquè quintupliciter.

Præproperè, Lautè, Nimis, Ardenter, Studiosè:

Quorum adverbiorum, quæ in moralibus emphaticatera, quàm ipsa verba, hæc ratio classica reddi solet, quòd excessus abstinentiæ spectari possit, vel circa ipsum cibum, qui comeditur, vel circa illius sumtionem sive comestionem. Circa cibum iterum, vel ratione substantiæ, vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis, sicut circa sumtionem ejus, vel ratione modi, vel ratione temporis. Ratione substantiæ est excessus, cùm appetuntur cibi preciosiores, quàm convenit statui, ut si religiosus, contemtis aliis cibis, nolit comedere nisi perdices phasianos ficedulas, id quod insinuatur per τὸ Lautè. Ratione qualitatis est excessus, cùm in condimentis, & studio præparandi, est excessus, ut si nolit idem comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis, sit conditum, si, inquam, quæ sapida sunt, salubribus præferat, nullâ valetudinis habitâ ratione, id quod insinuatur per τὸ Studiosè. Ratione quantitatis est excessus, cùm nimium comeditur, hoc est, plus quàm natura requirit, abdomine cibis supra modum onerato & distento, id quod insinuatur per τὸ Nimis. Ratione modi est excessus, si

quis voraciter comedat, cibos non manſos devorando, ſi primus, ut canis in ollam, in patinas irruat, cumquè Philoxeno raptim abliguriat omnia, atque in ventris barathrum conjiciat, diripiendo optima quæque, & aliis præripiendo, pane obſoniorum, & obſoniis panis loco habitis, id quod inſinuatur per τὸ Ardenter. Ratione temporis eſt exceſſus, cùm tempus debitum prævenitur, ſæpiusquè, quàm decet, cibus capitur, ut ſi quis à ſummo mane ad noctûrnam uſque ſtellam epuletur, horamquè prandii aut cœnæ impatientiâ gulæ præſtolari nequeat, id quod inſinuatur per τὸ Præproperè, Tales voraces homines Græcè philoſophantes vocant φιλοδείπνους, ἐπεργνάθους, ὀψοφάγους, γαστριμάργους, γαστέρες, Latinè verò Philoſophantes, lurcones, comedones, glutones, catillònes, liguriones, ventres, & in genere guloſos à gulâ, vocabulo gulæ accepto ſtrictè, de inordinatione in cibo, non potu.

28. *Nimia à Cibo Abſtinentia* eſt ſtupor circa cibum, in edendo temperamentum ejus deſerens. Dico nimia, quia non omnis abſtinentia à cibo eſt vitioſa, non utique ea, quâ corpus factum eſt ſanius: Quæ ergò? Illa, quæ eſt noxia, qualis eorum, qui non tam ventri, quàm ventriculò, bellum indixerunt, ſubducendo huic neceſſaria cibi ſtabilimenta.

29. *Sobrietas* est temperantiæ, in potu assumendo temperamentum rectæ rationi consentaneum servans, tam objectivè, sive ratione materiæ seu quantitatis, quà discretæ, quà continuæ, quàm formaliter, sive ratione formæ seu qualitatis, capiendo tantū & talem potum toties, quantum & qualem, & quoties oportet. Ut ita objectum, tam materiale, quàm formale, sobrietatis sit potus ritè sumtus, argumento ipsius etymi. Dicitur quippè sobrius quasi sebrius, ex se *στερητικῷ* privativo, & voce ebrius, quasi tu dicas, non ebrium, quæ vox ebrii descendit à vocabulo briâ, valente mensurā, ut sobrius nominaliter sit, qui è briâ tantum hausit potus, quantum par est.

30. *Extrema Sobrietatis & ipsa duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In Excessu ei opponitur Bibacitas sive Ebriositas, in defectu Nimia à Potu Abstinentia.*

31. *Bibacitas sive Ebriositas* est intemperantia circa potum, in bibendo temperamentum ejus excedens, vel ad violentam rationis privationem usque. Dico, circa potum, quia sicut edacitas consistit in excessu in cibo, ita bibacitas in vini, temeti, vel cujusvis alterius potus, sive liquoris inebriantis, excessu. Violentia & Temulētia exindè.

32. *Differt ab Ebrietate*, quia ebrietas, sicut ira, ex causâ, ebriositas verò, sicut iracundia, ex moribus, cùm ebriosus nihil sit aliud,

quàm sæpè multumquè ebrius, illa affectio corporis & animi ex vino orta, nonnunquam & sapienti obveniens; hæc ipsa propensio & proclivitas ad ebrietatem, sive ipse vitii habitus, ex vitiosâ consuetudine inebriandi natus, sicut ex consuetudine irascendi videmus nasci iracundiæ habitum, ex consuetudine scurrandi, habitum scurrilitatis.

33. *Nimia à Potu Abstinentia* est stupor quidam circa potum, in bibendo temperamentum ejus, hoc est, modum rectæ rationi convenientem, deserens. Dico nimia, quia non omnis à potu abstinentia est vitiosa, non utique ea, quâ corpus factum est sanius. Quæ ergò? Illa, quæ est noxia, qualis eorum, qui non bibunt, cùm est opus, quod tam in vitio, quàm bibere, cùm non est opus, quorum utrumque noxium, sed illud magis naturæ, hoc moribus.

34. *Castitas* est temperantia in Venere exercendâ & inexercendâ temperamentum, hoc est, modum rectæ rationi consentaneum, servans, tam objectivè, sexum erga, quàm formaliter, sive eo tenore & modo, quo convenit. Quemadmodum enim abstinentia moderatur internè affectum, externè effectum sive usum, in cibo seu esculentis, sobrietas in potu seu potulentis, ita castitas in Venere, ne plus alio, temporevè, locovè, modovè, finevè, illâ delectemur

mur utamurvè, quàm ex rectæ rationis præscripto, secundum præsentem statum, unicuique convenit.

35. *Differt à Cognatâ Pudicitiâ* quoniam castitas est animi, pudicitia verò gestuum exteriorum.

36. *Extrema Castitatis duo sunt; alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Libido, in defectu Nimia à Venere Abstinentia.*

37. *Libido* est intemperantia circa Venerem, in hâc temperamentum, hoc est, modum rectæ rationi convenientem, excedens, tam objectivè, quàm formaliter.

38. *Differt ab Impudicitiâ* quia libido intùs in animo est, impudicitia verò extùs in verbis gestibus & actionibus.

39. *Nimia à Venere Abstinentia* est stupor quidam circa Venerem, temperamentum ejus, hoc est, modum rectæ rationi convenientem, deserens, intra conjugium quod fiat tamen. Abstinentia enim à Venere in conjugatis tantùm, non in cælibem vitam agentibus, potest esse vitiosa, nisi amorem etiam licitum, qualis conjugii, fugiant & aversentur cum Diogene Cynico misogamo, contra omnem rationem. Sicut enim ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum, ita ad conservationem totius generis humani usus venereus sive Veneris. Quod enim est cibus ad salutem ho-

hominis, hoc eſt, concubitus ad ſalutem generis humani, & ideò, ſicut uſus ciborum poteſt adhiberi abſque peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundum quod competit ſaluti corporis, ita etiam uſus Veneris poteſt adhiberi abſque peccato & ſcandalo, ſi fiat debito modo atque ordine, ſecundum quod eſt conveniens ad finem generationis humanæ.

40. *Pudicitia* eſt temperantia, in rebus Venereis temperamentum, hoc eſt, modum rectæ rationi convenientem, ſervans, tam objectivè, circa oſcula, complexus, colloquia, geſtus, & id genus alia, quàm formaliter, ſive eo tempore tenore ac modo, quo convenit, ſic dicta à pudendo, quòd eam pudeat facere, quod putet, ſive turpe eſt.

41. *Differt à cognato Pudore*, quòd pudicitia ad actiones, pudor ad verba referatur, non ſine metu infamiæ. Quid enim alud pudor, quàm ob aliquam rem ſordidam timor?

42. *Extrema Pudicitiæ duo ſunt, alterum in Exceſſu, alterum in Defectu. In exceſſu ei opponitur Impudicitia, in defectu Nimia à Rebus Venereis Abſtinentia.*

43. *Impudicitia* eſt intemperantia circa res Venereas, in his temperamentum, hoc eſt, modum rectæ rationi convenientem, excedens, tam objective iterum, quàm formaliter.

44. *Nimia à Rebus Venereis Abſtinentia* eſt ſtupor quidam circa res Venereas, tempe-

ramen-

ramentum earum, hoc est, modum rectę rationi convenientem, deferens, tam objectivè iterum, quàm formaliter.

CAPUT XXXIV.

De Liberalitate, & hujus Extremis, id est, inde Prodigalitate, hinc Avaritiâ.

§. I. L*iberalitas, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic appellatur, vel à subjecto, sive liberalibus & ingenuis hominibus, quibus digna vel maximè, non quasi his tantùm debeatur tamen, sed quòd à libero eorum animo proficiscatur, vel ab objecto, seu re liberali & ingenuo homine digna, vel à formâ, sive liberâ & libenti datione, vel ab effectu, eoquè duplici, tum quòd possessores suos efficiat liberales, eosquè in libertatem afferat è divitiarum atque opum servitute, quarum complures sunt vilissima & abjectissima mancipia, tum quòd alios à necessitate egestatequè liberet. Munificentia, Largitas, Parsimonia, Benignitas, Beneficentia aliter Latinis, Græcis verò Ἐλευθεριότης χρηστότης, Εὐεργεσία, ab actione principe.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic definitur ab Aristotele, quod sit Medietas circa τὰ κτήματα καὶ χρήματα, Prodigalitatē inter & Avaritiam: Vel, quod eodem redit, Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Me-

diocritatem in appetendis dandis & accipiendis Pecuniis Mediocribus.

3. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Liberalitatis est Virtus Moralis*, ut quæ & ipsa sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam putà rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciat habentem, ejusquè opus rectum ac perfectum det, ut benè utatur pecuniis, quibus malè uti poterat: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis.

5. *Differentia Specifica Liberalitatis, illa verò sumitur ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Liberalitatis universè, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Liberalitatis Internum est Φιλαργυρία Bona, sive Desiderium & Studium Pecuniarum Mediocrium*, in animo producentis actionem pecuniariam bonam.

8. *Objectum Externum Liberalitatis, vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Liberalitatis sunt Bona Animi & Corporis*, quia ea nequimus, ut elargiri, ita prodigere, nisi

nisi fortè quoad usum, non substantiam: hoc est, impropriè, non propriè. Non elargiri propriè. Si enim v g, Doctor aliquis alicui liberaliter comunicet doctrinam suam, eo ipso non communicare præsumitur propriam scientiam docendo, cùm nemo queat scientiam suam transferre in dominium discentis sive discipuli, nedum ut queat illam transferre, quam sibi discipulus discendo acquirit, cùm eam nunquam habuerit, licet interim communicare laborem suum queat discipulo, quem docendum suscipit, usumquè suiipsius ad scientiam acquirendam, qui labor, & qui usus, nummo utique mensurari potest. Qui enim, v g, sapientiam suam & artes non congruo pandit tempore, inquè medium profert, næ ille prodigus dici potest, sicut, qui easdem abscondit & sepelit, præterquè se neminem alium scire vult, avarus, verùm analogicè scilicet.

10. *Objectum Externum Positivum Liberalitatis sunt, in genere Bona Externa, neque tamen omnia indifferenter, in specie verò Pecuniæ Mediocres, quà utiles,* hoc est, non secundum seipsas, sed secundum quod veniunt in usum humanum, ceduntquè in utentium utilitatem, ut aliæ res venales, donabiles, locabiles. Atque harum erogationi modum ponit hæc virtus, & ratione χρήσεως sive

possessionis, adeoque quà sunt κτήματα, & ratione χρήσεως sive usus, adeoquè quà sunt χρήματα, nomine pecuniæ accepto, non οὐσιωδῶς, sive essentialiter & strictè tantùm, pro monetâ principis sigillo signatâ, pecuniâ, inquam, numeratâ, verùm ἀναλογικῶς, interpretativè & fusè, pro omni re, quæ in communicationem cadit, cujusquè valor numismate potest mensurari, ex quâcunque tandem materiâ illa sit, adeoquè pro pecudibus & pecoribus, arboribus, agris, fundis, prædiis, satis, vineris, vino, oleo, equo, nave, ædificiis, rebusquè, tam immobilibus, quàm mobilibus, & tam corporibus, quàm juribus incorporalibus, tribus verbis, pro patrimonio, sive rebus & facultatibus, quæ sunt in patrimonio.

11. *Officium Liberalitatis est, Dare & Accipere*, quorum alterum, purà accipere, pertinet ad generationem pecuniæ, alterum verò, purà dare, ad usum ejus

12. *Ut ita duplex sit actus Liberalitatis*, *Δόσις καὶ Λῆψις, Datio & Acceptio, sed hactenus, ut Officium ejus cernatur universè magis ἐν Δόσει, sive in Dando, quam ἐν Λήψει, sive in Accipiendo*, fide sequentium. I. Quia species actus sumitur ex objecto, quod liberalitatis est pecunia, actus verò ejus proprius, rectè eâ uti: Atqui hic actus consistit in datione ejus potiùs, quàm in acceptione: Ergò! Vel ideò etiam, quia præstat ditare, quod dationis,

tionis, quàm ditescere, quod acceptionis; quorum illud ingenio liberalis magis convenit, qui δοτικὸς potiùs, sive dativus, vel naturâ, vel moribus, quàm ληπτικὸς καὶ φυλακτικὸς, sive acceptativus & custoditivus. II. Quia virtutis moralis magis proprium, εὖ ποιεῖν, benè de altero mereri activè, quàm εὖ πάσχειν, beneficio affici passivè, quorum illud honestum, hoc utile: Atqui dando quis εὖ ποιεῖ, accipiendo verò εὖ πάσχει: Ergò! III. Quia ejusdem virtutis moralis magis proprium, honestè agere, quàm non agere turpiter, quorum illud largitionis & impensæ, hoc acquisitionis & custodiæ: Atqui dando quis honestè agit, accipiendo verò non tam honestè agit, quàm sibi cavet tantùm à turpitudine, dum non accipit, quando, ubi, à quibus, & quomodo non oportet: Ergò! IV. Quia dictæ virtutis morlis id magis proprium, quod majorem amorem favorem & laudem causatur: At dando id magis fit, quàm accipiendo, cùm amabilius, adeóquè gratiosius sive favorabilius fit, laudabiliusquè, dare quàm accipere, ob utilitates, quæ inde in alios redundant, non item hinc: Ergò! V. Quia in difficilioribus magis conspicitur virtus moralis, quàm in facilioribus: Atqui difficilius, sua dare aliis, quàm ab aliis accipere, quin immò quàm non accipere aliena: Ergò! VI. Quia, servatoris nostri effato, beatius dare, quàm acci-

accipere, ut vel ipſum nomen liberalitatis arguit, ſic dictæ à liberando, quòd retinentis quaſi vinculis liberetur pecunia tunc, quando ad alterum liberè tranſit.

13. *Sed tamen & ἐν Λήψει ſive Accipiendo quoque*, tum quia uſque dare non poteſt, qui nihil unquam recipit, tum quia, qui nihil ab aliis accipere vult, tacitè damnare videtur eos, qui accipiunt, quaſi & ipſi nihil debeant accipere, tum quia denique æquè peccari poteſt in accipiendo, cum avaro, qui nimium accipit, & cum prodigo, qui minimum, atque in dando, cùm eodem avaro, qui minimum dat, & cum eodem prodigo, qui nimium.

14. Scilicet is eſt actus liberalitatis, qui contrarius eſt actui prodigalitatis & avaritiæ: Ergò actus ejus non tantùm dare, in quo modum excedit prodigus, deſerit avarus, ſed etiam accipere, in quo modum deſerit prodigus, excedit avarus, quem modum utrinque ritè tenet & ſervat liberalis.

15. *Cæterùm Pecunia, ut Datur ita Accipitur Benè Moraliter ſeptupliciter, nempè, Quantitatis Qualitatis Finis Modi Perſonarum Loci & Temporis reſpectu.*

16. *Reſpectu Quantitatis dant benè*, qui in dando habent rationem ſui, ſive Dantis, & alterius, ſive Accipientis: Dantis, dum ſuccurrunt aliis ἐκ τῶν ὑπαρχόντων pro facultatibus ſuis, copiis & viribus, ſubindè animo ma-

majori, quàm opere, qui animus in virtutum actionibus magis spectatur, quàm res, quæ sub aspectum cadunt, atque in oculos incurrunt: Accipientis hinc, dum plus dant, v.g. pauperi quàm minùs inopi, cęteris paribus, libero quàm servo, calamitoso quàm felici, amico quàm alieno, viro probo quàm improbo, & univerè ei plus, ex cujus parte causæ, quæ ad benefaciendum invitant, plures sunt, efficacioresquè.

17. *Respectu Qualitatis dant benè*, qui dant justè, & utiliter: Justè, hoc est, de suo, non alieno, ita ut eripiantur aliis, quæ aliis dentur, cùm nihil sit liberale, quod non idem sit justum, quæ liberalitas, quamvis non sit species justitiæ, quia justitia exhibet alteri, quod est ejus, necessariò, liberalitas verò id, quod est suum, voluntariè, tamen arctam quandam convenientiam cum eâ habet, ut quæ sit & ipsa principaliter ad alterum, sicut justitia, sed illa necessariò, hæc voluntariè, ut modò annotavi: Utiliter hinc, hoc est, ita, ut eorum, putà dantium benè, liberalitas prosit amicis, noceat nemini, quoniam ea danda & donanda moribus, (moribus autem, immò & legibus,) quæ prodesse & juvare queunt, non obesse & nocere, qualia vel petentibus negare beneficium est, v.g. frigidam ægris, ferrum lugentibus ac sibi iratis.

18. *Respectu Finis dant benè*, qui dant τοῦ κα-

καλῦ καὶ πρέποντος ἕνεκα, honesti & decori causâ, non sequentes fructum beneficiorû, ut illi, qui ad alienum commodum pro suo veniunt, sed ipsa. Usque adeò liberalis, sive ille parum & parvum, sive multum & magnum largiatur, tam illic, quàm hîc, servat τὸ καλὸν καὶ πρέπον, exemplo artium, quæ tam in parvis rebus elucent, quàm in magnis, quin immò sæpè magis in parvis, v g. ars pictoris, tam in parvâ tabulâ, quàm magnâ, ars sculptoris, tam in sigillo, quàm signo.

19. *Respectu Modi dant benè*, qui dant Celeriter, quia omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere, unde, qui citò dat, bis dicitur dare vulgò: Hilariter, hoc est, non tantùm sine molestiâ, sed insuper cum voluptate: Humiliter adhæc, quia in beneficio nihil æquè vitandum, ac superbia.

20. *Respectu Personarû dant benè*, qui dant dignis beneficentiâ suâ. Digni autem sunt: I. Viri boni, II. Ii, qui vel necessitudinis & sanguinis, vel mutuæ benevolentiæ nexu, nobis sunt conjuncti, nisi quid aliud accedat. III. Benè de nobis & nostris meriti. IV. Egeni, vel indigni, sed hactenus, ut, quando utrosque dextrâ largitatis provehere nequimus, dignos indignis præferamus, non quasi liberalis non interdum det etiam indignis, eò quòd, ad pecunias quod attinet,

mini-

minimè sit difficilis, ideoquè decipi facilè queat, obrepi ab indignis illi queat, sed quòd in tali casu magis doleat, quòd non consumserit, cùm oportuit, quàm quòd consumserit, cùm non oportuit, non piget dedisse egenis, sed dedisse talibus egenis, hoc est, indignis.

21. *Respectu Loci dant benè*, qui beneficia, quæ honoris causâ tribuuntur benevolis aut benè meritis, apertè & publicè tribuunt, quò suum erga illos, quibus exhibentur, testentur studium, atque animum gratum, ita tamen, ut absit ostentatio, quæ verò tribuuntur egestatis sublevandæ ergò, ea privatim & clam, cùm ea vulgare nihil aliud sit, quàm accipienti inopiam exprobrare, huicquè pudorem incutere, etiam quin inscienti quandòque atque ignaro, putà tunc, cùm egestatem ejus cum Arcesilao sublevare studemus, cui cordolium est aliorum opibus indigere, quiquè adeò domesticam paupertatem suam foris dissimulat cum Ctesibio Philosopho.

22. *Respectu Temporis dant benè*, qui dant in loco, hoc est, tempore opportuno, in quo venire etiam hîc omnium rerum est primum, convenienter dicto Anthologi, odi amicis seriùs succurrere.

23. *Respectu hinc Quantitatis accipiunt benè*, qui non accipiunt quidvis indifferenter, quàvis

dosi,

dosi, sæpè multumquè, gnari, liberalis hoc esse proprium, esse, sæpè dare, rarò accipere, rariùs petere.

24. *Respectu Qualitatis accipiunt benè,* qui non accipiunt, nisi quod oportet: Utrumque ideò, quia accipere plus, quàm oportet, & illud, quod non oportet, neutrum est ejus, qui pecuniam contemnit, hoc est, liberalis, sed avari potiùs.

25. *Respectu Finis accipiunt benè*, qui accipiunt eo consilio atque animo, non quasi ipsum accipere honestum sit, ipsa, inquam, acceptio per se honesta sit, sed ut hâc acceptione utantur ad largiendum, hincquè eis domi suppetant copiæ ad donandum. Cùm enim duo sint actus hominis liberalis, dare videlicet & accipere, secundus ex his est gratiâ primi.

26. *Respectu Modi accipiunt benè,* qui verecundè & cunctanter, quasiquè cum accismo quodam morali: Non est namque hominis liberalis, libenter beneficium accipere, cùm excellat in dando, non accipiendo.

27. *Respectu Personarum accipiunt benè,* qui non accipiunt ab illis, quibus nollent dedisse, v g, à tyrannis. Grave siquidem est, debere, cui nolis. Ne dicam, quòd talis acceptio autoramentum sit servitutis, quasiquè sacramentum militare ad sceleris commilitiam, quam militant tyranni cum suis commilitonibus.

28. *Re-*

28. *Respectu Loci accipiunt benè*, qui accipiunt, ubi debent, privatim accipienda privatim, publicè accipiēda publicè, sive in publico.

29. *Respectu Temporis accipiunt benè*, qui accipiunt quandoque, ne, si nunquam ab aliis accipiant, prædamnare hâc abstinentiâ suâ videantur eos, qui accipiunt, quasi & ipsi non debuerint accipere.

30. *Extrema Liberalitatis duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Prodigalitas, in defectu Avaritia*, utraque in dando, non accipiendo, quomodo prodigus potiùs deficit, avarus excedit.

31. Scilicet prodigalitas & avaritia, diversâ ratione, & excedunt, & deficiunt. Versantur enim in duobus, nimirum in dando & accipiendo, in eisquè se habent modo quodam contrario. Nam prodigus in dando, & sumtus faciendo, modum superat, sed in accipiendo eundem deserit, contrà avarus in accipiendo modum superat, in dando verò eundem deserit, atque ita prodigus in consumendo est nimius, in accipiendo autem restrictior, avarus contrà in accipiendo nimius, in dando autem sive erogando restrictior. In primo horum consistit exorbitantia prodigi propriè, in ultimo verò avari, non mediis actibus.

32. *Prodigalitas* est vitium morale, sua temerè prodigens ac profundens, & ab aliis, vel nihil, vel parum, vel inhonestè, accipiens, alterum

alterum per ſe, alterum per accidens. Sed cur inhoneſtè? Quia enim, dum vult usque largiri, cum ſua prodegit, cogitur aliundè rapere, quod aliis largiatur: Atque horſum prodigalitas eſt cauſa avaritiæ. Qui enim multa profundunt, cùm non ſint ipſis opes inexhauſtæ, næ illi coguntur malis artibus ac ſtudiis aliundè fomenta conquirere pro vitio profuſionis. Prodigentia & Prodigitas aliter γυμνοίως Latinis, à prodigendo, item Profuſio, à profundendo. Græcis Ἀσωτία, ab ἀ privativo, & σώζειν, eò quòd prodigi, neque ſua ſatis ſervent, neque ſe. Dum namque victum perdunt, eo ipſo vitam etiam peſſundant, cùm perditio quædam ſuiipſius ſit facultatum interitus, ut quibus vitam tueamur. Perire ſiquidem videtur, qui perdit, unde vitam ſuſtentare poſſit.

33. *Prodigalitas hæc, vel Simplex eſt, vel Compoſita ſive Mixta.*

34. *Prodigalitas Simplex* eſt, quæ dando excedit, amore ipſius dationis, in quantum ipſa datio ſecundum ſe videtur eſſe bona & honeſta, niſi ſequatur quid inhoneſti, accipiendo verò deficit, vel, quod eodem redit, prodigalitas ſimplex eſt, quæ modum in dando excedit, nullâ habitâ ratione honeſtatis & decori, merâ prodigendi libidine, ſine reſpectu ad facultates, perſonas, locum, tempus.

35. *Prodigalitas Compoſita ſive Mixta* eſt, quæ & in dando, & in accipiendo, modum exce-

excedit, non amore ipsius dationis, sed ex aliis occasionibus, asciscendo alia vitia, intemperantiam, ambitionem, injustitiam, opibusquè ad voluptates, libidines, luxuriam, blanditias ciborum & liquorum, ambitionem, ostentationem, vim, injuriam abutendo, qualis eorum, qui dant pecuniam meretricibus propter fornicationem, histrionibus propter delectationem, adulatoribus propter laudationem, omnibus propter ostentationem.

6 Dicitur composita sive mixta, composita, quia secundum eam agens, partim prodigus est, partim avarus, prodigus in quantum erogat, ubi non oportet, avarus, in quantum capit, unde non oportet, mixta verò, quia aliis cum vitiis miscetur, maximè intemperantiâ, quoniam plerique, saltem multi prodigorum, solent esse intemperantes. Cùm enim facilè sua profundant, etiam in libidines & delicias sunt sumtuosi, sicut ambitiosi in honorum nundinationes, vindictæ cupidi in ultionis studia.

37. *Avaritia* est vitium morale, quod vel in dando parum, vel in accipiendo nimium, mediocritatis fines egreditur: Sic dicta ab auro & avendo, quòd avida sit auri, illudquè accipiat magis, quàm det. Aviditas & Tenacitas aliter Latinis: Græcis φιλοχρηματία, φιλοπλουτία, φιλαργυρία, & κατ' ἐξοχὴν Ἀνελευθερία sive Illiberalitas audit, eò quòd sit res illi-

illiberalis, & homine libero indigna, in dando deficere, & contrà in accipiendo excedere.

38. *Avaritia & ipsa, vel Simplex est, vel Composita sive Mixta.*

39. *Avaritia Simplex* est, quæ dando deficit, & accipiendo excedit. Atque hæc pessima est, quia & in dando simul, & in accipiendo, peccat, dum nihil, quibus dare debebat, dat, & plus quàm debebat, accipit.

40. *Avaritia Composita sive Mixta* est, in quâ dividuntur hæ actiones, quæquè adeò, vel tantùm largiendo deficit, sine excessu λήψεως sive sumtionis, vel tantùm accipiendo excedit, sine defectu δόσεως sive dationis.

41. Tantùm largiendo deficit, sine excessu sumtionis, dans infra modum quidem, dum non dat, quibus debebat, neque interim aliena supra modum appetens, aut accipiens injustè, idquè, vel probitate quâdam, rerumquè turpium fugâ, hoc est, studio fugiendæ turpitudinis, consistentis in eo, quòd, cùm non det, nihilominùs accipiat, quod turpe utique, vel præ metu, ne, si accipiat, cogatur majora reddere, quod qui facere amant à Græcè philosophantibus nominantur φειδωλοὶ præparci, eò quòd nimis quàm parci sint, sumtusquè recusent facere, non solùm in amicis, verùm in seipsis alendis, γλίσχροι tenaces & viscosi, eò quòd nimis quàm lenti sint

in

in dando, metaphorâ ductâ ab iis rebus, quæ manibus facilè adhærescunt, cùm tanguntur, ita siquidem eorum manibus pecuniæ videntur esse agglutinatæ, ut inde avelli nequeant, κίμβικες item, quasi sordidè parci, tenacitérquè restricti, instar vespæ, & ῥυπαροὶ, sordidè avidi, atq; avidè sordidi, sumtâ metaphorâ, vel à metallorum scoriis, adulterinâquè monetâ, vel à sordibus, quæ in summis digitorum unguibus colliguntur, vel ab illuvie, quę distringitur à corporibus oleo illitis post sudorem, denique κυμινοπρίσται cuminisectores, eò quòd minutissima quæque magni faciant, & nimis quàm parcè dispensent, tantæ tenacitatis, ut cumini granum non ausint integrum dare, sed partem ejus abscindere conentur, vel cum periculo læsionis, τελγώβιοι item, fece victitantes, & μονοφάγοι solivescæ, & preminummi, eò quòd faciliùs Herculi quis clavam extorserit è manu, quàm his nummum. Tantùm hinc accipiendo excedit sine defectu dationis, idquè tam in contractibus voluntariis, lucri gratiâ sordidissima quæquè subiens ministeria, nullumquè in accipiendo modum tenens, etiam cum infamiâ, quàm in contractibus invitis.

42. Prioris generis avari sunt, lenones, perductores, meretrices, fœneratores, heredipetæ, testamentorum captatores, caussidici, parasiti, & si qui hujus furfuris alii: Posterioris generis avari sunt, sycophantæ, alea-

 tores,

tores, fures, latrones, grassatores, qui turpilucres, sive turpis lucri studiosi, omnes.

43. Quærunt hoc loco in Peripato, *Avaritiane deterior sit Prodigalitate, an Prodigalitas Avaritiâ?* Respondent, quòd Avaritia Prodigalitate, hoc argumento, quia prodigalitas sit vitium sanabile & curabile, propter saniorem animum ac mentem prodigi, quàm avari, faciliioremquè ejus reductionem ad medium, causatam, vel ab ætate atque consilio, vel ab inopiâ, enimverò avaritia vitium insanabile atque incurabile, & ipsum, tum ab ætate, tum ab inopiâ, quam explere omnes studemus naturaliter.

44. Sunt & aliæ rationes, quæ idemmet probant in specie. I. Quia avaritia minùs affinis virtuti mediæ, ut quæ minorem cum eâ cognationem habeat in operando, difficiliusquè ideò ad medium ejus reducatur, non secùs ac ignis ad aquam difficiliùs, quàm aërem: Jam verò, quò vitium aliquod minus est affine virtuti mediæ, difficiliusquè ad ejus mediocritatem redigitur, hoc utiq; majus, sive magis malum! II. Quia avaritiæ vitium aliis nocet, quà negativè, dum nulli benè facit, quà positivè, dum vi sæpè & rapinâ ab aliis accipit, prodigalitatis contrà vitium aliis prodest, dum eos profusâ largitione suâ beat: Jam verò, quod aliis nocet, id utiq; deterius eo, quod aliis prodest. III. Quia vitium avaritiæ ignominiosius, cùm per illud homo se reddat mancipium pecuniæ, rei infimæ: Ignomi-

miniosius autē? Immò & damnosius in publicum, ut quod Reipublicæ sit, vel conversivum, vel perversivum, vel eversivum, eam reddens venalem, auro corruptis magistratibus, dū emtorem inveniat modò: Jam verò, quò vitium aliquod ignominiosius & damnosius, hoc pejus. IV. Deniq;, quia magis in avaritiâ peccant homines, quàm in profusione, magisquè ad illam, quàm ad hanc, sunt propensi naturaliter, cùm pleriq; mortalium potiùs sint φιλοχρήματοι, pecuniæ studiosi, quàm δοτικοὶ, ad largiendum faciles, loquēdo de hominibus adultis: Jam verò, quò vitium aliquod est familiarius usitatius & frequentius, quòquè ad id homines magis suâ sponte propendent, quò, inquam, illud est ἀνθρωπικώτερον utroq; modo, hoc utiq; deterius est, virtutiquè magis adversatur.

CAPUT XXXV.

De Magnificentiâ, & hujus Extremis, id est, inde Luxu, hinc Sordibus.

§. I. *Magnificentia, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, à magnifaciendo descēdit Latinis, transferturquè subindè ab eis quoq; ad alia, ne pè ad honores, quo magnifici dicuntur modo, qui in magno gradu honoris sunt constituti, ad orationem item, habitū, & incessum, quomodo magnificè quē loqui, vestitum esse, incederequè dicimus, verùm impropriè, non propriè. Græcis Μεγαλοπρέπεια vocatur, ἀπὸ τοῦ μεγάλου καὶ πρέποντος, eò quòd servet τὸ πρέπον ἐν μεγάλοις, decorum in

magnis. Ut ita vocabulum μεγαλοπρεπείας constet duabus partibus, quarum altera loquitur magnitudinem, altera decorum, illam ratione materiæ, hoc ratione formæ.

2 *Sin Rem sive Realitatem ejus*, ut sic est Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem & Decorum in Magnis Sumtibus faciundis, Δαπάνη, inquam, πρέπουσα ἐν μεγέθει, non ipsa δαπάνη interim, sed virtus circa eam, quâ ad publicam utilitatem sumtus, opibus nostris tolerabiles, facimus.

3. Juvat ἀναλύειν, *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Magnificentiæ est Virtus Moralis:* Eccur? Quia enim docet benè uti sumtibus, quibus malè uti poteramus, quod proprium virtutis moralis, de cujus officio, benè uti his, quibus malè uti possumus, & quia & ipsa est habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extremà pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè facit habentem, ejusquè opus rectum ac perfectum dat, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. Ut enim videatur consistere in extremo ratione excellentiæ & magnitudinis objecti, consideratâ quantitate ejus, & qualitate personæ agentis, splendorequè actionis in ordine ad usum, tamen in medio consistit ratione

modi

modi & operationis, consideratâ regulâ rationis, à quâ nec deficit, nec eam excedit, non magis quàm liberalitas.

5. *Differẽtia Specifica Magnificẽtiæ sumitur ab Objecto ejus, & adjũctoOfficio circa illud objectũ.*

6. *Objectũ Magnificẽtiæ & ipsũ universè, vel Internũ est, vel Externũ*, ex quo utroq; simul sũto objectũ ejus totale & adæquatum cõflatur.

7. *Objectum Internum Magnificentiæ est* Φιλοδαπαγία, *sive Desiderium & Studium Faciundorum Sumtuum, Actionumquè Sumtuariarum*, amor, inquam, grandioris pecuniæ impendendę, requirens peculiarem virtutem, ob difficultatem operationis circa magna.

8. *Objectum Externum Magnificentiæ, vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectũ Negativũ Magnificẽtiæ sunt Bona Animi & Corporis*, quia ea nequimus sumtuosè, ut elargiri, ita prodigere, nisi fortè quoad usũ, non substantiã, hoc est, impropriè, non propriè.

10 *Objectum Externum Positivum Magnificentiæ* in genere *est Operabile Magnum, ut Magnum, in ordine ad Bona Fortunæ*, in specie, *& ipsi Sumtus, quibus utitur Magnificus ad Opus Magnum faciendum, & ipsa Pecunia, quibus idem utitur ad Sumtus Magnos faciendos*, illis materialiter, his instrumentaliter.

11. *Sumtus hi, vel Publici sunt, vel Privati.*

12. *Sumtus Publici sunt*, qui publicè fiunt à magistratu, aut à privato quidem, verùm ex causâ publicâ.

13. *Suntquè vel Sacri, vel Profani.*

14. *Sumtus Sacri* ſunt, qui fiunt in res, quę Deo dicantur, adquè ſacra pertinent, cultumquè divinum, ut ſunt, templa, ſive ędes ſacræ, quæ & *κυριακαὶ* ſive dominica aliter, baſilicæ, proſeuchæ, *κατασκευαὶ*, inquam, *καὶ παρασκευαὶ*, aſceteria pia, ſacella, ſacrificia, aræ, vaſa atq; inſtrumenta ſacra, *ἀναθήματα* ſacra, imagines & ſtatuæ ſacræ, Academiæ, bibliothecæ, atque, ut verbo abſolvam, omnes ſumtus, qui in honorem Dei fiunt, nominatim verò, atque in ſpecie, beneficia, quæ vocant, eccleſiaſtica, collegiaquè, cum reditibus eò pertinentibus, & piis uſibus deſtinata ſpacia, ceu ſunt, Ptochotrophia pro pauperibus, Xenodochia pro hoſpitibus, Brephotrophia pro infantibus, Gerontotrophia pro ſenibus, denique Orphanotrophia pro orphanis.

15. *Sumtus Profani* ſunt, qui ad publicum civitatis uſum ornatumquè ſpectant, ut ſunt, curiæ, dicaſteria, archiva, palatia, theatra, fora, porticns, portus, navalia, triremes, propugnacula, armamentaria, mœnia, turres, portæ, viæ publicæ, aquæductus, fontes, pontes, nymphæa, balneæ, thermæ, aulæa, ſtatuæ hydraulicæ, exoticothamiæ, epulæ publicæ, viſcerationes, donativa ſive donaria, congiaria, xenia, apophoreta, ſtipendia opima, & in genere omnia, quæ non ſine maximis publicis ſumtibus fieri poſſunt.

16. *Sumtus Privati* ſunt, qui privatim ipſum

ipsum magnificum spectant,ut sunt ędes ejus, pergulæ, umbracula, horti, prædia, agri, supellectilia, vasa argentea atque aurea, vestes, & universè res illæ, quæ splendidè quidem fiunt, sed raró, ut nuptiæ, convivia solennia, celebrationes festorum, congratulationes, exequiæ. Sed & hoc ad privatas impensas pertinere videtur, si qua res totâ civitate aut natione sit honorata, quemadmodum Thebis olim studuerunt conviviis, Lacedæmone palęstris, Athenis & Romæ spectaculis, hodiè Neapoli & Genuæ hortis, Venetiis cymbis, Antverpiæ villis, quodquè Hispani & Angli comitatu gaudent, Germani torquibus, poculisquè cęlatis, Belgæ tabulis & signis, Poloni armis & equis, item vestibus, feris atque animantibus rarioribus alendis alii.

17. *Officium Magnificentiæ, vel Primarium est, vel Secundarium: Primarium Δαπανᾷν, Facere sumtus, siquidem honestè id fieri queat: Secundarium Parcere Sumtibus, siquidem impensa non sit necessaria.* Atque ita, sicut ex unì parte cavet magnificentia, ne modum expensę, vel superent, vel non attingant, ita ex alterâ parte cavet, ne sumtus fiant, ubi non est opus.

18. *Vnde duo resultant Actus Magnificentiæ, Facere, inquam, Sumtus, & Parcere Sumtibus*, sed hactenus scilicet, ut officium ejus universè magis vertatur in faciendis sumtibus, quàm in contrahendis, sicut liberalitatis in dando magis, quàm in accipiendo, neque ta-

men semper, cùm præstet interdum sumtibus parcere, quàm sumtus facere, hisquè se dare.

19. *Cæterũ Sũtus fiũt, hisquè Parcitur Moraliter Benè septupliciter, nẽpè Quãtitatis Qualitatis Finis Modi Personarũ Loci & Tẽporis respectu.*

20. *Respectu Quantitatis sumtus faciunt benè*, qui eos faciunt secundum facultates, h. e. ita, ut conveniant facultatibus, & neq; majores sint, quam fert familia, minoresvè, ad plus interim potiùs declinent, quàm ad minus, in comparatione, quia magnifici proprium, operibus & impensis usque antecellere, neq; pati, ut ab aliis in hoc genere superetur, absq; præjudicio tertii quod fiat tamen, v g. Bibuli consulis, cujus magnificentiam suam fecit Julius.

21. *Respectu Qualitatis sumtus faciunt benè*, qui eos impendunt in opera, non tantùm magna, sed honesta, splendida, utilia, diuturna. Honesta debent esse opera magnifici, quia si pecuniæ, quæ in ea conferuntur, per rapinas, & civium injurias, comparentur, rusticiquè miselli angariis ac perangariis, & in genere, operis prægraventur, quale opus fuit Neronis domus aurea, innocentum civium sanguine extructa, hujuscemodi opera, quantumvis honestè suscepta, pro operibus magnificentiæ cõmendari nequeunt, quia nihil magnificum, quod non idem sit justum: Splendida debent esse opera magnifici, quia opus magnificum convenit esse quàm pulcherrimum & decentissimum, neque esse tantùm

ma-

magnum & magnificum, sed fieri etiam magnificè: Utilia quoq; esse debent opera magnifici, certante eorum magnitudine cum magnitudine sumtuum, utrisque cum utilitate: Diuturna deniq; esse debent opera magnifici, quia hæc, preterquam quòd durabiliora, quippè ex optimâ materiâ confecta, cumquè immortalitate conjuncta, cujus magnificus est studiosissimus, etiam gratiora, ut quæ non eos tantùm, qui jam sunt in vivis, sed seram quoque posteritatem, delectent.

22. *Respectu Finis sumtus faciunt benè*, qui eos faciunt honestatis, sive solius honesti, intuitu. Cùm enim magnificentia sit virtus, hęc autem agat ob honestatem, etiam magnificus aget ob honestatem.

23. *Respectu Modi sumtus faciunt benè*, qui hos faciunt hilariter, largiter, utiliter: Hilariter, quia splendore & elegātiâ operū suorū, in quę magna impendit, vir magnificus mirum quātum delectatur, id quod fieri nequit sine animi exhilaratione: Largiter, quia idē non tā de precio cogitat, quàm de pulchritudine & specie operis, spectās magis, quàm pręclarū esse debeat, quàm quanti constet, ita tamen, ne extra modū sumtu & magnificentiâ prodeat: Utiliter, quia idem modò laudatam mediocritatem refert ad communem vitæ usum cultumquè.

24. *Respectu Personarū sūtus faciūt benè*, qui in personis servāt decorū, quod vocāt, personale, quoniā nō idem omnibus magnum, sed aliud

privato, aliud magiſtratui, aliud trierarcho, aliud architheoro, ſive legato ſacro, accommodatequè ſumtus faciunt, majores minoresvè, pro re natâ, majores, v. g, in excipiendo conſule, quàm viro conſulari, minores contrà, in excipiendo viro prætorio, quàm prætore.

25. *Reſpectu Loci & Temporis ſumtus faciunt benè*, qui eos faciunt loco & tempore convenienti, obſcurante ac deformante operis claritatem ac pulchritudinem, quamvis ſit ſumtuoſum, ipsâ loci & temporis impertinentiâ, ut ſi quis in primâ aut ultimâ urbe conſule dignam excitare paret domum, idquè appetente hieme.

26. *Reſpectu hinc Quantitatis ſumtibus parcunt benè*, qui hos non faciunt, ubi non eſt opus factis. Sicut enim impendere ſumtus, ubi eſt opus, virtutis eſt, ita iiſdem abſtinere, ubi non eſt opus, & ipſum virtutis eſt, niſi quòd illic ſe virtus videatur magis habere affirmativè, dum facit tantos ſumtus, quantis opus, hîc negativè, dum eos facere poſthabet, quia eis non eſt opus, ſaltem non tantis.

27. *Reſpectu Qualitatis ſumtibus parcunt benè*, qui abſtinent à ſumtibus abſurdis, ſupervacaneis, inutilibus, injuſtis.

28. *Reſpectu Finis ſumtibus parcunt benè*, qui his abſtinent, ne aut vanam inde aucupari gloriam, aut turpe venari ac fœnerari lucrum parcendo videantur.

29. *Respectu Modi sumtibus parcunt benè*, qui hisce abstinent, sed cum laudabili temperamento, non illaudabili, quale fuerit, si quis præ animi angustiâ, operi magno pares sumtus haud faciat, v. g. templo, quod extruendum suscepit, cratitios parietes, aut stramineum tectum, inducere velit, quò hoc minùs expendat.

30. *Respectu Personarum sumtibus parcunt benè*, qui eos non faciunt in indignos, v g, in libertum Pompeji potiùs, quàm Catonem, duplo majoribus studiis eo digniorem, eò quòd opera magnificentiæ non per se ipsa sint magnifica, sed perindè habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, est virtus, quæ non cadit in indignos.

31. *Respectu Loci & Temporis sumtibus parcunt benè*, qui iis abstinent loco & tempore alienis, loco v g obscuro, obscurante lucem eorum, temporequè calamitoso, suadente eorundum compendium, & phiditia præ syssitiis & symposiis.

22. *Ad Pauperes & Privatos usque inclusivè*. Quamvis enim subjectum primarium magnificentiæ sint homines divites, clari, illustres, nominatim homines magistratus, quia ad eos pertinet maximis sumtibus maxima opera facere, quod proprium magnifici, qui ea rectè facere possunt, sed hoc facere posse videntur illi solùm, quorum opulentia potentia dignitas & splendor plurimum com-

mendationis necessariæ operibus conciliat, accedente ad τὸ πρέπον sive δέον τῇ ἀξίᾳ, sive dignitate agentis, minimè autem pauperes, obscuri, ignobiles, privati, eò quòd his, aut opes non suppetant ad faciendos sumtus, externasquè actiones magnificentiæ celebrandas, ad quas requiruntur bona fortunæ, ut instrumenta quædam, aut si fortè suppetant, opibusquè suis freti magnificentiam aliquam velint ostentare cum Lycinio tonsore, qui sibi marmoreum tumulum erigi curavit, operibus decorum detrahat obscuritas, quæ res Thebanos movit, ut nollent urbis suæ mœnia sumtibus meretriciis restitui: Tamen subjectum secundarium magnificentiæ quoquo modo esse possunt, si minùs in his, quæ sunt magna simpliciter, nominatim in publicis sumtibus operibus atque apparatibus, minimùm in his, quæ sunt magna per comparationem, persuade, in privato aliquo opere, quod etsi in se sit parvum, potest tamen fieri magnificè, secundum proportionem illius generis, cùm parvum & magnum dicantur relativè, necnon iis, quæ semel in vitâ fiunt, aut rarò, ut in nuptiis, & similibus rebus, in quibus pauperes & privati videntur posse aliquam qualemcunque magnificentiam exercere, non tantùm quoad actum interiorem, affectum, inquam, & habitum, sed etiam quoad actum exteriorem, si vel tantillæ eis sint fortunulæ.

Sic descripta Magnificentia, differt à Liberalitate

litate gradu magis, quàm specie completâ, ut manus contracta ab expansâ, cur, quia magis & minùs non diversificant speciem, licet interim objecto, modo operationis, fine, consecutione sive consequenti, domi distinguantur: Objecto, quod magnificentiæ pecuniæ maximæ, & sumtus publici excellentes ac grandes, liberalitatis pecuniæ mediocres, & sumtus privati, erogationesquè quotidianæ: Modo operationis; qui illius δαπανᾶν, sumtus facere, hujus διδόναι καὶ λαμβάνειν, dare & accipere: Fine; qui illius magnum opus efficere, & subvenire publico, hujus debitè uti pecuniis, & subvenire singulis, horumquè egestati opitulari: Denique consecutione sive consequenti, quia omnis magnificus quidem liberalis in excellentiori gradu, includente remissiorem, non contrà omnis liberalis magnificus, quia talis in remissiore gradu, non includente intensiorem, nisi in propinquâ dispositione.

34. *Extrema Magnificentiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Luxus, in defectu Sordes.*

35. *Luxus* est vitium morale, in magnis sumtibus faciendis excedens, inepta, inquam, supercacanea & inutilis magnorum sumtuum profusio, ut si quis in theatro, loco pellium vela purpurea, æstus defendendi causâ, cum Megarensibus obducat, aut convivis ad cœnam vocatis in hieme ignem

faciat ex cinnamomo, filiivè in epulo natali omnes cibos, unà cum patinis argenteis, cùm referrentur à mensâ, in Tyberim projiciat, aut in Euripis vino plenis navales circenses exhibeat cum Heliogabalo, sumtus inconcinnè augens, supra quàm res postulat, decorumvè permittit, cunctaquè faciens, non tam honestatis quàm honoris gratiâ, ejusquè popularis.

36. *Estquè vel Simplex, vel Compositus. Simplex*, qui provenit ex solo affectu magna faciendi: *Compositus*, qui aliundè, sive ex aliquo altero, provenit, v g ex luxuriâ, vano honore, turpi delectatione, lucrovè, quorum ille sordibus melior, hic avaritiâ pejor, non ratione luxus tamen, sed aliorum vitiorum, cum quibus conjungitur.

37. Græcè Philosophantibus, dicam, an Philologantibus, modò ἀπειροκαλία, quasi ἀπειρία τοῦ καλοῦ, inscientia atque imperitia decori & honestatis elegantiæquè in sumtibus, vocatur, non ἀπυρογκαλία, quòd ad modum ignis omnia consumat inutiliter, modò, βαναυσία, à sordidis opificibus, & illis quidem maximè, qui opera sua ad ignem focum & caminum faciunt, qui βαῦνος ecis, à βαύω, quod est accendo, uro. Latinè Philosophantes illam insolentiam appellant cum Cicerone, à sumtibus insolentibus, quos facit ἀπειρόκαλος, hanc inhumanitatem cum eodem, à sumtibus inhumanis, quos facit

ὁ βα-

ἀ βάναυσος, quorum utrumque luxus vocabulo exprimitur, sic dicti à luxando, quòd luxet & solvat hominem in luxuriam, sive immoderatam profusionem.

38. *Sordes* sunt vitium morale, in magnis sumtibus faciendis deficiens, defectus, inquam, circa sumtuarias opum actiones, cùm in res magnas minutus sumtus fit, præquè animi angustiâ operi magno pares impensæ non impenduntur, aut, si impenduntur, ob nimiam parsimoniam, exiguumquè lucellum, opus cœptum ad exitum non perducitur, vel si perducitur, cunctanter admodum, anxiè vocatis ad calculum sumtuum, rationibus, horumquè magnitudine deploratâ publicè privatimquè Græcè Philosophantibus, dicam, an Philologantibus, Μικροπρέπεια nuncupatur, ἀπὸ τῦ μικρȣ̃ καὶ πρέποντος, illo positivè, hoc negativè: A Latinè verò Philosophantibus, sed minùs Latinè, Parvificentia appellatur, à sumtibus parvis, magis Latinè sordes, à sumtibus sordidis, item inhumanitas, à sumtibus inhumanis, haud decentibus hominem, mundum illud animal.

39. *Vtrumque vitium, quia à mediocritate in sumtibus faciendis deflectit utrumque, neque interim vel aquè vitiosus in excessu Luxus ac Prodigalitas, vel aquè in defectu vitiosa Sordes ac Avaritia*, quia non videntur æquè esse probrosa, dedecorosa, reprehensionequè graviori

graviori digna, tum quia aliis non nocent, quin immò prosunt potiùs, tum quia non ita sunt turpia flagitiosa & deformia in comparatione, cùm luxus magnificentiæ sit similis, sordes verò frugalitati sive parsimoniæ, & per consequens vix vitiositates, præsertim cùm perdifficile sit, in sumtibus atq; operibus magnis non hallucinari. Est quidē omne vitium vituperabile, atq; odio dignū, interiorē si habitum vitiositatemquè spectes, sumtum fusè, non æquè interim opprobriosum omne, si actiones externas spectes, sumtum strictè.

CAPUT XXXVI.

De Magnanimitate, & hujus Extremis, id est, inde Fastu, hinc Pusillanimitate.

§. 1. M*Agnanimitas, si Nomen sive Nominalitatē ejus spectes,* à magno animo, sive magnitudine animi, quæ vox magis usitata, quàm vox magnanimitatis, dicitur Latinitatis magistris, accipiturquè aliâs generaliter, pro omnium virtutum affectione, ad præclara quæq; endē e, magnanimitate omnes virtutes accessu suo faciente majores, aliâs specialiter pro fortitudine, aliâs specialissimè pro virtute, quæ in magnis honoribus appetitum humanū dirigit, mediocritatemquè auream in his custodit. Græcitatis magistris Μεγαλοψυχία audit, eâdē origine & sēsu, vel ἀπὸ μεγάλης ψυχῆς, à magno animo, vel ἀπὸ τοῦ μεγέθους τῆς ψυχῆς, à magnitudine animi.

2. *Sin Rem sive Realitatem ejus*, ut sic est

Vir-

Virtus, (putà Moralis sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Magnis Honoribus appetendis & admittendis, proquè re natâ contemnendis ac rejiciendis.

3. Juvat ἀναλύειν *Definitio hac constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Magnanimitatis est Virtus Moralis*: Quâ de re? Quia enim & ipsa suo loco est habitus προαιρετικός electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, docens benè, ut appetere admittere & custodire, ita contemnere ac rejicere magnos honores, quibus malè uti poteramus, id quod proprium virtutis moralis, de cujus officio, benè uti his, quibus malè uti possumus: Positis autem omnibus virtutis moralis requisitis, ponitur & ipsa.

5. *Differentia Specifica Magnanimitatis sumitur ab Objecto, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Magnanimitatis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Internum Magnanimitatis est* Μεγαλοφιλοτιμία, *Desiderium & Studium Magnorum Honorum*, iis omnibus ingenitum, qui sunt generosi, hoc est, qui habent animum magnum, cor excelsum, & corpus spi-

ſpiritus ac caloris plenum, quem ſpiritum immane quantum auget honoris amplitudo, aliaquè ejus invitamenta ac incitamenta, ſicut eundem minuunt contraria, ad quam rem habitu morali opus,contra ſpem exceſſivam in certis hominibus, quæ in faſtum ducit aſcendendo, & deſperationem defectivam, quæ in puſillanimitatem ducit deſcendendo, hic autem habitus magnanimitas.

8. *Objectum Externum Magnanimitatis, vel Negativum eſt, vel Poſitivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Magnanimitatis ſunt Bona Animi*, quę longè majora, atque infinitâ quâdam laude anteponennenda bonis corporis & fortunæ, nominatim honori, ſive eum ſumas populariter, pro ſtatu dignitatis, & applauſu multitudinis, ſive Philoſophicè, pro præmio virtutis, quod minus in comparatione merito virtutis præmiandæ, tanquam acceſſorium ejus.

10. *Objectum Externum Poſitivum Magnanimitatis, vel Generale eſt, vel Speciale.*

11. *Objectum Generale Magnanimitatis ſunt in genere Magna*, fide ſequentium. I. Quia magnanimitas nomen habet à magnitudine, ergò cernitur in magnis! II. Quia magnanimus dicitur, qui res magnas quidem, ſed quibus dignus eſt, ſibi deberi autumat, ergò magnanimitas, unde nomen ducit magnanimus, cernitur in magnis! III. Quia, ſi,qui cùm magnis dignus non ſit, ſed parvis, inquè his acquieſcit,

ſcit, rectè dicitur modeſtus, ergò, qui cùm magnis ſit dignus, ad hæc aſpiraverit, dicendus fuerit magnanimus! IV. Quia, Si nemo audit ſuperbus, niſi magna petat, quibus non eſt dignus, neque quiſquam puſillanimis, niſi qui parva ſibi arrogat, cùm magnis ſit dignus, ergò magnanimus audiet, qui, cùm magnis dignus ſit, magna ſomniat!

12. *Objectum Magnanimitatis, vel Primarium eſt, vel Secundarium.*

13. *Primarium Objectum Magnanimitatis ſunt Honores Magni*, ſumti materialiter, pro re honorabili, non formaliter, pro honore debito tali rei, ut eſt ſignum aut exhibitio reverentiæ in teſtimoniū virtutis. Summa ſic concluditur: Maximum externorum bonorum ad magnanimū pertinet, quia magnanimitas ex vi nominis ſignificat quandam ad magna extenſionem: Sed honor, iſquè magnus, eſt maximum externorum bonorum, tum quia Deo tribuitur, quaſi non habeamus quid majus inter bona externa, tum quia eum affectant ii, qui ſunt in dignitate conſtituti, quæ refertur ad bona externa, (cùm enim quem dicimus dignum, non intelligimus dignum virtute, quæ bonum animi, ſed dignum honore, vel quo alio bono externo,) tum quia tribuitur pro præmio virtutis, rei præſtantiſſimæ, tanquam exhibitio reverentiæ in teſtimonium virtutis, teſtificatioquè de virtute alicujus: Ergò ad magnanimum pertinet.

14. Ob-

14. *Objectum secundarium Magnanimitatis sunt Bona Corporis, & catera bona Fortunæ sive Externa, quæ non sunt maxima,* ut robur, forma, statura, familia, nobilitas, dignitates, officia publica, amici, divitiæ, omnia denique εὐτυχήματα, quæ conferunt ad magnanimitatis actiones promtiùs obeundas, organiceque deserviunt ad actus virtutum, operandique facultatem juvant, vel ut occasiones, vel ut instrumenta, res magnas & præclaras agendi Summa sic concluditur: Quæ ornant & juvant magnanimum, illa pertinent ad magnanimitatem: Externa bona hoc faciunt, unde majorem honorem videas exhiberi his, quibus adsunt hæc exteriora bona, à multitudine, siquidem eis obtingat virtus cum fortunâ, quàm si sine: Ergò pertinent ad magnanimitatem! Ut enim forma corporis, dignitas, gravitas, non constituant magnanimum intrinsecè, tamen ornant eum extrinsecè, ipsâ pulchritudine & magnitudine personæ, afferente dignitatem, deformitate verò & parvitate, contemtum. Sed hoc objectum est quodammodò improprium.

15. *Officium Magnanimitatis & ipsum, vel Primarium est, vel Secundarium.*

16. *Officium Primarium Magnanimitatis est, Rectè Appetere atque Admittere Magnos Honores: Secundarium, eosdem Contemnere, & Rejicere Rectè. Vnde duo resultant Actus Interni Magnanimitatis, Appetitus Magnorum Hono-*

norum, cui subordinatur Admissio eorum, & Contemtus Magnorum Honorum, cui subordinatur Rejectio eorundem.

17. De priori anquiritur: *Vtrùm bonâ conscientiâ quis honorem, quantumvis magnum, appetere possit?* De posteriori: *Vtrùm bonâ conscientiâ eundem contemnere?* De utroque: *Vtrùm potiùs appetere, quàm contemnere eundem, salvâ eâdem?*

18. *Licere bonâ conscientiâ honorem, utut magnum, appetere*, vincunt, cùm alia, tum hæc. I. Quia virtutem appetere licet, ergò & honorem! II. Quia aliâs magnanimitas foret vitiosa, ut quæ doceat appetere honorem vel magnum, malè, si non licet honorem appetere ullo modo. III. Quia contingit honorem appetere vitiosè, circaquè eum, ut excedere, ita deficere, quare & virtuosè, servando medium! IV. Quia infamia est fugienda, ergò contrarius honor appetendus! V. Quia honoris desiderium, maximis animis, & optimis ingeniis, generosissimis, inquã, animis, splendidissimisquè ingeniis, est inditum, per εὐφυΐαν quandã naturalem, natura autem nihil facit frustrà VI. Quia ipse Deus, autor naturę, pręmii loco piis pollieetur honorem, non sine ratione, ut puto, cùm sit ipsa ratio faciendorum & fugiendorum. VII. Quia benè constitutæ Respublicæ, sine honorum ac præmiorum distributione, subsistere nequeunt, quæ si distrubuere licet, licebit

etiam

etiam appetere. IIX. Quia honor inter externa bona principatum tenet, quæ si licet appetere, licebit & honorem. IX. Denique, quia honor est testimonium vitæ honestæ, negligere autem, quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam dissoluti.

19. *Quòd si, fide horum argumentorum, honorem licet appetere, licebit etiam admittere.* Quamvis enim virtus sibi sit pulcherrima merces, satisquè fructus esse videatur in ipsâ conscientiâ pulcherrimorum factorum, tamen hoc non impedit, quò minùs, ut sperare atque expectare, ita admittere honores liceat, tum quia ipse Deus hos cultoribus suis promittit, tum quia, præmia ubi sunt demta, ibi, qui præmio aliquid dignum faciat, haud ferè reperitur ullus, cùm nemo gratuitò sit bonus, nisi perfectionem Philosophicam fortè habeat, quæ requirit, ut solius virtutis amore bona faciamus, quam apud paucos admodum invenias, cùm pauci post genus hominum natum sint reperti, pro aris & focis, qui nullis pręmiis propositis, vitam suam hostium objecerint telis.

20. *Licere hinc honorem, utut magnum, bonâ conscientiâ contemnere;* convincunt, cùm alia, tum illa. I. Quia appetendi honoris impotentiam, hoc est, non tam appetitum, quàm appetentiam, magnanimus ideò contemnit rectè, ne virtutis suæ præmium videatur pluris facere, quàm ipsam virtutem. II. Quia,

cùm

cùm honores magni, magnis meritis debiti, contra omnem æquitatem, immò rationem, denegantur magnanimo, nę ille tum eos contemnere poteſt, immò debet, meritorum ſuorem conſcientiâ, ſimiliumquè exemplorum ſcientiâ, ſe erigens. III. Quia ſaltem honores parvos ac populares magnanimus contemnit rectè: Parvos, ut qui non reſpondeant virtuti ipſius & meritis, nevè hos appetendo magnis ſe indignum judicare videatur, non ſine præjudicio: Populares, partim, quia populus

—— —— Stultus honores
Sæpè dat indignis, & famæ ſervit ineptus.
Qui ſtupet in titulis, & imaginibus,

cui populo ἀρέσκειν placere, nihil aliud eſt, quàm bonis omnibns ἀπαρέσκειν diſplicere.

21. *Licere denique univerſè magis appetere honorem, utut magnum, quàm contemnere*, evincunt, cùm alia, tum iſta. I. Quia abſolutè, & ſecundum ſe, à magnanimo appetuntur honores, nec contemnuntur, niſi quatenus ſunt impedimentum ſtudioſorum operum, detrimentumquè virtutis, quo in caſu contemni, & poſſunt, & debent, per ſe non item. II. Quia cauſa, propter quam honor alicui principaliter debetur & defertur, eſt virtus, & hujus operationes, quas ſi appetere licet, licebit & honorem. III Quia in boni viri honore & gloriâ cohonoratur & conglorifi-

rificatur Deus, gloriæ qui est centrum. IV. Quia illi, qui vident & audiunt quem honorari propter virtutis studium, eo ipso incitantur ad virtutis constudium. Sed scilicet neuter duorum culpandus, nec qui appetit honorem, nec qui contemnit, quoniam uterque ad gloriam pari cupiditate, sed diverso itinere, contendit, dum alter expetit debitos titulos, alter verò mavult videri contemsisse.

22. *Cæterùm Honores Magni Appetuntur atque Admittuntur & Contemnuntur ac Rejiciuntur Moraliter Benè septupliciter, nempè Quantitatis Qualitatis Finis Modi Personarum Loci & Temporis respectu.*

23. *Respectu Quantitatis magnos honores appetunt, & per consequens, Admittunt benè,* qui. cùm sint digni magnis honoribus, se his dignos esse censent, dignè de se sentientes eôpse, sive eo ipso, dum arrogant sibi honores, virtuti ac meritis suis æquales: Æquales autem? Immò inæquales, cùm nullum satis amplum virtutis perfectæ præmium reperiatur, eò quòd bona corporis & fortunæ, cùm bonis animi comparata, evilescant & sordescant, itaquè parvæ & exiguæ sint istæ accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellæ in radio solis, sic istæ in virtutum splendore, ne cernantur quidem.

24. *Respectu Qualitatis magnos honores appetunt, & per consequens admittunt benè,* qui nō nisi proportionatos statui ipsorum ambiunt

atque

atque admittunt honores, non improportionatos, Julii Cæsaris tragico exemplo, qui non honores solùm immodicos, mox eum prægravaturos, ut justè cæsus videretur, à patribus accepit, continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturam morum, Imperatoris prænomen, patris patriæ cognomen, statuam inter reges, sedem auream in curiâ, & pro tribunali, verùm ampliores humano fastigio, tēpla, aras, pulvinar, flaminem, lupercos, simulacra juxta Deos, thensam & ferculum circensi pompâ, appellationē mensis de suo nomine, aliosquè similes honores novos, quos nè à volētibus quidē accipiēdos temerè monēt Politici.

25. *Respectu Finis magnos honores appetunt atque admittunt benè*, qui hos appetunt admittuntquè per & propter virtutem, sive ipsorum operum excellentiam, non honorem accessorium, cùm virtus non sit honoris ergò, sed hic virtutis, ut qui à virtute per virtutem in virtutem tendat.

26. *Respectu Modi magnos honores appetunt, atque admittunt benè*, qui eos cum Mamertino, non cupide nimis & ardenter, sed verecundè & cunctanter, quasiquè iterum cum accisMo quodam morali, appetuntquè, admittuntquè, admissisquè quàm modestissimè utuntur, non effusè aut insolenter gaudentes ob delatos eò quòd magnanimo non accidant novi atque alieni, sed hos accipiat quasi ad se pertinentes, sibiquè debitos. Sed & illi magnos

honores non tam accipiunt, quàm custodiunt benè, qui honorem suum, per retorsionem, sive recriminationem moralem civilemvè, defendunt, cum Epaminondâ Thebano contra Callistratum, dum id non injuriandi, sed sui purgandi causâ, fiat modò. Cùm enim injuriam verbalem quis repellit verbis, eandem injuriam videtur retorquere materialiter, non insimul inferre novam formaliter.

27. *Respectu Personarum magnos honores appetunt atque admittunt benè*, qui eos nonnisi à bonis & gravibus viris expetunt, expetitosquè admittunt, faculam ad eam rem præferentibus, Achille Homerico, & Hectore Næviano, ex quibus ille, cùm Nestor ei autor esset, ut acciperet honores ab Agamemnone delatos, reposuit, à Jove se præmia expetere, in hæc verba:

O Phœnix, veneran de senex, non est mihi cordi
Talis honos, magnos sed honores à Iove quæro,
Qui me inter naves, atque hæc tentoria Grajûm,
Reddit honoratum, & reddet:

Hic laudari quidem voluit, sed à laudato viro.

28. *Respectu Loci magnos honores appetunt atque Admittunt benè*, qui loca honorata, in quibus eodem honoris genere afficiuntur, seu pares habentur omnes, qui accesserunt, (ut fit in ludis & spectaculis, ad quæ promiscua confluit multitudo, in quibus omnes se ver-

vertunt ad ſpectacula illa, quæ admirantur, magnanimus verò poſtquè habetur poſtquè ponitur,) prudenter declinant, ſicut & ea loca honorata, ubi diſtribuuntur honores, ne eos acceſſu ſuo tacitè petere præſumantur, ultrò ſe offerendo, quò honorentur, cùm verè magnanimus expectet potiùs honores, ut ultrò ſibi offerantur, æquoquè animo ferat, vel potiùs deſpiciat, ſi non exhibeantur, magnitudine animi ductus, qui, inquam, hos appetunt & admittunt, ὅ καλὸν, ubi honeſtum eſt, palàm, ſi ornamenti & gratitudinis ergò conferantur, clàm, ſi neceſſitatis ergò. Quanquam etiam ſic verè magnanimus det nobilitatem vel ignobili loco.

29. *Reſpectu Temporis magnos honores appetunt atque admittunt benè*, qui id faciunt pro occaſione, quæ rerum omnium caput, ut in quà æquè peccet, qui non ſequitur eam, atque qui antecedit. Quid ergò? Ambiendus honor non quivis, ſed quem præſens ſtatus Reipublicæ, & temporum conditio, ſine difficultate indulget.

30. *Reſpectu hinc Quantitatis magnos honores contemnunt, & per conſequens, rejiciunt benè*, qui, cùm magnis honoribus ſint digni, eos non admittunt tamen cum Biante, qui, cùm ei tripus aureus, à piſcatoribus inventus, cum hâc inſcriptione, ut ſapienti deferretur, fortè oblatus eſſet, eum non admiſit, ſed ad Apollinem remiſit, eum ſapientem profeſſus, &

Coriolano, qui, eò quòd non caperet eximios honores, à patriâ decretos, dignus visus est ex eo, qui magna caperet, vel ipsis adversariis, qui impensiùs virtutem ejus ab eo tempore sunt exosculati.

31. *Respectu Qualitatis magnos honores contemnunt, & per consequens rejiciunt benè*, qui in casu, quo meritis magnis denegantur præmia magna, non laborant anxiè de eo, contemnentes illa, & solâ meritorum conscientiâ se erigentes, Pędareti consilio atque exemplo, qui, cùm non allectus fuisset in numerum trecentorum, hilaris ac renidens è comitiis discessit, revocatusquè ab ephoris, causamquè risus rogatus, replicuit, gratulari se civitati, quę trecentos se meliores haberet cives.

32. *Respectu Finis magnos honores contemnũt, & per consequẽs rejiciunt benè*, qui id faciunt, non honoris causâ, sed honestatis, quia illos pro illo tempore contemnere honestum est. Dico honestatis, non honoris. Ut enim levitatis est, inanem aucupari rumorem, omnesquè umbras etiam falsę glorię consectari, sic levis animi, lucem splendoremquè fugientis, vel justam gloriam, quę est fructus verę virtutis honestissimus, temerè repudiare.

33. *Respectu* M*odi magnos honores contemnunt, & per consequens rejiciunt benè*, qui vel quęsiti, etiam quin rogati, id faciunt, si ita videatur esse è re, quà privatâ, quà publicâ, sed hâc maximè.

34. Re-

34. *Respectu Personarum magnos honores contemnunt, & per consequens rejiciunt benè* qui eos;nec ambiunt, sed nec accipiunt ab iis quibus nollent eo nomine esse obligati, hoc est, ab improbis,qui virtutem, cujus premium honor, nec agnoscunt,nec ejus amore capiuntur, neque ejus causâ amant, ideoquè nec verum honorem deferre possunt, qui nonnisi à bonis, qui soli τιμητικοὶ honorabundi, defertur bonis, qui soli τιμητοὶ honorabiles.

35. *Respectu Loci magnos honores contemnũt, & per consequens rejiciunt benè*,qui id faciunt in loco, imitatione Agesilai, qui, cùm puer, in gymnicorum ludorum celebritate, in loco parùm honorifico,à chori magistro collocatus esset,respondisse fertur: Benè habet,ego verò ostendam, non loca viris, sed viros locis, autoritatem conciliare.

36. *Respectu Temporis magnos honores contemnunt, & per consequens rejiciunt benè*, qui id faciunt tempori, sive in tempore, hoc est, quando debent,ne, si eos admittant, cùm non debent admittere, privatim superbi, & in publicum ambitiosi, videantur.

Difficile est tamen hic remis utaris, an aurâ,
Dicere, consilium resquè locusquè dabunt.

37. *Quòd attinet Proprietates sive Attributa Magnanimi, illa & ipsa, vel Negativa sunt, vel Positiva. Attributa Magnanimi Negativa sunt.*

38. *Quòd* Ἀπαθὴς, καὶ ὕτε Εὐτυχῶν Περιχαρὴς, ὕτε Ἀτυχῶν Περίλυπ☉, *non Servus, sed Dominus Passionum, & neque Secundis Rebus Erectior, neque Adversis Dejectior*: Μὴ Ὀλοφυρτικὸς καὶ Δεητικὸς. *Inquerulus & Insupplex*: Μὴ Θαυμαστικὸς, *Inadmirator*: Μὴ Μνησίκακ☉, *Immemor Injuriarum*: Μὴ Θυμερηπικὸς, *Minimè Vindex*. Μὴ Ἀνθρωπολόγ☉: *Minimè Pronus ad Laudandum vel Vituperandium*: Μὴ Κακολόγ☉, *Immaledicus sive Inconviciator*: Μὴ Ἐπαινέτικὸς ἢ Κολακευτικὸς, *ut non Laudator sui, ita nec Adulator aliorum*: Μὴ Πυκνοκίνδυν☉, Μικροκίνδυν☉, ἢ Φιλοκίνδυν☉ *denique, non Crebrorum, inquam, nec Parvorum Periculorum Amator.*

39. *Dominus Passionum, non Servus, est Magnanimus hactenus*, dum has perimit moraliter, pugnamquè earum in animo suo tollit, non pugnantes, haud extirpans passiones cum Stoicis exuensvè, sed compescens & refrenans cum Peripateticis, inducit inlocum ἀπαθείας εὐπαθεία ἢ μετριοπαθεία.

40. *Nec Rebus Secundis Erectior, nec Adversis Dejectior, est Magnanimus hactenus*, dum, utcunque ceciderit res, utcunque, inquã, ciciderint Jovis taxilli, inde τὰ εὐτυχήματα, hinc τὰ δυστυχήματα, fert rectè & erectè, ut qui æqualitatem servet in utrâq; fortunâ, & neque secundis rebus efferatur lætitiâ, nec in adversis superetur mœrore, utut interim gravioribus casibus afficiatur & ipse, saltem

cum

cum sine arbitris est, verùm ita, ut nihil interim committat contra dignitatem suam.

2. *Inquerulus & Insupplex est Magnanimus hactenus*, dum de rebus, ad vitam tuendam necessariis, si fortè hæ ei desint, non muliebriter conqueritur, aut aliis eo nomine supplicat, propterea quòd hæc illi factitent, qui toti in his rebus sunt, omnemquè operam in re familiari conquirendâ ponunt, ut vulgus hominum, & opifices manuarii, quæ res à magnanimi genio atque ingenio remotissima, qui, cùm alia pleraque, tum hæc, contemnit.

42. *Inadmirator est Magnanimus hactenus*, quia nihil ei magnum, præ se, ac suâ virtute. Quò fit, ut non facilè admiretur, vel homines, v g. multorum famulorum comitatum, vel res, v g. delicias & victorias, cùm nihil ipsi sit magnum, ut qui ea, quæ eximia plerisque & præclara videntur, parva ducat, eaquè ratione stabili firmâquè contemnat, haud ignorans eorum causas. Jam verò ignoratio est mater admirationis & stuporis. Quid, si distinguamus cum Donato Acciajolo, inter admirationem internam atque externam, & illam magnanimo competere dicamus, admiranti virum summis virtutibus præditum, hanc ei non item, utpote inadmiranti divitias, potentiam, & similia.

43. *Immemor Injuriarum est Magnanimus*

hactenus, dum parvi pendit injurias sibi non digno illatas. Cùm enim sibi non sit malè conscius, ideò suam existimationem illis non putat lædi, quarum propterea nec meminit.

44. *Minimè Vindicativus sive Vindex est Magnanimus hactenus*, dum non citò movetur ad vindictam, sive depulsionem injuriæ, ne, dum vult contumeliâ probari indignus, faciat se dignum videri contumeliâ. Quid ergo? Συγγνωμικὸς potiùs est, quàm Τιμωρητικὸς, apri Æsopici exemplo, qui, cum ab asino fortè irrideretur, perhibetur dixisse, malum quidem meritus eras ignavissime, sed ut maximè dignus sis pœnâ, tamen indignus sum ego, qui dentes meos in te exacuam.

45. *Minimè Pronus ad Laudandum vel Vituperandum est Magnanimus hactenus*, dum neque de se, neque de aliis, præsertim humilibus, libenter loquitur, ut qui, neq; ut ipse laudetur, neque ut alii vituperentur, magnoperè curet, ideoquè nec nova audiat libenter, vel de se, vel de aliis, quia hocipsum hominum ventosorum, aliorum reprehensiones suas laudes, alienas laudes sua probra existimantium; à quibus dissimili ingenio est noster.

46. *Immaledicus sive Inconviciator est Magnanimus hactenus*, dum convicia, quę vocant, stoliditatis, inscitiæ, inopiæ, ignobilitatis negligit, saltem dissimulat, neque interim semper. Est enim, cùm dedecorosos ac turpes homines conviciis accipit, ut Ulysses Thersitem, apud Homerum. *Mi-*

47. *Minimè Dissimulato, nedum Ludificator, est Magnanimus hactenus*, dum ea, quæ in se laudabilia sunt, haud dissimulat, nisi fortè apud vulgus, non capiens magnitudinem ipsius, cujus laudes haud quærit, nec huic consilia sua aperit. Et qui dissimulet magnanimus dissimulantiâ positivâ, cùm sit παῤῥησιαςικὸς, apertè omnia dicatquè & agat, intra limites prudentiæ justitiæ & veritatis quod fiat tamen.

48. *Non Laudator Sui est Magnanimus hactenus*, dum se non laudat cum Pindaro, magnificè loquente de se, & suà facultate, ut qui cum Pisone, quæ agenda sunt, curet, sine ostentatione agendi, cumquè Jugurthâ Sallustiano, plurimum facere, & minimum de seipso loqui, soleat. Est tamen, cùm seipsum laudat magnanimus, sed raro scilicet, & tempestivè, citraquè invidiam ac offensionem, id quod fieri potest multis modis, quà directè, quà indirectè, benè tamen.

49. *Sed nec Adulator aliorum est Magnanimus hactenus*, dum nemini blanditur, ut qui nesciat πρὸς ἄλλον ζῆν, ἐκ τοῦ ἄλλου εἶναι, alterius vivere ac regi imperio, ad exemplum scurrarum & parasitorum, quos constat se ad aliorum nutus & voluntates accommodare, quod servile admodum, ideoquè ab ingenio magnanimi alienissimum.

50. *Denique, nec Crebrorum nec Parvorum Periculorum est Amator Magnanimus hactenus*, dum pericula quidem adit, sed nec plura,

nec parva nimis, cùm pauca virtute suâ digna putet, eaquè magna, quæ constat esse pauca: At, qui multa curat, multa magni facit, hunc pro multis quoque adire pericula necesse est.

51. *Attributa Magnanimi Positiva sunt*: Quòd Καταφρονητικὸς, *Contemtor*: Φανερόφιλος καὶ Φανερόμισος, *Apertè Amicus & Inimicus*: Ἀληθευτικὸς, *Verax*: Παῤῥησιαστικὸς, *Liberi Animi & Linguæ*, Ὁμιλητικὸς, *Conversabilis*: Βαρύφωνος καὶ Βαρυβάτης *Vocis Gravis, & Orationis Sedatæ, Incessusquè Tardi*: Εὐεργετικὸς, *Munificus*, *& Benefactor potiùs, quàm Beneficiarius alterius*: Κτητικὸς μᾶλλον τῶν Καλῶν καὶ Ἀκάρπων ἢ Ὠφελίμων, *Possessor potiùs Pulchrarum & Infructuosarum Rerum, quàm Fructuosarum & Utilium*: Μελλητὴς *hinc, Cunctator*: *Denique* Ὀλιγοκίνδυνος καὶ Μεγαλοκίνδυνος, *Paucorum quidem, ast Magnorum Periculorum Sectator*.

52. *Contemtor est Magnanimus hactenus*, dum contemnit contemnendos. Rectè namque de unoquoque judicat, magnos magni, parvos parvi æstimans, & illos sibi pares, hos inferiores, judicans, ut non sine contemtu, ita sine injuriâ, quia non tam contemnit personas, quàm quid personæ, qui contemtus bonus, quippè à virtute profectus, & non ab aliis causis.

53. *Apertè Amicus & Inimicus est Magnanimus hactenus*, dum se palàm amicum vel inimicum profitetur, animum in primori fronte gerens,

gerens, ut qui neminem metuat, ideoquè nec dissimulet cujusquam causâ, quod metuentis, cujus proprium, fronte occultare sententiam.

54. *Verax est Magnanimus hactenus*, dum nullius hominis vel rei causâ mentitur, apertè omnia dicensquè & agens, cum temperamento prudentiæ justitiæ & veracitatis quod fiat tamen, quarum peripheriam non egreditur.

55. *Liberioris, ut Animi, ita Lingua, est Magnanimus hactenus*, dum, quæ libertatem dicendi prohibere possunt, magno animo despicit, & extra miserias, & in miseriis, præsertim ultimis, quæ hoc habent, ut dent animum ad loquendum liberè, si Livio credimus.

56. *Conversabilis Naturæ quoq; est Magnanimus hactenus* dum, pro exigentiâ personarū loci temporis, aliis se prudenter accommodat, cumquè tria sint genera hominum, summi, putà, medii, & infimi, adversus summos, hoc est, eos, qui vel dignitate, vel copiis & genere, excellunt, magnitudine suâ & gravitate, utitur, non quò jactare etiam inter magnos se velit, sed ut locum suum teneat, neque se ab aliis superari patiatur, exemplo generosorum, qui solent inter magnos σεμνύνεσθαι, gravitatem præ se ferre: Dum deinde autem adversus mediocres, & multò magis infimos, moderatum se ac facilem præstat, gravitatem comitatis condimento temperando.

57. *Vocis Gravis, Orationis Sedatæ, & Incessus Tardi, est Magnanimus hactenus*, dum

 utitur

utitur gravitate vocis, indice majoris, & caloris, & roboris, oratione item ſtabili conſtanti æquabili, non confusâ præcipiti interruptâ, inſtar hominum vocalium & clamoſorum, quos videas uti contentione vocis majori, quam ferè ſequuntur jurgia, vociferationes, ſermonis varietas atque inconſtantia. Cùm enim non feſtinet magnanimus, quoniam paucula curat, nihilquè magni ducit, præter ſe, & ſuam virtutem, ut acuitas verò vocis, ita velocitas, competat his, qui de quibuſlibet amant contendere, ideò contentione vocis haud utitur, ſicut nec gradus acceleratione, ob geminam cauſam, quia paucula curat, ita ut properato ipſi non ſit opus, ſicut iis, qui multis rebus & negociis diſtrahuntur, quos convenit eſſe πολυασχόλους, huc illuc diſcurſitare & volitare, quò omnia exequantur. Celerior certè inceſſus, vel negociorum multitudinem, vel levitatem, neſcio quam, ſignificat, neque levitatem tantùm, ſed indigentiam. Atque hæ cauſæ, cur magnanimus cum gravitate moveatur.

58. *Munificus, & Benefactor potiùs, quàm Beneficiarius alterius, eſt Magnanimus hactenus,* dum libentiùs dat, quàm accipit beneficia, libentiusquè audit, quos ipſe beneficiis affecerit, quàm à quibus his affectus ſit, quia illud virtute ſuperioris hominis, hoc inferioris, illud perfectioris, hoc minùs perfecti. Agens enim,

nim, eâ ratione, quâ agit, perfectius esse videtur, quàm patiens: Atqui constat, magnanimum cupere omnes antecellere, neminique se velle obligare: Qnare & hâc parte.

59. *Possessor Pulchrarum, sed Infructuosarum Rerum potiùs, quàm Fructuosarum atque Vtilium, est Magnanimus hactenus*, dum mavult possidere res honestas & elegantes, licet infructuosas, (loquendo secundum opinionem vulgi, infructuosas æstimantis possessiones, quæ nihil afferunt lucri;) v. g. hortos, equos, canes, servorum comitatum, signa, tabulas, statuas, arma, & suppellectilem omnis generis, quàm res alias fructuosas atque utiles, v. g. pecuniam, agros, villas, pecudes, & similia, tum quia illud magis sufficientis hominis, sequè ipso contenti, tum quia sic agendo honestum utili anteponit.

60. *Cunctator est Magnanimus hactenus*, dum non ingerit se indifferenter quibuscunque operibus, sed solùm magnis, & per consequens, paucis, quia magna ferè pauca sunt. Nam & hoc gravitatis est, omnibus de causis, etiam levissimis, non impelli continuò, omnemquè occasionem se ostendentē non apprehendere continuò, sed expectare pulcherrimam. Quid ergò, semperne cessator est, & quietem agit, magnanimus? Nihil minùs, non utique tunc, ubi res magna, & magnus honor, proponitur, quo in casu celeritate utitur & acceleratione.

61. *Denique, Paucorum quidem, ast Magnorum Periculorum Sectator est Magnanimus hactenus*, dum non indifferenter se pluribus periculis exponit, ut qui non indifferenter multa quasi magna existimet, sed paucis, atque magnis, sive magnâ laude dignis, quæ pauca esse constat.

62. *Sic descripta Magnanimitas differt à Modestiâ*, gradu magis, quàm specie, ut pulchritudo in magno ac vasto corpore, à pulchritudine in parvo ac tenui corpore. Ut enim unum cum eâ habeat subjectum, putà appetitum sensitivum, unum objectũ, putà honorem, unum finem, putà honestatem, tamen quantitate illius objecti, & modo operandi circa illud objectum, ab eâ differt, dum altera nõnisi in magnis honoribus cernitur, altera nonnisi in parvis, illa operando eminentiùs, hæc summissiùs & remissiùs.

63. *Extrema Magnanimitatis duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Fastus, in defectu Pusillanimitas.*

64. *Fastus* est vitium morale, in magnis honoribus appetendis & admittendis excedens, quo mediante quis majoribus honoribus, quàm quibus est dignus, se dignum esse judicat. A Græcè Philosophantibus & Philologantibus χαυνότης appellatur, à χαυνόω, quod est inflò, quasi tu dicas inflationẽ, & illi, qui hoc vitio laborant, χαῦνοι nuncupantur

pantur quasi tumidas, inflatos, fungosos, tumidos, ventosos, è quorum ideò animis non minùs elati spiritus sunt excutiendi, atque aër ex utribus, exprimendique, atque aqua è spongiis. A Latinè Philosophantibus & Philologantibus Arrogantia indigitatur, eò quòd homines fastuosi majores sibi, quàm merentur, honores arrogent, & illustria quædam, vel quæ non habent, vel majora, quàm habent, sibi vendicent: Item Jactantia, à jactando, sive frequenter jaciendo, eò quòd homines jactabundi crebro sermone jactent, quæ plane non habent, aut plura & majora, quàm habent, flantes inanes glorias, neque quicquam habentes in ore, nisi decumanum, grande, magnificum, portentosum.

65. Qui huic vitio obnoxii sunt, næ illi I. Fatui, ut qui magnas res aggrediantur indignè, velintque, & ad dicendum, & ad agendum, idonei videri, cùm non sint, magnifica prætereà de se loquantur & sentiant, ornatum sibi quærentes ex vestitu, atque habitu corporis, & similibus aliis, puta divitiis, quas simulant se habere, etsi non habeant, aut, si habent, importunè has atque invidiosè ostentant, ut facile vel inde stultitia eorum deprehendatur. II. Injusti, ut qui sibi domi sumant, quod ab aliis tributum oportuit. III. Auditoribus molesti, coràm quibus vitium suum celare nequeunt, sed

ſed actionibus ſuis inſolentibus id his planum faciunt.

66. *Puſillanimitas* eſt vitium morale, in magnis honoribus appetendis & admittendis deficiens, quo mediante quis omnes honores magnos promiſcuè negligit, etiam eos, qui ipſi jure merito debentur. A Græcè Philoſophantibus Μικροψυχία appellatur, ἀπὸ τῆς μικρῆς ψυχῆς, à puſillo animo, quaſi tu dicas Puſillanimitatem, & illi, qui hoc vitio laborant, Μικρόψυχοι Puſillanimes, ſive puſilli animi homines, habentes quidem quid ἀξίας, ſed ἀξίωμα, vel nullum, vel juſto minus. A Latinè Philoſophantibus Humilitas & Demiſſio Animi indigitatur, Puſillus item & Anguſtus Animus.

67. Qui huic vitio ſunt obnoxii, næ illi ſolent eſſe: I. Stolidi, ob hanc animi dejectionē, neque tamen ita, ut faſtuoſi ſive elati, quia non planè ſunt incogitātes, ut alteri illi, ſed toti cogitabundi, cogitantes ſemper, ſe hoc vel illo honore eſſe indignos, quod non item faciunt elati. II. Injuſti, dum ſe honere debito ſpoliant, & Reipublicæ ſe ſubducunt, cui utilem operam præſtare poterant. III. Seipſis deteriores, quoniam hæc eorum puſillanimitas facit, ut eorum animi, propter opinionem, quam habent de ſeipſis, ſemper humi repant, neque ad altiora unquam aſſurgant. IV. Suſpecti hoc nomine aliis, vocando ſe in ſuſpicionem alicujus mali occulti eo, dum ſe ipſos honoribus

indignos

indignos domi æstimant. Cur enim alioqui se indignos judicarent rebus optimis, nisi intestinis quibusdam malis, atque occultis vitiis, laborarent, malè sibi conscii hâc parte. V. Ignorantes sui, quia non videntur se suaquè satis nôsse. VI. Segnes & ignavi, ut qui bona sibi debita haud poscant.

68. *E duobus his Extremis Pusillanimitas deterior est Fastu in comparatione*, tum quia frequentior, cùm plures in vitâ communi, vel paupertate fracti, cui non benè convenit cum fastu, ad quem pompa quædam est necessaria, vel pudore rustico præpediti, vel metu laborum ac periculorum territi, vitam obscuram atque ingloriam agere malint, quàm ad clavum Reipublicæ sedere, quę autem mala frequentiora, eadem & graviora; tum quia pejor; & respectu medii, & alterius extremi, medii, dum deprimit ac dejicit animos, neque ad illud assurgere finit; extremi, quia non ita citò corrigi potest, atque fastus. Utut interim non infitear, in opposito fastu plus esse stultitiæ vanitatis temeritatis periculi & detrimenti, quàm in pusillanimitate.

Caput XXXVII.

De Modestiâ, & huius Extremis, id est, inde Ambitione, hinc Inambitione.

§ 1. Modestia, *si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, à modo descendit Latinè, quem si servet abs se, naturalis modestia audit, quæ insita homini verecundia circa

hono

honore m, sin in loquelâ, risu, statione, sessione, incessu, gestu, motibusquè, tam animi, quàm corporis, nec plus quicquam nec minus agens, ut sic accipitur generaliter cum Stoicis, pro moderato omnium virtutum usu, earumquè rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum, dispositione: Quòd si eundem servet in cupiditatibus & voluptatibus gustus & tactus, ut sic accipitur specialiter pro temperantiâ: Si denique eum servet in honoribus, iisquè minoribus, ut sic accipitur specialissimè cum Peripateticis, pro moderato honoris studio. Humilitas alio nomine. Quid enim aliud humilitas, quàm virtus, per quam honores tantùm debitos appetimus, hosquè aliis libenter cedimus. Apud Græcè Philosophantes virtus hæc caret nomine proprio, appellatur interim nomine extremi φιλοτιμία, quæ vox media est, & nonnunquam in bonam partem capitur, pro ἀφιλοτιμίᾳ ἢ δὐφιλοτιμία, nonnunquam verò in malam, idquè crebriùs, ut nomina composita à φίλος.

2. *Sin Rem sive Realitatem ejus*, ut sic est Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Cupiditate ac Studio Mediocrium & Parvorum Honorum.

3. Juvat ἀναλόγ. *Definitio hac constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Modestia est Virtus Moralis*, cùm & ipsa sit habitus προαιρετικὸς electivus, includens

dens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonum faciens habentem, ejusq; opus rectum ac perfectũ dans: jã verò positis omnibus virtutis moralis requisitis ponitur & ipsa.

5. *Differentia Specifica Modestiæ sumitur ab Objecto, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Modestiæ & ipsum, vel Internum est, vel Externum,* ex quo utroque simul sũmto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Internum Modestiæ est Μικροφιλοτιμία, Desiderium & Studium Parvorum Honorum,* iis omnibus ingenitum, qui minùs sunt generosi, bonæ indolis tamen.

8. *Objectum Externum Modestiæ, vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Modestiæ sunt Bona Animi,* quæ infinitâ quâdam laude anteponenda bonis externis, nominatim honori, eiquè parvo, qui præmium virtutis, sed parvæ, idquè accidentale, quod minus merito virtutis præmiandæ, tanquam accessorium sui principalis.

10. *Objectum Externum Positivum Modestiæ sunt Honores Mediocres & Parvi,* qui & ipsi gubernandi aliquâ virtute, tum quia hos quis plus appetere potest, quàm oportet, & quando ac quomodo non oportet, ubi autem

extrema

extrema, ibi & medium, tum quia par ratio honorum & pecuniarum, cùm utraque sint bona externa, sicut ergò in his duplici virtuti locus, uni in parvis pecuniis, alteri in magnis, sic in illis item duplici, uni in magnis, alteri in parvis honoribus.

11. *Officium Modestiæ circa suum Objectū, & ipsum vel Primarium est, vel Secundarium.*

12. *Officium Primarium Modestiæ est, Rectè Appetere atq; Admittere Honores Mediocres & Parvos: Secundarium, eosdem Contemnere atq; Rejicere. Rectè Vnde duo resultant Actus Interni Modestiæ, Appetitus, inquam, Parvorum Honorum, quem comitatur Admissio eorum, & Contemtus eorundē, quem Rejectio sive Repudium.*

13. *Caterùm Honores Mediocres & Parvi Appetuntur atque Admittuntur & Contemnuntur ac Rejiciuntur Moraliter Benè septupliciter, nempè Quantitatis Qualitatis Finis Modi Personarum Loci & Temporis respectu.*

14. *Respectu Quantitatis parvos honores appetunt atque admittunt benè*, qui, cùm sint digni parvis honoribus, se his dignos esse cēsent, dignè de se sentientes eôpse, dum arrogant sibi parva honorum, dignequè his gaudent, neque se extollendo, quod hominum leviū, sed nec deprimendo, quod insanorum.

15. *Respectu Qualitatis parvos honores appetunt atq; admittūt benè*, qui debitos & debitè, non futiles, inanes, ex actionibus leviculis, parumquè honestis, per vim, fraudes, largitiones, detractiones & detrectationes, quia

nihil verè modeſtum, quod non itē honeſtū.

16. *Reſpectu Finis parvos honores appetunt atque admittunt benè*, qui hos appetunt atq; admittunt, non ut finem, nec ut vulgò placeant, ſed ut bonis.

17 *Reſpectu Modi parvos honores appetūt atq; admittunt benè*, qui decenter, hoc eſt, nec nimis cupidè atq; ardēter hos expetēdo, ex unâ, nec frigidè nimis ac remiſsè ex alterâ parte, adeoquè nec gaudēdo immodicè ob collatos, nec dolēdo immodicè ob negatos, ereptoſvè.

18. *Reſpectu Perſonarum parvos honores appetunt atq; admittunt benè*, qui, ſervatis ordinum diſcriminibus, ſupra alios, æquè aut aliquantò etiā minùs honoratos, ſe inſolenter, & cū contemtu, haud efferunt, locum ſuum ſic tuentes, ut nihil aliis detrahant, ſed majores honores libenter majoribus, minores minoribus, pares paribus, tribuant, docti, neminem adeò eſſe beatum, quem nemo æquiparet.

19. *Reſpectu Loci & Temporis parvos honores appetunt atque admittunt benè*, qui hos conſectantur, in foro, quod ajunt, competenti, tempore competenti, tum non plures majoresvè, quàm vel præſens Reipublicæ ſtatus, vel occaſio temporum, permittit.

20. *Reſpectu Quantitatis hinc parvos honores contemnunt, & per conſequens rejiciunt benè*, qui id faciunt per acciſmum quendam moralem, ne præmium virtutis pluris facere

cere videantur, quàm ipsam virtutem. Quavis enim non delinquat, qui se parem suæ conditioni gerit, tamen tutius esse videtur, ob philautiam penitùs mentibus nostris insidentem, paulò infrà metam subsistere, quàm in ipso medio periclitari.

21. *Respectu Quantitatis hinc parvos honores contemnunt, & per consequens, rejiciunt benè*, qui, cùm debiti honores ipsis denegantur indebitè, non propterea crucem sibi figunt, solâ meritorum conscientiâ se erigentes, dictosquè honores contemnentes, non simpliciter, sed in tantum, in quantum non putant hanc repulsam esse tanti, ut propterea animo turbentur graviùs, eò quòd, nec primi, nec soli sint, qui passi tale naufragium in hoc honorum pelago.

22. *Respectu Finis parvos honores contemnunt, & per consequens, rejiciunt benè* qui id faciunt modestiæ causâ, non ostentationis, quæ plerumque latet sub hoc velo, quia major pars hominum mavult videri, quàm esse, amans magis faciem, quàm personam.

23. *Respectu Modi parvos honores contemnunt, & per consequens, rejiciunt benè*, qui hos, siquidem indebiti, non admittunt, sin debiti, ocii amore, & vitæ abstractivæ dulcedine, posthabent, cæteris paribus.

24. *Respectu Personarum parvos honores contemnunt, & per consequens, rejiciunt benè* qui eos non admittunt à quibusvis indifferenter,

renter, nominatim ab iis, quos ipsi domi laudare nequeunt, hoc est, ab hominibus improbis, qui virtutem, cujus præmium honor, nec agnoscunt, nec amant, ideoquè verum honorem deferre nequeunt.

24. *Respectu Loci & Temporis parvos honores contemnunt, & per consequens, rejiciunt benè*, qui hoc faciunt pro occasione, debitis locis & temporibus, dantibus consilia hominibus, non homines rebus.

25. *Sic descripta Modestia differt ab Humilitate propriissimè sumtâ*, vilitatem sortis & conditionis, miseriasquè atque ærumnas, designante, nomenclatione ductâ ab humo, loquente hominem humi abjectum, contemtum, afflictum, calamitosum, non item modestiâ in suo significatu.

26. *Extrema Modestiæ duo sunt, alterum Excessu; alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Ambitio, in defectu Inambitio*, voce formatâ eo modo, quo inapparationem & apparitionem, inobservationem, inreligionem sive Irreligionem, indelictum, immeriam, dicimus Latinè.

27. *Ambitio* est vitium morale, in parvis honoribus appetendis atque admittendis excedens, quo mediante quis majoribus honoribus, quàm quibus dignus est, se dignum judicat, seipsum & omnia sua pluris facit, quàm debebat: Vel, quod eodem redit, est inordinatus appetitus parvorum honorum,

norum, ortus ex præsumtione virtutis, quam quis non habet, saltem non habet ad eam mensuram. Hoc nominis mutuata est à verbo ambire, quod est circumire, honoresquè am, hoc est, circum eundo captare, malis artibus, precibus, largitionibus, pollicitationibus, prensationibus, blanditiis. Aliter Præsumtio vocatur Latinis, cujus proprium, supponere in intellectu falsam opinionem de se, cum aliorum, qui in eodem honorum gradu sunt constituti, contemtu. Item Superbia, hoc nomen sortita à super & ire, ita ut superbus dicatur quasi super iens, eo quòd suprà, quàm est, videri cupiat ὁ ὑπερήφανος, usque eminere desiderans, & cæteris superior esse. Horsum Græcè docti φιλοτιμίαν appellant, cujus verbi hæc vis, ut interdum de eo dicatur, qui honorem expetit, ut oportet, interdum verò de eo, qui plus quàm oportet, quomodo φιλόπαις & ille dicitur, qui liberos suos amat, ut oportet, & ille, qui nimiùm, utut interim hæc verba, juncta ad verbum φίλος, plerumque contineant nimium, ut φίλοινος, φιλόγυνος ἢ φιλογύναιος, γαστρόφιλος Etc: Item Μικροφιλοτιμίαν, ambitionem gloriæ ineptam & frivolam, ipsosquè ineptè gloriosos, aut gloriosulos veriùs, Μικροφιλοτίμους, ambitiosè pauperes. Germanicè docti eandem denominant à vocabulo *Stoltz*, deducto à Stultitiâ, eò quod potissimùm cadat hoc

vitium

vitium in rudes, tardos, ſtupidos, fatuos, & in genere, cæco amore ſui occæcatos homines, qui amor ſuperbire facit etiam ſapientes.

28. *Inambitio* eſt vitium morale, in parvis honoribus appetendis atque admittendis deficiens, quo mediante quis honorem, quo eſt dignus, quemquè honeſtè poterat ſuſcipere, vel repudiat, vel ſaltem ſartum tectum non ſervat. Grçcè docti A'φιλοτιμίαν nuncupant, non negativè, ſed privativè. Latinè docti, jam vacuitatem appetitus honoris, jam deſpicientiam in contemnendis honoribus, jã honoris contemtum, vertunt, quo honores etiam licitos, noſtrâquè virtute promeritos, indecentiùs deſpicimus rejicimusquè, ob præfidentiæ, quâ quis, nimiâ virium ſuarum confidentiâ, aggreditur, quod eſt ſupra ipſius captum, oppoſitam diffidentiam, quâ quis omnia, tanquam nimis alta & magna, ſuamquè facultatem & dignitatem excedentia, animo ſuo concipit, diffidensquè viribus ſuis, etiam ea officia refugit, ad quæ pulchrè eſt idoneus, quæquè facilè præſtare poſſet, ſi vir eſſet.

CAPUT XXXVIII.

De Manſuetudine, & hujus Extremis, id eſt inde Iracundiâ & Crudelitate, hinc Lentitudine & Indulgentiâ.

§. 1. MAnſuetudo, *ſi Nomen ſive Nominalitatem ejus ſpectes*, ut ſic, ſecundum idiotiſmum Latinum, nihil eſt aliud, quàm manu

facta ſuetudo ſive aſſuetudo. Manſues namque, ſive manſuetus, quaſi manu aſſuetus dicitur Latinitatis magiſtris, ad manum, inquam, venire ſuetus, eò quòd omnia, quæ naturâ fera ſunt, manuum permulſione miteſcant, voce ductâ à manu & ſueo, hoc eſt, ſueſco, qui genuinus vocis ſignificatus, quæ ſi capiatur metaphoricè, lenem placidum placabilem miſericordem clementem valet in concreto, verbo tractabilem, lenitatem verò placiditatem placabilitatem miſericordiam clementiam in abſtracto. A Græcè Philoſophantibus, jam πράυνσις appellatur, Latinè longanimitas, rectiùs lentitudo, eò quòd vocabulum longanimitatis, præterquam quòd parùm Latinum, μακροθυμίαν loquatur, non πράυνσιν, ſicut oppoſita ἀοργησία lentitudinem potiùs, quàm lenitudinem, æquipollentem lenitati, jam πρᾳότης, quanquam non ſatis propriè. Nam qui propriè vocatur πρᾶος, ille nonnihil declinat à medio ad defectum, eò quòd non tam τιμωρητικὸς, quàm συγγνωμικὸς, eſſe videatur, id eſt, non tam ad ulciſcendum pronus, accedendo magis ad iræ vacuitatem, quàm moderationem, cùm tamen medio utrumque adeſſe conveniat. Etenim non minùs iraſcendum & ulciſcendum eſt, cùm oportet, quàm non iraſcendum atque ignoſcendum, cùm non oportet, prout illud vel hoc recta ſuadet ratio.

2. *Sin Rem ſive Realitatem ejus ſpectes,*

ut

ut sic est Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Irâ & Vindictâ, sive in Irascendo & Vindicando.

3. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Mansuetudinis est Virtus Moralis*, cur, nisi quia & ipsa suo loco est habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, docens benè, ut irasci, ita ignoscere: Positis autem omnibus virtutis moralis requisitis, ponitur utique & ipsa.

5. *Differentia Specifica Mansuetudinis sumitur ab Objecto, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Mansuetudinis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Internum Mansuetudinis est Ira*, non dolor ex irâ, qui effectum potiùs illius objecti, quàm objectum, ira, inquam, quæ, quia est omnium affectuum vehementissimus, violentissimus, & turbulentissimus, communissimus quin & familiarissimus, evidentissimus, turpissimus, perniciosissimus, stultissimus, maximequè omnium degener, denique alienissimus, & ab æquitate, & à communi conversatione, ideò peropus virtute aliquâ

 quæ,

quæ eam redigat in gyrum rationis, hæc autem nulla alia, quàm mansuetudo, iræ domitrix & expultrix.

8. *Objectum Externum Mansuetudinis, vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Mansuetudinis, vel Reale est, vel Personale, illud Rerum, hoc Personarum.*

10. *Res vel Inanimatæ sunt, vel Animatæ, & quidem, vel Animâ Vegetativâ tantùm, vel insimul Sensitivâ.*

11. *Neutris irasci licet*, quia utræque nocere quidem nobis possunt, injuriam verò facere minimè, eò quòd nulla injuria detur, nisi à consilio profecta. Cur nulla? Quia enim, ubi nulla ratio, quæ anima juris, ibi nullum jus, & ubi nullum jus, ibi nulla injuria, ubiquè nulla injuria, ibi nullum delictum, & ubi nullum delictum, ibi nulla ira, pœna nulla, quam inanimata, nec metuunt, nec sentiunt, sicut & animata vegetabilia, sed benè animata sensibilia perfecta, ast non ut pœnam formaliter & Ethicè, præsupponentem culpam in eâ creaturâ, penes quam steterat, quò minùs peccaret, sed ut pœnam materialiter & Physicè, secum ferentem passionem dolorificam.

12. *Personæ, ratione ætatis, vel Pueri sunt, vel Senes, ratione sexus* Mulieres, *ratione generationis & regenerationis, Parentes, & quasi Parentes, sive Præceptores, qui alteri parentes, ratione officii Iudices, ratione status, Reges, ratione morum Boni Viri.*

13. *Nec,*

13. *Nec his irasci licet per mores : Non Pueris*, ætati donandum, nesciunt, an peccent : *Non Senibus*, dandum aliquid annis & canis, dandum infirmitati judicii & memoriæ : *Non Mulieribus*, errant, saltem errare possunt, ob debilitatem τοῦ βουλευτικοῦ καὶ ἡγεμονικοῦ, hoc est, animum insipiẽtem atq; impotentem illius sexus: *Non Parentibus*, plurimùm profuerunt, indiesquè prosunt, ut illis etiam alicujus injuriæ jus sit, aut fortassis, ipsum hoc meritum eorum est, quo offendimur : *Non Præceptoribus*, sunt alteri parentes, idem autem tenet in ficto, quod in vero : *Non Iudicibus*, plus illorum credere convenit sententiæ, quàm suæ, publicæ, quàm domesticæ : *Non Regibus*, qui, si nocentem puniunt, cedendum justitię, si innocentem, cedendum fortunæ, cumquè sint potentiores, quis eis irasci sapienter potest : *Non Bonis Viris*, dicuntur magis fecisse injuriam, quàm facere : *Non denique Homini, sive speciei, sed huic homini v g, Cleoni, sive homini in individuo*; quia ad iram proritat propriè, non homo, verùm hic ille iste homo antecedenter, nec ea excitata fertur in hominem, verùm in hunc illum istum hominem consequenter.

14. *Objectum Externum Positivum Mansuetudinis est Vindicatio sive Vindicta*, quâ contumeliam, vel vim, adeoquè omne, quod offuturum est, defendendo aut ulciscendo, à nobis vel nostris, propulsamus, red-

dendo malum pro malo, pœnale pro culpabili.

15. *Estquè vel Defensiva, vel Offensiva.*

16. *Vindicta Defensiva est*, quâ malum propulsamus in locis, ubi judicia sunt nulla, ubiq; Nomadum more vivitur, neque communis judicis copia habetur, quæ & qui si dentur, cessat hæc vindicta, cæteroquin licita.

17. *Vindicta Offensiva* est, quà malum irritanti aut delinquenti inferimus, deficiente scilicet defensione, cui sic succedit offensio, ut positivum negativo. Ubi namque defensio non valet, ibi valet offensio, mutatis armis defensivis seu evasivis in offensiva seu invasiva.

18. *Estquè vel Privata, vel Publica.*

19. *Vindicta Offensiva Privata* est, quâ malum malo privatim propulsamus, sive id fiat à merè privatis, sive à magistratu quidem, verùm ex causâ privatâ, affectuvè.

20. *Adhuc duplex. Vel enim est Simpliciter Privata, vel Secundum Quid.*

21. *Vindicta Offensiva Simpliciter Privata iterum, vel est Voluntaria, vel Necessaria: Illa illicita*, quando videlicet quis, injuriâ læsus, irâquè accensus, vel incontinenti, vel ex intervallo, ulciscēdi animo, illegitimè reddit malū pro malo, quia talis vindicta Deo exosa, legibusquè adversa, cùm ideò lex forum judex magistratus tribunalia sint constituta à majoribus, ne sui quisque doloris vindex esset: *Hæc licita*, quando videlicet quis, verbi gratiâ, furem nocturnum occidit, tanquam insidiatorem vitæ, tantò

tantò horribiliorem, quantò minus auxilii à vicinis haberi poteſt, aut vitam liberosvè contra vim latronis defendit, vel cum ejus nece ſive internecione, qualis cædes non tam voluntaria per ſe, & directè, quàm indirectè, & per accidens, adeoquè conſecutivè, isquè, qui talem cædem patrat, dicitur dare operam rei licitæ, facereque opus licitum, dum adhibeat totam diligentiam mod`, quam poteſt, idquè operam det, ne ad opus licitum ſequatur mors alterius merè voluntariè, quod faceret peccatum, cujus eſt eſſe voluntarium, quæ mors ſi præter intentionem conſequatur, hoc acceſſorium, & quodammodò caſuale, quia hic effectus ſecutus eſt præter intentionem particularis agentis, ſaltem primam. Quin tantum abeſt, ut hæc vindicta ſit illicita, ut, qui ſe contra vim illatam non defendit, ille non minùs peccet, ac ſi ſibiipſi manus inferret, quia ſuâ culpâ & negligentiâ vitam amiſit, quam tueri, & poterat, & debebat, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ſubducendo huic ſuppoſitum communitatis, quod Pragmatici verti dicunt in ſequentibus, tempore, loco, modo, cauſâ, eâque tam efficiente quàm finali: Tempore, ut propulſio ſive propulſatio fiat incontinenti, non ex intervallo, quæ vindicta, non defenſio: Loco, eoquè tali, ut elabi aliter non poſſit vim aggreſſoris congreſſor: Modo, requirente proportionem inſtrumentorum, ut armatus cum armato, pari telorum genere,

congrediatur, non dispari, utque, cùm per vulneris inflictionem evadere potest, non occidat: Causâ efficiente, ut defendendi animo suscipiatur, non vindicandi, ex impatientiâ, v g, irâ, vindictę cupiditate, quoniam defensio jure concessa, ultio verò prohibita: Denique causâ finali, ne primò intendatur offensio, nedum occisio, sed sui defensio.

22. *Vindicta Offensiva Secundum Quid Privata* est, cùm paterfamilias, tanquam rex familiæ, vindicat peccata suorum domesticorum: Dico, secundum quid privata, quia familiæ pater similitudine quâdam dici potest magistratus hâc in re imitari, quatenus in domo est, quod magistratus in civitate.

23. *Vindicta Offensiva Publica* est, quâ mediante magistratus, injuriam, vel Reipublicæ, vel cuivis privato, illatam, juxta leges propulsat ac punit.

24. *Estquè vel Universalis, vel Particularis.*

25. *Vindicta Offensiva Publica Universalis* est, quâ magistratus ditionem suę fidei commissam bello defendit, cùm ab aliis hostiliter infestatur. Quid enim aliud bellum, quàm actio hostilis, ad injuriam propulsandam, vel vindicandam, à magistratu, vi armisquè, contra hostes, pacis retinendæ vel consequendæ causâ, legitimè suscepta, administrata, finita? *Et ipsa licita.* Quoties enim in pace non licet sine injuriâ vivere, quoties de religione agitur, de libertate, patriæ parentum liberorum de-

defensione, tam justum, quàm necessarium, bello se finesquè suos tueri defensivè, hostiumque fines, (siquidem priores lacessiverint tamen,) invadere offensivè. Et cur, (amabò,) non sit licita, cùm sit actus mansuetudinis, fortitudinis, & justitiæ punitivæ, quem exercere utique jus fas, vel per Dei legem, qui non tantùm præcepta militiæ dedit, ejusquè tam directæ quàm indirectæ, sed etiam piis, suo jussu belligerantibus, Josuæ, Gedeoni, Davidi, sæpè miraculosè auxilium tulit, non facturus, si bellum per se moraliter malum foret, quo de judicandum, non ex iis, quæ per accidens huic conveniunt, aut adveniunt potiùs, verùm ex conditionibus essentialibus. Verùm hoc de argumento latè in Politicis.

26. *Vindicta Offensiva Publica Particularis sive Pœna* est, quæ suscipitur à magistratu, ad vindicandam injuriam personæ cuidam privatæ illatam, cui propriè jus redditur, cùm punitur is, qui injuriam intulit. Quòd si id fiat admonendo, revocatâ alicui in mentem officii sui obligatione; ea vindicta sive pœna dicitur Νουθεσία Græcis, Admonitio Latinis: Si increpando, revocatâ alicui in mentem sui officii oblivione atque incuriâ, Παραίνεσις Græcis, Improperatio Latinis: Si castigando, revocatâ alicui in mentem officii sui prostitutione & profanatione, Κόλασις Græcis, Castigatio Latinis, respiciens emendationem

 puniti,

puniti, quibus tribus generibus pœnarum, pro re natâ, videas vindicare patrem delicta filiorum, præceptorem discipulorum, Deum piorum, qui, quem diligit, corripit & corrigit: Quòd si populus exemplo reddatur deterior, Παράδειγμα Græcis, Exemplum Latinis, cujus proprium, ut latiùs terreat, quàm noceat, instar fulminum, quæ paucorum periculo cadunt, omnium verò metu, pœnâ ad unum aliquem, aut paucos, fructu verò ad omnes perveniente, quò alii à similibus peccatis deterreantur terrore suppliciorũ: Quòd si damnum aut periculum sentiat inde Respublica, isvè, qui huic præest, Τιμωρία Græcis, Honoris Reparatio sive Compensatio Latinis, quò satisfiat parti læsæ, ne prætermissa animadversio contemtum illius pariat, honoremquè levet, idquè, vel malefactorem tollendo, cui sic debetur pœna, ut benefactori laus, vel vires nocendi ei adimendo, ne, qui uni nocuit, aliis noceat, vel malo ejus dedocendo delinquere. Scilicet ita legum præsidem civitatisquè rectorem decet, quàm diu potest, verbis, & his mollioribus, curare ingenia eorum, qui per ætatem, imperitiam, imprudentiam, aliovè casu, sive volentes, sive nolentes, peccant, ut facienda suadeat, cupiditatemquè honesti & æqui conciliet animis, faciatquè vitiorum odium precium virtutum, quæ νουθεσία Græcis, transeat deinde ad tristiorem orationem,

quæ

quæ moneat adhuc & exprobret, quæ παραίνεσις Græcis, novissimè ad pœnas, & has adhuc leves atque revocabiles, quæ κόλασις Græcis, ultima & irrevocabilia supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire pereuntis intersit, quæ παράδειγμα Græcis, vel perdentis, quæ τιμωρία Græcis, inter quam & κόλασιν hoc interest, quòd hæc sit pœna ejus causâ, qui patitur, illa verò ejus gratiâ, qui exigit, quò ejus damnis aut injuriæ satisfiat.

27. *Officium Mansuetudinis circa suum Objectum, illud verò, vel Internum est, vel Externum.*

28. *Officium Internum Mansuetudinis est, Rectè Irasci, Externum, Rectè Vindicare: Unde duo resultant Actus Mansuetudinis. Internus, qui Ira Ordinata, Externus, qui Vindicatio sive Vindicta Ordinata & Regulata.* De quorum priori anquiritur: *Utrùm bonâ conscientiâ liceat irasci?* De posteriori: *Utrùm bonâ cum scientiâ & conscientiâ vindicare?*

29. *Licere bonâ conscientiâ irasci, observatis observandis*, evincunt, cùm aliâ, tum hæc argumenta. I. Quia simplex ira est affectus naturalis, naturaliter bonus, moraliter indifferens. II. Quia, sicut nunquam, aut nimis sæpè, minimùm aut nimiùm irasci, illicitum, ita licitum contrarium, irasci πῶς. III. Quia quædam ira laudatur, ira, inquam, tam viri quàm officii, sumta cum debitis circumstantiis, ubi autem laus, ibi virtus,

quæ licita utique, quare & talis ira. IV. Quia injuriam propulsare licitum, quare & irasci injuriæ depellendæ causâ. V. Quia mediante irâ homo in genere ad obeunda acriùs atque alacriùs munera excitatur, attenuato sanguine, spiritibusquè per totum corpus diffusis, qui sanguis, & qui spiritus, membra corporis vegetant, viresquè ejus commasculant, in specie verò ad fortitudinis & justitiæ punitivæ munia meliùs exercenda, cujus utriusque cos ira, probanda quoque hoc nomine. VI. Quia ira antecedens rationem culpatur, non item concomitans aut sequens.

30. *Licere hinc bonâ cum scientiâ & conscientiâ Vindicare*, (sive vindicatio illa, facta per pœnas consuetas, justasquè ob causas, adhibeatur tanquam medicina patientis pœnam, sive in præmium correspondens culpæ, sive in remedium aliorum,) id verò convincunt, cùm alia, tum illa argumenta. I. Quia, sicut in corpore humano, si quid ejusmodi, ut reliquo corpori noceat, illud uri secariquè patimur, quò membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus, intereat: Gemino modo in Reipublicæ corpore, quò totum sit salvum, cui quælibet pars totius servire debet, & ad constitutionem ejus, & ad conservationem, quicquid pestiferum est, amputari compatimur, occidendo homines bestiales, quos æquè licet occidere in commodum communitatis, atq; bestias in usum hominum,

sin-

singularium & singulorum, cùm non sint nisi bestiæ, loquendo moraliter. II. Quia meritò suffert pœnam à magistratu constitutam, qui legibus civilibus repugnat, nisi notoriè sint impiæ tamen, adversantes legi divinæ, aut tyrannicæ, adversantes legi naturali. III. Quia vanæ sine pœnis leges, aranearumquè telis similes, Zaleuci verbo, in quas si musca aut culex inciderit, detinetur, sin vespa aut apis, disruptâ telâ avolat. IV. Quia etiam parva delicta non punita nocent Reipublicæ, non secùs ac parvi sumtus, si sæpè fiant, familiæ. V. Quia ubi nulla judicia pœnaria exercentur, ibi etiam optima ingenia corrumpuntur, fenestram ad peccandum aperiente humanitate & clementiâ magistratus bonis, impunitatisquè spe malis, præteritione peccati invitante culpam, injuriâquè veteri novam, Mimi monito. VI. Quia multitudinis hæc est conditio, ut necessitati potiùs, quàm rationi, metui quàm pudori, pœnis quàm honestati, pareat, quæ ideò non licitæ tantùm, sed subindè necessariæ.

31. *Caterùm datur, ut Irasci & Vindicare, ita Inirasci, sive non irasci, nec Vindicare, Moraliter Benè septupliciter, nempè Quantitatis Qualitatis Finis Modi Personarum Loci & Temporis respectu.*

32. *Respectu Quantitatis irascuntur & vindicant, sive vindictam publicam exercent,*

benè, qui id domi operam dant, ne ira fit diuturna, nevè pœna culpâ fit major, crebriorvè, hominum mores nescio quomodo magis corrigente parcitate animadversionum, quàm assiduitate, per quam severitas amittit autoritatem.

33. *Respectu Qualitatis irascuntur & vindicant benè*, qui justè, hoc est, tunc, cùm aut gloria Dei conscientia religio violatur, patriæ libertas honestæ leges Respublica turbantur, nostra vel nostrorum salus periclitatur, existimatiovè læditur, injuriavè nobis nostrisquè infertur.

34. *Respectu Finis irascuntur & vindicant benè*, qui hoc faciunt, non tam propter ultionem, sive ulciscendi animo, quàm propter injurię propulsionem, suiquè ac suorum defensionem, idquè vel emendationis, vel exempli, vel satisfactionis causâ.

35. *Respectu Modi irascuntur & vindicant benè*, qui, si vel justæ irascendi ac vindicandi causæ incidant, paulùm iræ cursum sufflaminant, ut de impetu suo nonnihil remittat, rationquè, cui per iram, tanquam per nubem & nebulam, res grandiores videntur, accuratiùs offensam perpendere possit. Quid si enim aquam calidam tardiùs attulerit puer, (verba sunt Senecæ,) aut si calidam te postulante, vel non auscultaverit, vel audiens tepidiorem porrexerit, vel mensam negligentiùs posuerit, annon ad ista concitari insania est? Sicut

&,

&, si alicujus sternutamentum, aut musca curiosè fugata, in rabiem quem agat, vel versus calix, aut clavis negligentis servi manibus elapsa?

36. *Respectu Personarum irascuntur & vindicant benè*, qui non indifferenter omnibus, à quibus causas iræ vel vindictæ sibi præberi præsumunt, promiscuè irascuntur. Sunt enim, qui suâ sponte, vel etiam per ludibrium, causas iræ objiciunt, in quos justa potest esse, ut indignatio, ita vindicatio nostra: Sunt etiam, qui per imprudentiam offendunt, absque malitioso proposito, quibus, si cum pœnitentiâ delicti veniam petant, irasci inhumanum est, modò imprudentia illa non sit affectata, & dolo careat.

37. *Respectu Loci & Temporis irascuntur & vindicant benè*, qui, quando lætitiam loca & tempora exigunt, sibi temperant ab irâ pariter & vindictâ, nominatim in consultationibus seriis, quando de rebus magni momenti consilia agitantur, quibus inimica ira, in solennitatibus publicis, festis, nuptiis, conviviis ac symposiis, non tantùm ad corpus, sed etiam ad animum reficiendum, spectantibus, in quibus se iræ dare, vel permittere vindictæ, strictis super mensâ gladiis, ea res Scythismum & Cyclopismum sapit.

38. *Respectu hinc Quantitatis, non irascuntur, sed nec vindicant, benè*, qui semel iterumquè

què, suadente sic, vel ratione status, vel lege admittente hoc temperamentũ. Absq; hoc sit, irasci peccāti, ut corrigatur, nõ magis reprehẽsione dignũ, quàm contristari afflicto, quò liberetur, timere periclitanti, ne pereat, quorũ neuttũ quisquã sanę mẽtis culpaverit.

39. *Respectu Qualitatis* non irascuntur & haud vindicant benè, qui pro re subjectâ. Sunt enim quædam delicta, quibus ignovisse velimus, v g, delictis eorum, qui τῇ τύχῃ, ἢ ἀνάγκῃ, ignorantiâvè probabili, communivè imbecillitate peccârunt, lapsiquè culpam agnoscunt, veniamquè ejus precantur, pollicentes vitæ & factorum emendationem.

40. *Respectu Finis, non irascuntur, sed nec vindicãt, benè*, qui τοῦ καλοῦ ἕνεκα, honestatis ergò, v g, qui non irascũtur domi illis, qui sibi solis nocẽt, intus mali, sapientissimi Socratis non insipienti dicto pariter & facto, qui, calce impetitus ab adolescentulo ferocculo, cùm suos videret indignè id ferre & fremere, adeò quidem, ut illum in jus trahere cogitarent, quid ergò, inquit, an, si me asinus calce feriisset, jussuri eratis, ut contrà calcem ei impingerem?

41. *Respectu Modi, non irascuntur, sed nec vindicant, benè*, qui convenienter pietati, humanitati, & bonis moribus, hoc est, tantisper, quantisper legis voluntas clementiã vel veniã rationabiliter admittit. Dico, clementiã vel veniam. Est enim clementia quædã gratia & condonatio, v g, clementia Friderici Bar-

Barbaroffæ, non perfecta tamen, ut venia, v g, Conradi Saliqui, fed imperfecta, hoc eft, talis, ut officium & opus juftitiæ vindicativæ non excludat, fed folùm acerbitatem & afperitatem ejus nonnihil mitiget.

42. *Refpectu Perfonarũ, non irafcuntur, fed nec vindicant, benè*, qui non irafcuntur infontibus five innocentibus, jure potentioribus, benè de fe meritis, vl potentioribus, putà divitibus, fuperioribusvè, putà, magiftratibus, parẽtibus, prę ceptoribus, pręfectis, paribusvè, putà fratribus, fororibus, agnatis, cognatis, affinibus, inferioribusvè five impotẽtioribus, putà pueris infantibus, fenibus, mulieribus, fatuis.

43. *Refpectu Loci & Temporis non irafcuntur, fed nec vindicant, benè*, qui non irafcuntur vindicantquè, ubi & quando lętitiam tempora exigunt, contrà quàm fecit Tiberius Imperator, cujus poftremis annis tã crebra fuerunt fupplicia, ut nullus à pœnâ hominum ceffaret dies, ne religiofus quidem ac facer, animadverfumquè fit in quofdam ipfius juffu vel ineũtè anno novo, quo jure, quâvè injuriâ.

44. *Sic defcripta Manfuetudo, differt, in fpeciem magis, quàm fpecie, à Clementiâ, adeoquè Vfu Loquendi magis, quàm Vfu Artis.* Ut enim communi loquẽdi ftilo mãfuetudo à clemẽtiâ diftinguatur per fubjectũ, quod illius, tã privatę perfonę, quàm publicę, tã inferiores, quàm fuperiores, hujus verò publicæ tantũ, five fuperiores, diftinguatur per objectum, quod.

quod illius, tanquam moderativæ interioris passionis, ira, hujus, tanquam moderativæ exterioris punitionis, pœna, distinguantur officio, quod illius, imponere iræ modum, hujus imponere pœnæ modum, distinguantur extremis, quod illius iracundia, importans excessum iræ, hujus crudelitas, importans excessum pœnæ, tamen re penitiùs inspectâ, usu artis, quem artifices sequuntur, pro synonymis habentur, vel ideò, quia etiam privato in privatum jus pœnæ competit, v g, patri in filium, hero in servum, qui clementes ut sic, cùm eam diminuunt, mansueti verò ex alio capite, dum iræ suæ moderantur, per cujus excessum impediri poterat illa actio, quoniam ex passione iræ quia animari & provocari poterat ad graviorem infligendam pœnam. Ut ita idem utrobique, & quoad mansuetudinem, & quoad clementiam, sit habitus virtutis, sed quatenus ille habitus temperat iram, vel iræ, dicatur Mansuetudo, quatenus verò temperat pœnam, vel pœnæ, dicatur Clementia.

45. *Extrema Mansuetudinis sunt quatuor numero, duo in Excessu, totidem in Defectu. In excessu ei opponitur, ratione Ira, Iracundia, ratione verò Pœna, Crudelitas: In defectu contrà eidem opponitur, ratione Ira, Lentitudo, ratione verò Pœna, Indulgentia.*

46. *Iracundia* est vitium morale, quod in ira-

irascendo modum excedit. Quòd si quâlibet ex causâ, quibuslibet, ubivis, quovis tempore, irascatur, idquè citiùs, vehementiùs, diutiùs, quàm oportet, tunc Perfecta audit, eò quòd in eâ conveniant omnia, quæ mediocritati mansuetudinis adversantur, atque hæc non temerè reperitur in homine, quia seipsam, ut omne malum, siquidem sit totum atque integrum, conficit, & quidem quàm ocyssimè, aut, si reperitur, hominem intolerabilem planè atque inconversabilem reddit, ut neque secum satis, neque cum aliis, agere possit: Sin desit aliqua harum conditionum, tunc Imperfecta audit, eò quòd in eâ non conveniant omnia, quæ mediocritati mansuetudinis adversantur, sed quædam tantùm.

47. *Species ejus tres sunt, secundum tres ejus inordinationes specie distinctas*, Ἀκροχολία ἢ Ὀργιλότης *Græcis, Excandescentia Latinis*, Πικρία ἢ Πικρότης *Græcis, Amarulētia sive Amaritudo Latinis, deniq;* Χαλεπότης Ἀγριότης Ὠμότης Βαρυθυμία *Græcis, Asperitas & Sævitia Latinis, gravem versans sub pectore iram.*

48. Ὀργιλότης ἢ Ἀκροχολία, *Stomachatio sive Excandescentia*, est, cùm quis ob leviculas causas subitò irascitur, subitoquè placatur iratus, quemadmodum ad iram proclivis antecedenter, atque ἐν λήψει ejus, ita injuriæ illatæ dememor consequenter, adeoquè ἐν φυλακῇ ejus, festinus in illâ, breviculus in

in hâc. Ut ita primũ genus iracundorũ ſit eorũ, qui ἀκρόχολοι Græcè dicũtur ex eo, quòd ad omnẽ occaſionẽ iraſcantur, ſintquè ἄκροι in celeriter iraſcendo pariter, & deiraſcendo.

49. Πικρία ἢ Πικρότης, *Amarulentia ſive Amaritudo*, eſt, cùm quis tardè quidem iraſcitur, ſed conceptam ſemel iram tantiſper fovet, donec vel temporis tractu, vel partâ victoriâ, conſeneſcat, dicam, an obſoleſcat. Ut ita ſecundum genus iracundorum ſit eorum, qui πικροὶ Grecè dicuntur, acerbi verò & amari Latinè, contrario ferè genio & ingenio à prioribus.

50. Χαλεπότης ἢ Βαρυθυμία, *Aſperitas ſive Sævitia*, eſt, cùm quis ita iraſcitur, ut nonniſi vindictâ extraordinariâ placetur, nec niſi injuriam priùs ſit ultus. Ut ita tertium genus iracundorũ ſit eorum, qui χαλεποὶ Grecis vocantur, item ἄγριοι, hoc eſt, feri & agreſtes, & βαρύθυμοι, gravis ire, Latinis verò, difficiles, aſperi, atroces, ſævi. Atque hi omnium ſunt deterrimi, & ex duobus prioribus concreti.

51. *Cæterùm Differt Iracundia ab Irâ*, quòd hæc πάθος naturale, fundamentum habens in naturæ diſpoſitione, illa verò habitus moralis, circa eam excedens modum, hæc moraliter indifferens, hoc eſt, nec bona nec mala per ſe, illa mala moraliter.

52. *Crudelitas* eſt vitium morale, quod in vindicando modum excedit, atrocitas, inquam, animi in exigendis aſperiùs pœnis. Sicut enim cle-

clementia minuit pœnam, quantum ratio patitur, ita crudelitas illam ſupra modum exacerbat atque exaſperat, quâdam animi acerbitate & aſperitate, malo alterius minimè compatientis. Nomen accepit à cruditate. Quemadmodum enim ea, quæ cocta ſunt & digeſta, amant habere ſuavem ac dulcem ſaporem, ita contrà illa, quæ ſunt cruda adhuc & indigeſta, aſperum atque inſuavem.

53. *Differt à Feritate*, ſicut malitia humana à beſtialitate. Quemadmodũ enim immanes beſtiæ dilaniant homines, & eâ re delectantur, ſpectantes ſolam voluptatem paſtus: Ita, qui non vindictæ causâ cruciatus inferunt, ſed quia tormentis ac ſanguine humano delectantur, næ illi meritò dicuntur feri, utpote beſtiis quàm hominibus ſimiliores affectu.

54. *Lentitudo* eſt vitium morale, quod in iraſcendo modum deſerit, quovè adeò non iraſcuntur homines, quibus quando quomodo ubi & ob quæ oportet, inde peccantes tarditate λήψεως, hinc φυλακῆς brevitate, dum tardè ſumunt iram, & citò ponunt. Ariſtoteles hunc defectum in irâ vocat Ἀοργησίαν Iniraſcentiam, (Iræ Vacuitatem alii,) eamquè duplici nomine reprehendit, tum quia, qui non iraſcuntur, cùm licet, & decet, ſint homines ἠλίθιοι, ſtulti, fatui, ſtupidi inſtar λίθου ſive lapidis, tum quia ſint ἀνδραποδώδεις, animi ſervilis & abjecti, inſtar vilium mancipiorum, convicia & dicteria dominorum ſtupidâ patientiâ perferentium.

55. *In-*

55. *Indulgentia* est vitium morale, quod in vindicando modum deserit, inconsultè pœnam mitigans, vel omninò remittens, etiam cùm bonum delinquentis, vel dignitas & autoritas ejus, cujus intererat non peccatum esse, vel exemplum aliorum, aliud requirunt.

56. *De quatuor his praexplicatis Extremis, Iracundiâ Crudelitate Lentitudine & Indulgentiâ, deterior in comparatione, Iracundia Lentitudine, Crudelitas Indulgentiâ.*

57. *Iracundia Lentitudine.* I. Quia ἀνθρωπικωτέρη, usitatior, inquam, & frequentior, ut in quâ sæpiùs peccent homines, ad ulciscendum plus æquo propensi. II. Quia mediæ virtuti, hoc est, mansuetudini, magis adversatur. III. Quia minùs accommodata ad vitæ eonversationem. Cum lento quippè adhuc vivi potest, cum iracundis verò, inprimis sævioribus illis, vix ac ne vix quidem.

58. *Crudelitas Indulgentiâ.* I. Quia frequentiùs peccant homines magistratus per crudelitatem, quàm per indulgentiam. II. Quia crudelitas est remotior à mansuetudine. III. Quia indulgentia magis est accommodata ad vitæ societatem. IV. Quia incendium, ortum ex crudelitate, in Republicâ difficiliùs extinguitur, quàm quod ortum est ex nimiâ indulgentiâ.

CA-

CAPUT XXXIX.

De Veracitate, & hujus Extremis, id est, inde Arrogantiâ, hinc Dissimulatione, utrinque Mendacitate.

§. 1. VEracitas, *si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic audit à Veritate, non Rei, sive in Essendo, quæ Transcendentalis aliter, nihilquè aliud, quàm congruentia & conformitas entis, cujus est quædam affectio & proprietas, cum suâ naturâ inexistens rebus extra intellectum, Cognitionisvè, sive in Cognoscendo, quæ Logica aliter, nihilquè aliud, quàm congruentia & conformitas conceptuum mentis cum ipsis rebus, sed Signi, sive in Significando, quæ Ethica aliter, nihilquè aliud, quàm congruentia & conformitas dicti & facti cum mente, atque animi sententiâ, sive, signi cum re signatâ, ductâ voce ejus, non à vere, sed vel à ve & res, vel à ve & reor. Græcè loquentibus veritas Ἀλήθεια audit ab ἀ privativo, & verbo λαθεῖν, quod est latere, quòd nequeat latere & latitare, sed pressa atque oppressa semper emergat, quamvis respectu nostræ mentis, in rerum cognitione cæcutientis, in profundo lateat sæpè. Veracitas verò Φιλαλήθεια, sive eam accipias pro animi quâdam affectione, amplectente atque amplexante verum, partim naturâ insitâ, partim usu acquisitâ, sive pro veritatis, vel Theoreticæ, vel Practicæ, habitu,

9. *Objectum Externum Negativum Veracitatis est tergeminum, Veritas* Rei *sive Metaphysica, Doctrina sive Logica, & Iustitia sive* Politica, quarum illa generale attributum entis, quatenus estens, sive in quantū est ens, ista orationis, aut, si qua alia re cōceptus nostros aliis prodimus, convenientia cum objecto, sive re significatâ, probans per syllogismos veritatem conclusionibus inesse, utraq; virtutum intellectualium potiùs, quàm moralium, hæc veri, quatenus ejus confessio ad justitiam pertinet, quę vult, ut nominatim atque in specie ibi, ubi ideò verum dicendum est, ut alteri suum tribuamus, (ex debito tamen magis legali, quàm morali, eo modo, quo videmus contrahentem contrahenti debere satisfactionem vel satisdationem in contractibus,) veritati studeamus, v g. in judiciis; pactis conventis, testimonii dictione, jurejurando, quam postremam veritatis speciem Philosophus definit, quòd sit *μεσότης περὶ τὴν τοῦ ἀληθοῦς ὁμολογίαν ἐν ὁμιλίαις Πολιτικαῖς*, medietas circa veri professionem in congressibus Politicis, quę & ipsa alterius loci, non hujus.

10. *Objectum* Externum *Positivum Veracitatis est Veritas Moralis sive Ethica*, quam extra judicium, in communi conversatione, aliis debemus, tam quoad dicta, quàm quoad facta. quę in convictu & congressu hominum quotidiè occurrunt, absque omni falsitate fictione & dolo; idquè eôpse, sive eo ipso, quia

 tali

tali animi habitu præditi sumus, & quia id quodammodò proximo, tanquam objecto cui, est debitum, non tam ex parte ipsius tamen, quàm ex parte nostrâ. Est namque hoc debitum morale, proveniens ex honestate virtutis, per se consideratâ, seposito omni alio obligationis vinculo.

11. Hîc loci incidenter quæri solet in Diatribis Philosophicis, *Annon, quod Logicè falsum est, possit esse Ethicè verum, adeoquè quis Logicè possit mentiri, ut tamen Ethicè dicat veritatem?* Affirmatur communiter, atque in hanc ferè sententiam, si oratio cum dicentis intellectu conveniat quidem, verùm ab ipsâ re interim discrepet, qualis verum dicit Ethicè, mentitur interim Logicè, ut, si homo Pontificius, convenienter opinioni suæ, dicat esse purgatorium, quod non est in rei veritate, à ut si quis antipodes esse dicat, neque tamen eos credat esse, qualis verum dicit Logicè, quia pronunciat, ut res est, mentitur interim Ethicè, quia non credit eos esse.

12. *Officium Veracitatis circa suum Objectum, vel Primarium est, vel Secundarium.*

13. *Officium Primarium Veracitatis est, Ἀληθεύειν Pectore Ore Re,* non alterius rei gratiâ, quæ Veracitas Composita Moralistis, sed sui ipsius causâ, quæ Veracitas Simplex & Pura iisdem: *Secundarium, Μὴ Ἀληθεύειν*, veritatem tegere, celare, premere, dissimulare pro re natâ, ubi ejus dictio haud est neces-

necessaria, adeoquè, ut loqui, ita tacere, in loco, gnarum, sermonem quandoque præstare silentio, & hoc sermone, Euripidis dicto.

14. *Unde duo resultant Actus Interni Veracitatis, Appetitus ut Dicendi ita Tacendi Veritatem.* De priori anquiritur, *utrùm bonâ conscientiâ quis possit veritatem dicere?* De posteriori, *utrùm bonâ conscientiâ quis possit eandem tacere?*

15. *Licere, immò decere, salvâ conscientiâ veritatem dicere*, (neque interim omnem omnibus indifferenter,) id convincunt cùm alia tum hæc argumenta. I. Quia ad hoc tenemur ex officio veracitatis, quæ vult, ut ficum appellemus ficum, ligonem ligonem, dulcia, quæ in se dulcedinem habent, amara, quæ amaritudinem. II. Quia, si licet veritatem defendere, licebit etiam dicere, ne defensio feratur in incognitum, cujus quemadmodum nulla cupido, ita nec defensio. III. Quia, si licet veritatem audire, nec huic claudere aures, licebit quoque dicere, nec huic claudere os, hoc magis, quia audita, sive de auditu, ferè loquimur. Dico ferè, quia de visu etiam loquimur sive lectu. IV. Taceo, quòd veritatis dicendæ studium homines Deo similes reddat, qui nunquam mentitur, cùm sit ipsissima veritas, & pater veritatis, sicut diabolus mendacii.

16. *Licere hinc b conscientia veritatem quoque etiam tacere pro re nata*, id evincunt &

pervincunt cum alia tum iſta argumenta. I. Quia non minùs ſapientis eſt, tacere tacenda, cùm non omnibus teneamur cor noſtrum manifeſtare, fieriquè poſſit, ut quis alteri obligatus ſit ad ſilentium, v. g. conſiliarius ſuo domino, Medicus Patienti, Confeſſor Confeſſionario, & verò etiam ſubindè veritas cum virtute reticeri poſſit, putà tunc, cùm prudentiæ lege obligamur ad tacendum, & absque ejus violatione ad interrogata reſpondere nequimus, ut ſi res dicenda interroganti, non modò non commodo, ſed proximo inſuper ſit futura detrimento, ut præſtet eam premere, quàm promere, intervè homines feroces, ebrios, aut hoſtes ſi verſemur. II. Quia viro bono & prudenti licet domi occultare ſua conſilia, vel ideò, ne impediantur, quodquè tacitum eſt, id poteſt aliquandò dici, non item, quod dictum, taceri. Quò reſpexiſſe videtur Simonides poeta, cùm dixit, nunquam ſe ſilentii pœnituiſſe, at ſæpè ſermonis. III. Quia non, ſicut mentitur, qui dicit, quod non eſt, ita ocyùs mentitur, qui tacet, quod eſt, quod aliquandò licet facere per dolum, conſiſtentem in actu negativo, ut cùm quis diſſimulatione tuetur ſua, vel aliena. IV. Denique, hoc ipſum requirit nominatim taciturnitas, quà honeſta, quâ linguam tantiſper continemus, donec conveniens loquendi locus detur, quà neceſſaria, quâ cognita nobiſcum retinemus, ne in

per-

perniciem alicujus divulgentur. Scilicet hoc discendum, Apuleji salubri monito, ut, cùm dicto est opus, impigrè dicamus, &, cùm tacito opus est, libenter taceamus, auribusquè frequentiùs utamur, quàm linguâ, memores, eum, qui nescit tacere, nescire loqui.

17. *Caterùm Veritas, ut Dicitur ita Tacetur Bene Moraliter, septupliciter, nempè Quantitatis Qualitatis Finis Modi Personarum Loci & Temporis respectu.*

18. *Respectu Quantitatis veritatem dicunt benè*, qui nec excedunt, dicendo plus, quàm dicendum est, nec deficiunt, dicendo minus, quàm dicendum est, parte unâ veritatis disparatæ, plures habentis partes, subindè dictâ, indictâ alterâ, Athanasio ad eam rem suo exemplo præeunte, qui rogatus ab emissariis, annon Athanasius hâc ivisset navi, modò, inquit, hâc ivit, dicens verum parte unâ, non item alterâ, veritatem, inquam, sed non omnem & totam, non utique, se esse illum ipsum Athanasium, quem quærerent.

19. *Respectu Qualitatis veritatem dicunt benè*, qui eam dicunt, non solùm ubi interest, putà, si vel Reipublicæ vel amici utilitas agatur aut salus, eaquè periclitetur suppressâ veritate, sed etiam, ubi nihil interest, putà, in quotidianâ vitæ conversatione, ubi sine alterius damno mentiri poterant, neque verbis apertis semper, verùm ambiguis, sed tamen significantibus, & usitatis, quod cùm sit,

alter propterea non decipitur, aut si, imputet id sibi, non alteri.

20. *Respectu Finis veritatem dicunt benè*, qui honestatis ergò, quod proprium hominis veracis, qui, præterquam quòd ἀυθέκαςος, omnia, ut reverà se habent, proferensquè gerensquè, neque à vero dictis vel factis in aliorum gratiam vel tantillum recedens, sed τὸ ἔργον proferens, ut est ipsum ἀυτὸ, quodquè ἐπιεικὴς, justus & bonus, nihil propter cōmodum privatum dicensvè faciensvè, quod reverà non sit, etiam est φιλαλήθης, veri studiosus, idquè, sive spectes actum ejus intrinsecum, consistentem essentialiter in habituali amore veritatis, sive extrinsecum, consistentem in amore ejus actuali, qui autem talis, næ ille verum dicit τοῦ καλοῦ ἕνεκα. Cùm enim mendacium fugiat per se, tanquam naturâ suâ malum & vituperandum, quî ille non prosequatur oppositam veritatem item per se, tanquam naturâ suâ honestam & laudabilem?

21. *Respectu Modi veritatem dicunt benè*, qui circumspectè, & cum cautione, miscentes columbinam simplicitatem cum serpentinâ astutiâ, aliquandò diversum à veritate dicentes, nunquam contrarium, falsumvè, aliâs directè, aliâs indirectè, aliâs conjunctè, aliâs disjunctè, aliâs categoricè, aliâs hypotheticè.

22. *Respectu Personarum veritatem dicunt benè*, qui eam non dicunt apud quosvis, sed apud eos, quibus obligati sunt eam, ex officio mo-

morali, vel civili, communicare rogati, interdum etiam non rogati, sed hactenus scilicet, ut nec odium eorum timeant inde, nec gratiam aucupentur.

23. *Respectu Loci & Temporis veritatem dicunt benè*, qui in loco & tempore, hoc est, ibi & tunc, ubi & quando eam dictam oportuit. Usque adeò

Nobile lingua bonum, si fari in tempore novit!

24. *Respectu hinc Quantitatis veritatem tacent benè*, qui non omnem veritatem efferunt, cùm fieri possit, ut alicui non sint obligati ad eam dicendam, alteri verò obligati ad silentium, vel per leges prudentiæ, vel per leges taciturnitatis, vel per leges datæ fidei, silentium imperantes in indebitâ materiâ.

25. *Respectu Qualitatis veritatem tacent benè*, qui cum virtute, eò quòd ejus professio subindè pugnet, & cum prudentiâ, & cum justitiâ, & cum taciturnitate, quiquè adeò tacent tacenda, ex officio, vel morali seu morum, vel civili seu legum.

26. *Respectu Finis veritatem tacent benè*, qui τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἕνεκα, eò quòd res dicenda quærenti, non modò non commodo, sed proximo insuper sit futura detrimento, ut præstet eam honestè premere cum Jonathane, quàm turpiter promere.

27. *Respectu modi veritatem tacent benè*, qui cautè & circumspectè, hoc est, ita, ne prudentiæ vel taciturnitatis leges violentur,

illius positivè, dicendo falsum, hujus negativè, non dicendo verum.

28. *Respectu Personarum veritatem tacent benè*, qui eam non dicunt apud quosvis, nominatim inter homines feroces, ebrios, hostes, eosvè, qui ex levitate vel curiositate quærunt, cum Papyrii prætextati matre, nedum si quærant ex impietate & malitiâ.

29. *Respectu Loci & temporis veritatem tacent benè*, qui in loco & tempore, hoc est, ubi & quando eam tacitam oportuit. Est quippè, cùm veri manifestatio est intempestiva, putà tunc, cùm sine offensione Dei & conscientiæ, proximiquè scandalo atque incommodo, reticeri poterat, cùm aliud sit veritatem dicere, aliud effutire. Usque adeò

Nobile lingua bonum, si fari in tempore nescit!

30. *Differt à Veritate*, quòd veritas sit universè magis intellectualis, sive cognitionis & scientiæ, veracitas verò universè magis moralis, sive orationis & actionis, illa actus secundus, isquè unicus, hæc actus primus, illa objectum hujus, hæc habitus circa illud objectum.

31. *Extrema Veracitatis duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu, nisi quòd Mendacitas ei opponatur utrinque, complectens utrumque extremum. In excessu ei opponitur Arrogantia sive Simulatio, in defectu Ironia sive Dissimulatio.*

32. *Arrogantia* est vitium morale, quo quis si-

ſimulat, ſibi aut ea ineſſe bona, quæ non inſunt, aut majora & plura, quàm inſunt. Latinè Philoſophantes Simulationem appellant aliter: (Quid enim aliud ſimulare, quàm ſimile facere, id eſt, præ ſe ferre foris quod non ineſt?) Item jactantiam, quia per eam ſe verbis extollit, & quaſi in altum elevat homo, ſicut ſolemus ea, quę volumus lõgè jactare. Grecè Philoſophantes vocant eã Ἀλαζονείαν, & eum, qui hoc vitio laborat, Ἀλάζονα, quaſi ἀπὸ τῆς ἄλης ζῶντα, ἢ ἄλλως ζῶντα, quales homines vagi, & peregrinationibus dediti, qui, ſi revertantur ad ſuos, prodigioſa quæque commemorare ſolent, & ſplendidè mentiri, vaniſſimequè vivere.

33. *Arrogantia hæc, vel Simplex eſt, vel Compoſita ſive Mixta.*

34. *Arrogantia Simplex* eſt, quando quis μηδενὸς ἕνεκα ſimulat, menriturquè ex ſolâ vanitate, ſive mentiendi libidine, ſecundum habitum, qui in eo eſt, nullâ aliâ externâ causâ ductus, putà, præmio, metu, pœnâ, pactis, ſinevè ulteriori, hoc eſt, cùm quis mentitur, ut mentiatur, atque hæc propriè eſt hujus loci. Sicut enim veraces veritatem dicunt, ut veritatem dicant, ita mendaces mentiuntur, ut mentiantur.

35. *Arrogantia Compoſita ſive Mixta* eſt, quando quis ἕνεκά τινος, id eſt, honoris gloriæ pecuniæ aut quæſtus gratiâ mentitur, adeoquè propter aliud, hoc eſt, propter cauſam

aliquam exteriorem magis, quàm propter interiorem habitum mentiendi. Atque hæc arrogantia ferè sub alia cadit vitia, ambitionem, avaritiam, injuſtitiam.

36, *Eſtquè duplex. Vel enim eſt Gloria, vel Quaſtus.*

37. *Arrogantia Gloriæ* eſt eorum, qui eas res ſibi arrogant, ob quas homines vulgò laudari, aut beati prædicari ſolent, qualia ſunt bona corporis & fortunæ, v g, pulchritudo, vires, nobilitas, divitiæ, opes, dignitates.

38. *Arrogantia Quaſtus* eſt eorum, qui ea ſibi arrogant, quorum hominibus neceſſarius eſt uſus, quibusquè carere nequeunt, cujusmodi ferè ſunt bonà animi, quæ vulgò uſum afferunt, ceu ſunt diſciplinæ & ſcientiæ. Quis enim ignorat, multos in omni genere artium eſſe, qui, cùm imperitiſſimi ſint, harum peritamen ſibi vendicent quæſtus causâ.

39. Ex his priores, ſimplicis qui ſunt arrogantiæ, mali, ſaltem malis ſimiles, quia aliâs non delectarentur mendacio, licet inani, & nemini damnoſo, neque interim tam improbi, quàm ſtolidi & leves, eò quòd animum nocendi non habeant: Poſteriores verò, compoſitæ qui ſunt arrogantiæ, ſiquidem honoris gratiâ mentiantur, & ipſi non adeò improbi videntur, ut qui nemini noceant & ipſi, reprehendendivè in comparatione, cùm animi generoſioris ſit indicium, honoris causâ mentiri, quàm pecuniæ, aut eorum gratiâ,

quæ

quæ pecuniæ loco sunt, vel habentur, qui cæteris vitiosiores & turpiores. Atque hi propriè gloriosi dicuntur.

40. *Dissimulatio* est vitium morale, quo quis, quæ in se laudabilia sunt, verbis aut gestibus, dissimulat, nimiumvè extenuat, adeoquè bona, tam sua, quàm aliena, vel nulla esse fingit, vel minora, quam sunt reâpse sive reipsà. Quid enim aliud dissimulare, quàm dissimile facere, id est, foris præ se non ferre, quod inest? Græcè Philosophantes eam vocant Ε'ιρωνείαν, per eam intelligentes, non Ironiam Rhetoricam, contrarium è contrario significantem absque mendacio, sed Ethicam, idem significantem cum mendacio, & eum, qui hoc vitio laborat, vocant Ε'ίρωνα, quasi εἰρωνευόμενον, dissimulatione utentem deceptoriè in loquendo.

41. *Estquè duplex numero, putà, Philosophica & Pseudo-Philosophica.*

42. *Dissimulatio Philosophica* est eorum, qui res magnas, gloriosas, & aliis incognitas, v.g, raram eruditionem, dissimulant, ne videantur esse ἀλάζονες. Atque hi propriè εἴρωνες dicuntur, humaniquè gratiosi atque elegantes habentur, eùm, quod faciunt, non lucri, sed modestiæ causâ, faciant, utquè declinent arrogantiæ suspicionem.

43. *Dissimulatio Pseudo-Philosophica sive Phaulo-Philosophica*, est eorum, qui minimaque & apertissima, hoc est, res parvas,

plebejas vulgares, v g, plebejam doctrinam, dissimulant, quò videantur esse modesti, quoquè alii, assumentes & redassumentes has nugas, eas amplificent, ridiculi hâc parte, & despicatui omnibus honestis, ob fictam humilitatem, sub modestiæ involucro.

44. *Utraque, tam Simulatio, inquam, quàm Dissimulatio, sumta ἐν πλάτει sive latè, vel Bona est Moraliter, vel Mala, vel Indifferens.*

45. *Simulatio & Dissimulatio sive Dissimulantia Moraliter Bona* est, quæ non est conjuncta cum mendacio, neque ad decipiendum, sed ad cavendum tantùm, comparata, vel cum dolo aliquo, sive is consistat in actu negativo, sive in actu positivo, non malo tamen.

46. *Simulatio & Dissimulatio sive Dissimulantia Moraliter* Mala est quę est conjuncta cum mendacio, neque tam ad cavendum prudenter, quàm ad decipiendum malitiosè, comparata, veluti, si quis dicat, se habere, quod non habet, aut non habere, quod habet, quorum illud simulationis, hoc dissimularionis, sic prudentia, ut malarum rerum audacia fortitudo.

47. *Simulatio & Dissimulatio sive Dissimulantia Moraliter Indifferens* est, quæ non potest dolos astu colere, aptequè scitè & decorè agere fabulam in foro vitæ humanæ, stulta potiùs & ridicula, quàm scelesta, neque possessionem intrans sceleris & flagitii, verùm in confinio vitioru n consistens:

48. *In-*

48. *Iuvat hîc quærere περιεργῶς, utra ex his, loquendo de malâ, sit pejor in comparatione, Arrogantianè sive Simulatio, an Ironia sive Dissimulatio?* Responsitant communiter, quòd Arrogantia sive Simulatio, saltem regulariter, & secundum se, tum quia arrogantia minorem habet cum veracitate convenientiam, deflectente magis ad defectum, quàm excessum, tum quia molesta civili societati, atq; incommoda communi conversationi, tum quia ex turpiori causâ procedit, persuade ex cupiditate vanę glorię, cùm ironia sive dissimulatio contrà, negando, quæ insunt, vel minus dicendo, plerumque id faciat, quò fastum & jactantiam declinet.

49. *Vtrumque hoc extremum ambitu suo complectitur Mendacitas*, quę, cùm inclinat ad excessum, & transcendit veritatem in majus, tunc speciali nomine Arrogantia audit, at cùm declinat ad defectum, & transcendit veritatem in minus, quæ æqualitas quædam inter majus & minus, tunc speciali nomine Ironia audit, inde Simulatio, hinc Dissimulatio.

50. *Mendacitas* est vitium morale, quo quis, non tam ex ingenii vanitate, affectatâvè ignorantiâ, supinâvè negligentiâ, quàm ex pravitate cordis, mentiendiquè habitu, dictis, scriptis, factis, gestibus, vêstibus, contrarium significat illi, quod est in mente & voluntate, & quidem cum intentione fallendi. Dico, non tam ex ingenii vanitate,

affectatâvè ignorantiâ, supinâvè negligentiâ, quia tales mendacium potiùs dicunt, quàm mentiuntur. Differunt quippè mentiri & mendacium dicere, quia, qui mentitur, is contra mentem suam loquitur falsum, ex malâ voluntate fallendi & nocendi, qui verò mendacium dicit, ille non tam fallit, quàm fallitur, id quod accidere potest quoque viro optimo, qui dicere mendacium scienter minimè vellet, eò quod fallere malorum sit, falli etiam bonorum. Ut ita τὸ dicere mendacium materiale tantùm sit mendacii propriè dicti, τὸ mentiri verò formale ejus, hocque posito, possit quis mendacium dicere, neque interim mentiri, ut si quis v. g. falsa, quæ ab aliis auditione accepit, aliis narret, absque fallendi proposito, qualis eo ipso mendacium dicit, quia narratio ejus à vero est aliena, neque interim mentitur, quia animus & intentio fallendi, quæ rationem formalem mendacio largitur, & nō voluntas sola falsum enunciandi, ab ipso longissimè abest. Cæterùm denominationem hanc accepit mendacitas à mendâ vel mendo, quæ voces significant defectum, in præsenti argumento, circa orationem. Qui enim minus, quàm opus est, dicit, is veritatem imminuit, diciturqu. mendax. Isidorus tamen vult id nominis mendacium traxisse à mente, eò quòd contra mentem sit dicentis, & mentem fallat audientis, verùm repu-

gnante

gnante scripturâ, quia sic rescribendum foret mentacitas, pro mendacitas.

51. *Objectum Mendacitatis sic est Mendacium, ut Veracitatis Veritas*, estquè illud nihil aliud, quàm fallax significatio vocis, sive falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. In quâ definitione per vocem intelligitur omne signum, sive illud sit sermo, sive scriptura, sive nutus, sive gestus, sive actio seu factum. Additur in definitione, cû intentione fallendi, nec abs re. Neq; enim statim, qui falsum dicit, cujus species est mendacium, ille mendacio se obstringit, cùm fieri possit, ut quis dicat, quod res non est, verùm inscius, & sine animo falsa proferendi, qualis profert mendacium materialiter, sive τὸ ψευδὲς, non etiam formaliter, sive τὸ ψεῦδος.

52. *Mendacium universè, vel Simplex est, vel Compositum.*

53. *Mendacium Simplex* est, cùm quis ex solâ mentiendi libidine mentitur, secundum habitum tamẽ, qui in eo est: *Compositum*, cùm quis mentitur intentione alicujus effecti ex mendacio secuturi, purà, lucri, vel damni.

54. *Estquè vel Officiosum sive Benignitatis, vel Iocosum sive Iocositatis, vel Perniciosum sive Malignitatis.*

55. *Mendacium Officiosum* est, quod ex benignitate inordinatâ, in salutem alterius, adeoquè boni utilis causâ, suscipitur: *Iocosum*, quod voluptatis causâ, vel suę, vel alie-

næ

næ, ideoquè boni delectabilis causâ, suscipitur, idquè ferè à juvenibus temerariis, qui falsorum denunciatione fallere solent æquales, magnâquè cum voluptate ridere, siquidem ejusmodi nugas credant creduli, hisquè fidem adhibeant. Ubi notabis obiter, non statim dici mendacium jocosum, si quis falsum dicat joco, ita ut omnes facilè intelligant, ex gestu, & orationis habitu, qui pro capite non habent peponem, &pro cerebro fungum, illum non ex animi sententiâ loqui, sed aliud significare, quàm dicit, verùm id demùm, cùm animi causâ, & quòd delectationem inde capiat, falsò quis narrat, quæ tamen aliis ut vera persuasa esse cupit: *Perniciosum*, quod ex malignitate in alicujus perniciem suscipitur.

56. *Omnia indifferenter mala & vitiosa, quocunque nomine veniant*, tum quia talia formaliter per se atque intrinsecè, cùm destituantur rectitudine ac concinnitate morali, quæ in verbis factisquè desideratur, inquè extremitate, non mediocritate, consistant, quæ autem talia, illa nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione, possunt ullâ circumstantiâ extrinsecâ, v g, temporis, loci, personarum, mutari, atque honesta fieri, cùm externa rerum essentias haud mutent, tum, quia Deo pariter & hominibus invisa, prohibita ab utrisque sine exceptione, ut quæ diabo-

diabolum autorem habeant, qui mendax inde ab ovo, hominemquè spollent ἀξιοπιστία. Hoc quippè lucrifaciunt & compendifaciunt mendaces, ut ne vera quidem dicentibus credatur.

§ 7. *Nominatim, atque in specie, Mendacia Officiosa*, tum quia non licet mentiri, ne pro Dei quidem laude, nedum pro proximi famâ, bonis, vitâ; eò quòd intentio sola haud reddat actionem moraliter bonam, cùm naturâ suâ est mala; (Neque enim ideò mendacium officiosum putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquandò prodesse mentiendo, cùm possimus & furando aliquandò prodesse, si pauper, cui palàm datur, sentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non sentiat incommodum, possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura:) tum quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona, putà, mala moralia, non civilia, quæ boni alicujus gratiâ, suscipiquè possunt, suscipiquè quandoq; debent, exemplo ejus, qui projicit merces in mare, aut latroni numerat pecuniam, vitæ conservandæ ergò, tum quia etiam in talibus mendaciis est quidam verborum abusus, quædam deceptio & fraus, cumquè omne mendaciũ in latitudine suâ sit turpe, quî honestum queat esse mendacium, quod vocant, officiosum, cujus si nobis è scripturis

sacris

ſacris proponuntur exempla, aut mendacia non ſunt, ſed putantur eſſe, dum non intelliguntur, aut; ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt, quia juſta eſſe non poſſunt. Ut enim ſcriptura ea non vituperet, ſufficit ut non laudet.

58. *Nominatiùs Mendacia Iocoſa*, tum quia vanitas eſt, delectandi causâ quid fingere ac proferre falsè & lepidè, vel citra perniciem tertii, eo animo, ut huic auditor fidem habeat, tum, quia etiam in talibus mendaciis eſt quidam verborum luſus, dicam, an abuſus, quædam amica deceptio & fraus, dum jlocalariter mendax, quaſi honeſtus deceptor, falsò narrat, quæ aliis ut ſeria perſuaſa eſſe cupit, vultu ac pronunciatione ſeriâ & ſeverâ proferens joca, cumquè omne mendacium in latitudine ſuâ ſit malum & turpe, quî bonum & honeſtum eſſe poſſit mendacium, quod vocant, jocoſum, quod ſi non mendacium, ergò veritas.

59. *Nominatiſſimè Mendacia Pernicioſa*, tum quia per ſe mala, immò peſſima, cùm nihil contineant boni, ut mendacia officioſa & jocoſa, quo malum illud quomodolibet compenſetur, tum quia, præter propriam rationem mali, perniciem afferunt audientibus, tanquam deceptiva & violativa proximi, quoad ejus perſonam, vitam, famam, facultates, tum quia etiam in pernicioſis mendaciis eſt quidam verborum abuſus, contra naturalem eorum

rum institutionem, & quædam deceptio ac fraus, suspectum reddens hominem, fidemquè ejus in dubium vocans, ob contradictionem, quæ est mentem inter & linguam, interiora, inquam, hominis & exteriora, quæ sicut consentiunt in veritate, internus homo cum externo, ita dissentiunt in mendacio, internus homo ab externo.

60. *Ex his Mendaciorum sortibus Levissimum in comparatione Officiosum*, quia pro salute & commodo proximi profertur, isquè, qui hoc profert, mentitur emolumenti alieni causâ: Jam verò culpa mendacii utique minuitur ex eo, quod ad aliquod bonum, utile præsertim, malivè alicujus aversionem, fit comparatum atque ordinatum: *Gravius Iocosum*, quia minus bonum delectare, quàm prodesse, bonum, inquam, delectabile, quàm utile: *Gravissimum Perniciosum*, ut quod, præterquam quòd in perniciem proximi dicitur, nihil boni contineat, quo malum illud compensetur.

61. *Sed quid fiet Fabulis, Apologis, Parabolis, Hyperbolis, Allegoriis, Tropis, nominatim Ironiis, caduntnè sub Mendacii, vel Officiosi, vel Iocosi, vel Perniciosi, & in genere, sub speciem Mendacii propriè dicti?* Minimè gentium. *Non Fabulæ & Apologi*, quia, qui fingunt ejusmodi fabulas doctrinales, his non est animus fallendi nocendivè, sed veritatem secretiore & amœniore quâdam ratione docendi:

cendi: *Non Parobola*, quia, quamvis qui his utuntur, narrent aliquid, quod ita reverà non est factum, tamen nec his est animus decipiendi nocendivè, sed docendi similitudinatiè: *Non Hyperbola*, quia, qui hyperbolicis locutionibus amant loqui, non magis intendunt fallere, quàm si vel allegoricè, & universè, tropicè loquerentur. Ut enim absurdum sit τὸ ῥητὸν, tamen inabsurda est ἡ διάνοια: *Non Allegoria*, quia, qui allegoricè loquuntur, allegoricè quoque volunt intelligi, adeoquè κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, procul fuco & fumo: *Non Tropi*, quia, quicquid figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium, cùm omnis enunciatio ad id, quod enunciat, referenda sit, omne autem figuratè, quà dictum, quà factum, hoc enunciat, quod significat: Quòd si ergò vocabula per tropum sint modificata, non in propriâ significatione accipienda erunt, verùm in impropriâ, in quâ significant, quod hîc mendacium? *Non denique Ironia*, quia, quamvis qui ironicè loquuntur, aliter videantur loqui, quàm sentiunt, adeoquè loqui contra mentem suam, tamen in iis, nec est voluntas dicendi falsum, neque animus fallendi, immò ne falsitas quidem. Quod enim ironicè dicitur, ironicè intelligendum est.

CAPUT XL.

De Comitate, & hujus Extremis, id est, indè Blanditiâ, hinc Morositate.

§. 1. C*Omitas, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic dicta à comi, & hic à Græcanico κόσμιος, expuncto σ, quasi κόμιος, eò quòd, qui hâc virtute præditus est, omnia in conversatione communi agat μετὰ κόσμου, decenter, & cum decoro. Latinè Philosophantes, Humanitatem, Facilitatem, Affabilitatem, Familiaritatem, Popularitatem, appellant aliter: Humanitatem, eò quòd sectatores ejus sint longè humanissimi: Facilitatem, eò quòd in respondendo & obsequendo longè facillimi: Affabilitatem, eò quòd in salutando & alloquendo sanè quàm affabiles: Familiaritatem, eò quòd tales sint erga familiares: Popularitatem, eò quòd tales sint erga populares. Græcè Philosophantes consimiliter eam appellant, jam Παιδίαν, jam Χαριεντισμὸν, jam Φιλανθρωπίαν, jam Εὐπροσηγορίαν & Φιλοπροσηγορίαν, jam Φιλίαν denique: Παιδίαν, ab eruditione atque institutione in humanioribus artibus, quibus qui dant operam, nę illi humaniores cęteris: Χαριεντισμὸν, à morum & sermonũ suavitate: Φιλανθρωπίαν, quòd sit plena boni affectus in homines, quibus cũ versatur: Εὐπροσηγορίαν hinc, καὶ Φιλοπροσηγορίαν, quòd libenter alios dignetur alloquio: Denique Φιλίαν, quòd, quemadmodum amicus

amicus amico jucundus & gratus esse consuevit, nisi cùm obsequium illi est detrimento & dedecori, sic & comis suo loco det operam, ut jucundè & suaviter vivat in hominum congressu, salvâ honestate & moribus.

2. *Sin Rem sive Realitatem ejus spectes*, ut sic Comitas est Virtus, (putà Moralis sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Dictis & Factis, quâ parte in iis Voluptas aut Molestia spectatur, in communi cõversatione.

3. Juvat ἀναλύειν. *Definitio haec constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Comitatis est Virtus Moralis*, cùm & ipsa suo loco sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciat habentem, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia & requisita virtutis moralis, ea ibi est ipsa virtus moralis.

5. *Differentia Specifica Comitatis sumitur ab Objecto ejus, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Comitatis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Internum Comitatis est Delectatio, restricta ad delectabilem usum Dictorum*

&

& Factorum, *in communi conversatione*, cui delectationi modum ponit hæc virtus.

8. *Objectum Externum Comitatis, vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Comitatis est Conversatio Ludicra Hominis cum Proximo*, qualis eorum, qui ad placitum loquunturquè & agunt, neque in colloquiis, convictu, congressu, actionibus, ullatenùs offendunt, vel tunc, cùm & offendentium, & offensorum interest, offendentium, quia omnia indifferenter probare turpe, offensorum, quia talem obsecundationem & Gnathonismum admittere perindè turpe.

10. *Objectum Externum Positivum Comitatis est, Conversatio Hominis Seria cum Proximo, ipsa*, inquam, *Attemperatio Conversationis Seria cum Proximo*, huic accommodata, quà sermonem, quà gestus, quà actiones, & ubi gratiæ locus, sive delectationi, & ubi ingratiæ, sive offensioni, quorum objectorum alterum est materiale, alterum formale.

11. *Officium Comitatis circa suum Objectum, vel Primarium est, vel Secundarium.*

12. *Officium Primarium Comitatis est*, Συνηδύνειν *Delectare*, hoc est, hunc habere sibi propositum finem, ne quem offendat, sed potiùs ut delectet: *Secundarium*, Λυπεῖν *Offendere*, si quando sine turpitudine alios oblectare non potest. Ut ita placere maximè studeat comitas, sed tamen & offendere, nempè

pè cùm videt, vel ſibi eſſe turpe probare omnia, vel ei, quo-cum agit, aut turpia, aut damnoſa.

13. *Vnde duo reſultant Actus Comitatis, Delectare, putà, & Offendere, universè interim magis Delectare, quàm Offendere, in comparatione.* De priori anquiritur, *utrùm bonâ conſcientiâ liceat quem delectare in communi converſatione?* De poſteriori, *utrùm bonâ conſcientiâ quem offendere?* De utroque, *annon interim universè magis delectare, quàm offendere.*

14. *Licere bonâ conſcientiâ quem delectare in communi converſatione*, id vincunt cum alia tum hæc argumenta. I. Quia homo eſt animal ſociale & ſociabile naturâ, ſocietatis autem condimentum, & quaſi menſa ſecunda, eſt delectatio. II. Quia comitas nihil aliud eſt, quàm morum & ſermonum ſuavitas in communi congreſſu & convictu, φιλανθρωπία inde Græcis, humanitas Latinis, *leuthſehligkeit* Germanis, eò quòd ſit plena boni affectus in homines. III. Quia ejuſdem comitatis hoc ἴδιον ἔργον, id unicè, ſaltem maximè, operam dare, ut noſtra converſatio proximo ſit grata & delectabilis.

15. *Licere hinc bonâ conſcientiâ quem offendere in communi converſatione*, id cōvincunt cùm alia tum illa argumenta. I. Quia non tenetur quis omni tempore & loco ſe affabilem præbere cuivis offerenti ſive obvio, vel conſilio,

vel

vel casu. II. Quia licet utique, mali excludendi, vel boni consequendi causâ, quem contristare, ruiturum in præceps malorum absque hoc. III. Quia etiam offendendo de aliis licet meriri ben , atque adeò, haud scio, annon subindè meliùs, quàm vel delectando. Cùm enim in conversatione communi tria veniant spectanda, honestum utile & jucundum, hoc tunc demùm debet vir comis consectari, si prioribus non adversetur, quoniam honestum & utile pluris faciendum, quàm id, quod jucundum est.

16. *Sed interim universè magis delectare, quàm offendere*, id quod evincunt cùm alia tum ista argumenta. I. Quia officium comitatis est, in omni hominum congressu hunc habere sibi propositum scopum, ne quem offendat, sed ut delectet. II. Quia vir comis eo est ingenio, ut in congressibus omnia dicta & facta potiùs suavitate aliquâ condiat, quàm acerbitate, quasi pipere quodam, & sale mordicante, aspergat. III. Quia verè & γνησίως comis delectat per se, offendit per accidens, quasiquè invitus, venatorum exemplo, qui canes venaticos malunt familiari tractatione cicurare, quàm verberibus flagellis & catenis, agricolarumvè, qui caprificos malos silvestres,& oleastros malunt infitione mitescere, quàm excindere.

17. *Caeterùm Comitas ut Delectat ita Offendit*

benè Moraliter ſeptupliciter, nempè Quantitatis Qualitatis Finis Modi Perſonarum Loci & Temporis reſpectu.

18. *Reſpectu Quantitatis delectant benè*, in communi congreſſu & convictu, qui parcè, hoc eſt, ita, ne quid nimis.

19. *Reſpectu Qualitatis delectant benè*, qui ſuaviter & amicè.

20. *Reſpectu Finis delectant benè*, qui honeſtatis utilitatis & voluptatis causâ, loquentes cum Antalcidâ Lacedæmonio jucundiſſima, & facientes honeſtiſſima atque utiliſſima.

21. *Reſpectu Modi delectant benè*, qui faciles ſunt in admittendis & compellandis aliis, compellaturiſvè, hilares in retinendis, humani in dimittendis.

22. *Reſpectu Perſonarum delectant benè*, qui in delectando perſonis ſe accommodant, tam præſentibus, quàm abſentibus, tam notis quàm ignotis, tam familiaribus quàm infamiliaribus, doctis quàm indoctis, divitibus quàm pauperibus, patriciis quàm plebejis, ſuperioribus quàm æqualibus & inferioribus, erga abſentes humani litteris, erga præſentes alloquiis & colloquiis, erga notos liberiores, ignotos verò circumſpectiores, erga familiares faciles atque aperti, infamiliares non item, ſaltem non æquè, erga doctos affabiles, indoctos blandi, erga divites & patricios officioſi, pauperes & plebejos populares, erga denique ſuperiores modeſti & ſummiſſi, æquales amici; inferiores graves.

23. *Respectu Loci & Temporis delectant benè*, qui aliter in templo, aliter in curiâ, aliter in conviviis, aliter in disceptationibus & colloquiis, aliter in itinere, aliter in justis faciendis, aliter in diebus vulgaribus, aliter in festis, humanitati dant operam.

24. *Respectu hinc Quantitatis offendunt benè*, qui parcè, exemplo medicorum, modicum dolorem ægris valetudinis causâ infligentium.

25. *Respectu Qualitatis offendunt benè*, qui modestè, non molestè

26. *Respectu Finis offendunt benè*, qui id faciunt, vel propter boni alicujus consecutionē, vel propter mali alicujus aversionem & exclusionē, in ordine ad proximum, ac ne fortè præsumantur illius peccatis delectando consentire, peccandiquè audaciam huic sumministrare.

27. *Respectu Modi offendunt benè*, qui, si quando sine turpitudine, aut damno suo, alios oblectare non possunt, multò malunt offendere, quàm delectare, siquè quid ei, qui facit, magnum dedecus, nec minus damnum, sit allaturum, adversatioquè parùm sit futura molesta, non probant illud factum, sed molestè ferunt, & reprehendunt.

28. *Respectu Personarum offendunt benè*, qui in offendendo personis se attemperant, non tam leviter offendentes magistratum, quàm privatum, notum quàm ignotum, conjugem ac liberos, fratres ac consobrinos, hosquè ac affines, affines ac amicos, amicos ac cives, hos ac populares.

29. *Respectu Loci & Temporis offendunt benè*, qui adversantur, ubi & quando adversandum est proximo in communi cõversatione. Neque enim omni loco & tempore tenemur nos affabiles præbere cuivis se offerenti.

30. *Sic descripta Comitas*, quà Objecto, & quà Officio circa illud Objectum, *differt à Φιλίᾳ sive Amicitiâ*. I. Genere, quia comitas est habitus, cùm sit virtus, quam constat esse habitum, vacantem affectu, amicitia verò affectus, saltem conjuncta cum affectu. II. Modo operandi, quia comitas agit sine affectu, cùm non, quò amet, sed quia hoc habitu præditus est vir comis, quia, inquam, est τοιȣ̃τος, ita se gerat, amicitia verò, aut amicus potiùs ex agat affectu, & cum affectu, adversus eum, quem amat. III. Objecto, tam reali, quod comitatis τὸ delectabile, amicitiæ verò τὸ amabile, quàm personali, quod illius, tam noti, quàm ignoti, tam ii, quorum familiaritate utimur, atque quorum familiaritate non utimur, verùm inæqualiter, ut quæ non eodem modo se habeat ad notos, speciali amicitiâ junctos, hujus verò noti tantùm, & quorum familiaritate utimur, ipsâ notitiâ & familiaritate existente causâ amoris & amicitiæ. IV. Adjuncto proprio, quòd comitas distinguit personas, amicitia indistinguit, sive non distinguit.

31. *Extrema Comitatis duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei oponi-*

ponitur Blanditia, in defectu Morositas.

32. *Blanditia* est vitium morale, quo quis in communi conversatione, eâque seriâ, omnia ad voluntatem & voluptatem aliorum agitquè & loquitur, laudans & probans omniâ, saltem simulans se laudare & probare omnia, nullâ in re cuiquam adversans, neque quenquam offendens, adeoquè voluptatem omnibus, molestiam nemini, afferens, nullâ honestatis, utilitatis, gravitatis, decori, habitâ ratione, unius & solius voluptatis causâ, qualis Ἄρεσκος Græcis, Blandus Latinis, ipsum verò vitium Ἀρέσκεια Græcis, Blanditia Latinis. Quòd si quis utilitatis causâ, hoc est, solùm ut commodum atque emolumentum inde capiat, id faciat, talis Κόλαξ Græcis vocatur, Latinis Adulator, ipsum verò vitium Κολακία Græcis, Latinis Adulatio, sic dicta, vel ab aulâ, quasi adaulatio, quòd adulatores tam sint frequentes in aulis principum, in quibus πράττει ἄριστα ὁ κόλαξ, primas tenet adulator, Mænandri verbo, atque in culinis muscæ, vel ab aulâ sive ollâ, quòd adulatores sectentur ollam more canum, iis caudâ blandientium, à quibus catillones esse sinuntur, vel ἀπὸ τοῦ δούλου, à servo, quòd servile sit, linguam cibo venalem habere, & παράσιτον καὶ γλωσσογαστέρα agere, asseclam, inquam, cibi, cöepulonem, cœnaturionem, fundendo verba coquinaria, facientia ad ventrem pascendum, ventris causâ, vel denique

ab adludendo, quòd his adludant familiariter, qui seipsos magnifaciunt, primosquè se omnium rerum esse volunt, neque sunt tamen, qui sui assentatores interni cùm sint, facilè externos assentatores admittunt, κερκοπίζοντας, moventes κέρκον, sive adulatoriam caudam, κροκοδίζοντας, colligentes κροκίδας, floccos & pilos è vestibus, cum Valeriâ Hortensii sorore, & adulatore Aristophanico, denique μυιοσόβους, abactores muscarum.

33. Utraque vitiosa & mala formaliter, sive delectandi tantùm gratiâ fiat, sive commodi alicujus consequendi ergò, & sive sermone, sive gestu, sive utroque, & sive eam sumas pro quodam habitu adulandi, sive pro actu procedente ex tali habitu, eliciente alium actum malum, quin immò vel ineliciente.

34. *Morositas* est vitium morale, quo quis in conversatione seriâ nemini studet placere, quamvis salvâ honestate & utilitate id fieri possit, omnibus in omnibus difficilis & molestus, exemplo Timonis & Cnemonis μισανθρώπων, Neronisquè, quem Xiphilinus autor est, nec salute nec resalutatione alios impertivisse, tamquè difficilem fuisse, ut neque cum servis, neque cum liberis, loqueretur, sed omnia, quæ postridie mandaturus erat, pridiè in libellis scriberet. Latinè Philosophantes eos, qui hoc vitio laborant, appellant morosos, inhumanos, difficiles, importunos, duros, tragicùm

&

& Tauricùm tuentes, quasiquè sinapi & absynthio victitantes: Græcè verò Philosophantes eosdem, jam μισανθρώπους, jam δυσέριδας, jam δυσκόλους, ἀπὸ τοῦ δυσκολλᾶσθαι, quod malè aliis conglutinentur, neque ita, ut κόλακες, quos ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι ideò volunt ducere nomen.

35. *E duobus his Extremis Blanditia sive Adulatio deterior est Morositate in comparatione, respiciendo materiam ejus effectum & finem*, tum quia est vitium sanè quàm noxium occultum insidiosum, quippè conjunctum cum dolo, adulatore sic existente simili amico, ut lupus cani, tum quia frequentius, jam verò quantò vitium aliquod est frequentius, tantò pejus: *Contra Morositas πῶς deterior Blanditiâ sive Adulatione, respiciendo utrumque vitium præcisè & per se*: Eccur, amabò? Quia enim tantò vitium aliquod est gravius, quantò magis repugnat mediæ virtuti, quale vitium morositas, adulatio non itē. Cùm enim comitas primariò, & per se, delectet, secundariò verò, & per accidens, offendat, morositas excedit in hoc, deficit in illo, longiusquè ideò abest ab officio comitatis, quàm adulatio, quę excedit in illo, deficit in hoc, ideoquè minùs lōgè abest ab officio ejus: Cumquè adulatio noceat occultè, morositas verò manifestè, etiam hoc nomine gravius vitium morositatis, quàm adulationis, sicut gravius delictum rapina, quæ per manifestam fit

violentiam, furto, quòd per dolum occultum, dolo reddente quidem hoc turpius illo, at non gravius, cùm pejus sit, esse cui molestum in communi conversatione, quàm suavem & jucundum.

CAPUT XLI.

De Urbanitate, & hujus Extremis, id est, inde Scurrilitate, hinc Rusticitate.

§. 1. U*Rbanitas, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic dicta ab urbibus, in quibus plus, quàm ruri, & in pagis, leporis facetiæ, salis, festivitatis, & facundiæ, unde quos urbanos, eosdem & lepidos, facetos, salsos, festivos, & facundos, appellant Latini, usu loquendi, distinguentes interim leporem inter, facetias, sales, festivitatem, & facundiam, usu artis, ita ut lepor ad habitum corporis referatur, facetiæ ad sermonem, denominatione sumtâ à faciendo, eò quòd verba cum audientium voluptate faciat facetus, sales ad ingenium, festivitas ad lætitiam festam, facundia ad fandi gratiosam potentiam & facultatem. Græci eosdem εὐτραπέλους vocant, quasi εὐτρόπους, ἀπὸ τοῦ εὖ τρέπεσθαι, à morum volubilitate flexibilitate & concinnitate, eò quòd ad aliorum ingenia se accommodare noverint in conversatione ludicrâ, pro rei loci temporis & personarum exigentiâ, item ἐπιδεξίους, quòd dextrè, scitè, peritè, cautè, facetias adhibere queant,

ant, ipsamquè virtutem ἐυτραπελίαν flexibilitatem, & ἐπιδεξιότητα dexteritatem, eò quòd, qui hâc virtute sunt prædití, dextrè possint suos sermones & actiones ad placitum aliorum flectere.

2. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic Urbanitas est Virtus, (putà Moralis sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Ludis & Jocis, sive in Conversatione Ludicrâ & Jocosâ, docens ὀρθῶς σχολάζειν, benè ponere ocium, cùm reliquæ ejus sorores doceant ὀρθῶς ἀσχολεῖν, benè ponere negocium.

3. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Vrbanitatis est Virtus Moralis*, cùm & ipsa suo loco sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extrema pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciat habentem, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis.

5. *Differentia Specifica Vrbanitatis sumitur ab Objecto eius, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

6. *Objectum Vrbanitatis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

7. *Objectum Internum Vrbanitatis est Delectatio, restricta ad delectabilem usum Ludorum & Iocorum, in Communi Conversatione*, cui delectationi modum & metam ponit hæc virtus.

8. *Objectum Externum Vrbanitatis universè vel Negativum est, vel Positivum.*

9. *Objectum Externum Negativum Vrbanitatis est, tam Conversatio Seria Hominis cum Proximo; quàm Ludicra, contrà bonos qua est mores.*

10. *Atque adeò, Objectum Negativum Vrbanitatis sunt*, in genere, *Ludi & Ioci Illiciti*, in specie, *de Ludorum Familiâ, Comœdia & Tragœdia, mixta ex Eroticis & Satyricis, Saltationes sive Choréa* Γυναικανδρικαὶ *Masculo-Fœminea, Salienses, Mimica sive Gesticulatoria, Superstitiosa, Certamina Gladiatorum Cruenta & Lacrimosa*, &c. *Ludus hinc Alea, Foliorumquè Lusoriorum, de Iocorum verò Familiâ, Ioci Impii sive Profani, Obscœni, Contumeliosi, Imperiti, biverbio, Stoico-Cynicismus, & Cynico-Stoicismus.* Appello objectum negativum, quia has nugas Ethica non docet, sed dedocet.

11. *Ludi & Ioci Illiciti in genere sunt & audiunt*, in quibus multum impiæ vanitatis & profanitatis, inhumanæ feritatis, fœdæ obscœnitatis, aculeatæ libertatis & virulentiæ, asininæ quin imperitiæ, denique contingentiæ & casus, vertitur; qui-

quiquè adeò ludi lucri notabilis gratiâ solummodò fiunt, lusoribus ut plurimùm dominante fortunâ, cujus incertitudini facultates suas committere atque exponere, semper in turpi & pro turpi est habitum.

12. *Ludi Illiciti in specie sunt & audiunt: Comœdia & Tragœdia, mixta ex Eroticis & Satyricis*, tùm quia in his communiter producuntur in scenam, præter personas verè pias, quarum suscipere personam piè nemo potest, absque piorum affectuum & effectuum imitatione, non ludicrâ, sed verâ & seriâ, (Quis enim ferat, aliquem per ludum & jocum attollere oculos in cœlum, ducere alta suspiria, precari Deum?) personæ impiæ, quà Paganæ, quà Christianæ, fictitiis, inquam, numina, aut nomina veriùs, lenones hinc & lenæ, meretrices, concubinæ, pellices, stolidi & lascivi adolescentuli, perditi servuli, procaculæ ancillæ, palpones parasiti, milites gloriosi, denique moriones, quorum sustinere personas ritè quis & qui possit, non expressis improbis atque improbabilibus eorum dictis & factis, hoc ipsum, qui bonâ conscientiâ? tum quia in iisdem producuntur in scenam mulieres, ad impudicitiam cum impudicitiâ repræsentandam, viri item habitu muliebri, extra casum necessitatis, tum quia inibi vitia & flagitia ad vivum exprimuntur,

atque ita quidem exprimuntur, ut repræsenata in publico, & actores pariter, & auditores atque spectatores, corrumpant, tum denique, quia quasi condimenti loco nostris moribus adduntur saltationes salienses, gesticulatorię, & masculo-fœmineę, cum Musicà amatorià sive lascivâ, & jocis scurrilibus.

13. *Saltationes Masculo-Fœmineæ ideò*, tum quia prędamnatę in & à sacris litteris, tanquam invitamenta irritamenta & fomenta carnalis levitatis & vanitatis, incentivaquè libidinum, mollisquè inverecundi lascivi dissoluti ac desolati animi argumenta, duobus verbis, diaboli antecœnia, præses qui est & pręsul sive pręsultor in his corporis exercitus, tũ quia repugnant gravitati modestiæ verecundiæ & decoro Christiano, cum scandalo, quà dato, quà accepto, dato à saltatoribus, accepto à spectatoribus, quorum conscientiis laqueus perditionis tenditur, ut rete accipitri, tum quia primi horum miscellaneorum inventores fuerunt homines athei, idololatræ, dæmonolatræ, Epicurei, ludiones & histriones, lurcones, comedones, concœnatores & comessatores, næ egregii parentes, quorum nos meritò pudeat. *Salienses ideò*, quia harum finis, saltare ut saltes, non ut, vel membris habilitatem agilitatemvè hoc genere exercitii concilies, vel valetudini tuæ consulas, verùm saltationis tantùm causâ, ut

ut instar picæ, simiæ, aut lascivæ capellæ, saltes, quo quid ineptius, quid magis nugatorium? Pro me, malim febricitare, quàm ita saltare. *Mimica & Gesticulatoria ideò*, quia, præterquam quòd sunt otiosæ & ridiculæ, ut quæ capite, pectore, manibus, digitis, pedibus, oculis, contra primam naturæ institutionem, per naturalem pariter & moralem membrorum abusum, gesticulando ficté multa loquantur, etiam levis animi sunt argumentum non leve. *Superstitiosa ideò*, quia pars fuerunt cultus gentilium, apud quos nullæ unquam celebratæ festivitates, aut ceremoniæ, citra rythmum & saltationem, quorum mores velle imitari, hoc est Christianum extra Christum agere, Paganum, inquam, potiùs, quàm Christianum.

14. *Certamina Gladiatorum Cruenta & Lacrimosa ideò*, quia omnes ludi, ut benè ait, atque in loco, Panormitanus, in quibus periclitatur, aut vita hominis, aut salus animorum, omninò tollendi, eò quòd pugnent cum verbo Dei, legibusquè civilibus, & bonis moribus, secundum quos ludus noxius, habens in se quid feritatis, est in culpâ. Ut enim exercitia & tyrocinia hominum, ad res bellicas spectantia, non sint universaliter prohibita, tamen prohibentur, siquidem sint inordinata & periculosa,

faltem ὡσ πολὺ, & ſiquidem ad corporis atque animi virtutem parùm efficacia.

15. *Ludus Alea ſive Aleatorius, & in genere omnes ludi, qui in puro puto caſu conſiſtunt, ideò*, & quia non habent juſtam delectationis cauſam, quæ tamen finis ludorum: cùm victoria, quam ſolus caſus dedit, haud delectet victorem cordatum, clades verò contrà perturbet victum, (Ecqualis enim aleator, annon ſemper anxius, querulus, iracundus, moroſus, difficilis, mœſtus, victus pro damno mœret, & quo ſe pacto redimat, meditatur, ultionemquè affectat, victor verò inſanit, exultat, majoriquè lucro inhiat, nunquam inſatiabilem aleæ voraginem explens, quæ hîc voluptas?) & quia non exercent ludentes, ut arma, equi, haſtæ, clava, pila, natationes, curſus, ſi quis v g diſco, luctâ, pugnâ, pilo jaciendo, certet, & quia jure, quà divino, quà humano, ſive civili poſitivo, quà morali, damnantur, ut non malè Antonius Florentinus dixerit, tot crimina ex ludo aleatorio naſci, quot in taxillis extant puncta.

16. *Luſus Chartarum, ſive Foliorum Luſoriorum*, præſertim ſi in precium luditur, hoc eſt, ſi ipſe victus teneatur victori precium pendere, & quidem tantum, tamquè notabile, ut magis quiſque lucrum ſpectet, quàm victoriam, & ludendi exercitium. Etenim,

Etenim, quia modus acquirendi per ludum videtur æquitati repugnare, ad avaritiam pertinere videtur, lucri spe ludis indulgere.

17. *Ioci hinc Impii atque Profani ideò*, quia conjunctam habent blasphemiam, ut si quis dictis scripturæ pro dicteriis jaculariter utatur, & tunc jocetur, ubi opus animi devotione, indignationequè contra scelera & flagitia, v g, sub concione, sub precibus, contrà reverentiam & attentionem verbo divino debitam, ædificationemquè proximi.

18. *Ioci Illiberales & Obscœni sive Scurriles ideò*, quia in his rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas, à quibus castæ & delicatæ aures naturæ quodam sensu abhorrent, vel quia naturales sordes significant ut stercus, quod verbum sordidiusculum, si de homine, opus naturæ faciente, loquaris, non item, si de agricolis, stercore stercorantibus agros, vel quia primâ sui impositione res impudicas significant, ut verba prætexta nupta & priapeja, qualibus qui utuntur, næ illi similes ibidi, avi Ægyptiacæ, quæ immisso in podicem rostro aquâ alvum purgare perhibetur. Quid enim, annon podicem ex ore suo faciunt, qui sic priapizant?

19. *Ioci Petulantes Contumeliosi & Mordaces ideò*, quia, utcunque sint ingeniosi, tamen

tamen non ſunt ingenui, ſed ferè aculeati, dentati, acres, ideoquè conjuncti cum offenſione aliorum, hoc magis, ſi multum ex vero traxerunt, quo in caſu acrem ſui memoriam relinquunt, unguiſquè, quod ajunt, exiſtunt in ulcere.

20. *Ioci Imperiti ſive Inſiceti Indecori & Inelegantes ideò*, quia, ſicut priores habent quid intemperiei, ita hi imperitiæ & indecentiæ neſcio cujus, ut ſi quis, cùm alii gravia tractant, quid intermiſceat de aſini umbrâ, jocoſvè dicat, qui non conveniunt in eum, in quem dicuntur, absque acumine, tum intempeſtivos, extemporaneos, aridos, uſitatos, veteres, tritos nimis, denique multos & frequentes.

21. *Deniq; Stoico-Cyniciſmus, & CynicoStoiciſmus.* Quid ergò Stoici? His verò placuit, nihil eſſe turpe dictu, niſi quòd eſſet turpe factu, qui ideò ructus ſuos & crepitus ſibi voluerunt eſſe liberos. Quid deinde autem Cynici? Illi verò & ipſi ſuo loco ridere, quòd ea, quæ turpia re non forent, verbis flagitioſa dicerentur, illa autem, quæ verâ re turpia ſunt, nominibus appellarentur ſuis, redarguentes, quòd liberis operam dare re honeſtum eſſet, nomine inhoneſtum & turpe, contrà latrocinari furari fraudare re turpia, nomine honeſta, quo jure, quâvè injuriâ. Quaſi verò cum Platonicis & Peripateticis non fugienda potiùs ſit omnis turpitudo earum rerum, ad

quas

quas eorum animos, qui audiunt, trahit similitudo immediatè voce auditâ, aut quasi non præstet περιεπιπλήττειν, præ reprehensioni venire, & περιφράζεσθαι, circuitione uti, morante intellectum, cogitationemquè retrahente, ne illicò feratur in sensum obscœnum.

22. *Objectum Positivum Vrbanitatis sunt*, in genere, *Ludi & Ioci Liciti*, in specie, *de Ludorum Familiâ, Comœdia & Tragœdia reformata sive castrata moraliter, Saltationes sive Chorea Solitaria, Militares, Religiosa, Artificiosa, Torneamenta hinc, Stadiodromia, Hastiludia, Pugilationes, Desultationes, Equitationes, Aurigationes, Natationes, Lucta, Pugna, atque adeò haud scio, annon etiam Lusus Chartarum sive Foliorum Lusoriorum, saltem Latrunculorum sive Calculorum, Pila, Sphæra, Globi & Globulorum, Trochi, Pyramidum, & similium, de Iocorum verò Familiâ, Ioci Piè-Probi, & Probè-Pii, Liberales atque Ingenui, Modesti hinc, Impetulantes & Incontumeliosi, denique Eruditi Ingeniosi & Elegantes.*

23. *Ludi & Ioci Liciti in genere sunt & audiunt*, in quibus nihil impiæ vanitatis & profanitatis, contravenientis religioni & fanis, nihil inhumanæ feritatis, contraveniëtis humanitati comitati & justitiæ, nihil fœdę obscœnitatis, contravenientis, in genere temperantiæ, in specie castitati, nihil aculeatæ libertatis & viru-

virulentiæ, contravenientis modestiæ, nihil asininæ imperitiæ, contravenientis prudentię, quiquè adeò, præter pietatem, comitatem, justitiam, pudorem, modestiam, eruditionem conjunctam habent, quales ludi & joci næ boni omnes, & Theologicè, & Philosophicè, quia inde animi petitur medicina ac relaxatio, ad res serias promptiùs obeundas, curasquè & molestias pellendas condebitè.

24. *Ludi Liciti in specie sunt Comœdiæ & Tragœdiæ Castratæ Moraliter: Licitæ ideò,* quia innoxium usum prętant, & lectoribus, quoad profectum in humanioribus litteris, dum inde lectissimorum verborum messem metunt, & actoribus, quoad profectum in moribus & civilitate, dum inde proficiunt ad mores, & præterquam, quòd linguæ vitium ac hæsitantiam inde corrigunt, (quorsum oratores olim usi histrionibus præceptoribus hanc ipsam ob causam,) fiduciam quoque loquendi pariter & agendi acquirunt, & spectatoribus, quoad profectum in vitæ communis regimine, dum totius vitę humanę cursum intuendo, inde sibi exempla domi capiunt, saltem capere possunt.

27. *Saltationes Solitariæ ideò*, tum quia nuspiam in scripturâ prohibentur tales saltationes, quin probantur potiùs, & dicto, & facto, dicto, cùm dicitur, tempus ut lugendi ita saltandi esse, facto, cùm exempla sic saltantium referuntur sine ullâ reprehensione, nominatim Mariæ, soror quæ fuit Mosis, Jephtæ

phtæ filiæ, Siloniticarum item puellarum, Davidis hinc, & chori puellaris, epinicium canentis in laudem Davidis giganticidæ, tum quia etiam ſic ſaltavit Socrates, ſaltârunt Lacones, quemadmodū argumēto eſſe poteſt trichoria Laconica puerorum virorum & ſenum, inſtituta à Tyrtæo Poëtâ. *Militares ideò*, quia nihil aliud fuerunt, quàm gladiorū cum ſcutis colliſiones ſaltādo factæ, belliquè *προγυμνάσματα* ſive proluſiones ac præexercitamēta quædam. Pyrrhicæ alio nomine, eò quòd à Pyrrho Achillis filio primò eſſent inventæ. *Religioſa ideò*, quia præter modicò antè enarrata exempla piè ſaltantium, ſimilem ſaltationem ſaltaverunt, neque interim amicitiam deſaltaverunt, quæ ipſis erat cum Deo, Syriaci Chriſtiani, quos legimus die reſurrectionis dominicæ, aliiſquè feſtis celebrioribus, ad templa, zelo ſacro confluxiſſe, cum lyrâ ac citharis, pſalmoſquè concinuiſſe devotè, unaquè ſaltâſſe, ſeorſim viros, ſeorſim mulieres. *Artificioſa ideò*, tum quia tales ſaltationes ſunt motus arte producti, exercentes corpus hominis, idquè agile reddentes, ad eum ferè modum, quo cantu modulato, exercetur linguâ canentis, quod ſi licet, ſi, inquam, licet artificiosè canere, licebit & ſaltare artificiosè, hoc magis, quia ſaltatio, quà ſaltatio, eſt actio indifferens, nec mala per ſe, ſed per aliud, ſive per accidens. Utut interim ingenuè fatear, non ſemper res ex naturâ ſuâ

eſſe

esse ęstimandas, sed subindè ex ingenio & abusu carnis nostræ, ad eum modum, quo Medici vinum, non ex suâ, sed febricitantis naturâ, æstimant.

26. *Torneamenta, Stadiodromia, Hastiludia, Pugilationes, Desultationes, Equitationes, Aurigationes, Natationes, Lucta, Pugnæ, ideò*, tum quia valetudinem & vires alumnorum suorum oppidò quàm potenter juvant hujuscemodi exercitia, eosquè præparant ad sui & patriæ defensionem, habentquè in re militari suum usum, ideoquè publicè condecorantur præmiis, maxime in Republicâ Mavortiâ sive Bellicâ, tum quia non sunt periculosa, nisi per accidens. Unde, si quis alium fortè in his vulnerârit, interfeceritvè, non punitur, nisi ex odio dolo vel culpâ fecerit, uti nec, si casu quis occubuerit, quia præter voluntatem ludentis factum utrumque.

27. *Lusus Chartarum sive Foliorum Lusoriorum ideò*, (siquidem à ludentibus ludendi exercitium tamen magis, quàm lucrum, spectetur, non contrà, idquè ipsum lucrum sit tam exiguum, ut nec victus doleat amissum, nec victor gaudeat acquisitum,) tum quia hâc ratione nihil aliud efficitur, quàm ut ludentes attentiores sint, tum quia ut sic non periclitantur pecuniæ contra legis interdictum, siquidem in lusum ludatur, non lucrum, saltem ludendi magis animo, quàm lucrandi, tum quia

quia non in solo casu consistat hic ludus, verùm partim in casu, partim in peritiâ, emendante casum, uti & cognatus ludus, quem nos vocamus *Verkeeren*, ob mille variationes, quas habet. Sed & hîc me libens subjicio judicio eorum, ad quorum curiam pertinent hæc curialia.

28. *Ludus Latrunculorum sive Calculorum ideò*, quia animum ingenium memoriam judicium immane quantum acuit, suumquè in re militari habet metaphoricum & analogicum usum, prælium hoc umbratile Martis, dicam, an Artis, numerans in utrâque acie, duas reginas, quatuor equites, totidem satellites & centuriones, sedecim pedites. Sed quia multum hoc ludicrum requirit circumspectionis atque temporis, ideò non convenire id putant bonarum artium studiosis, ut quos mentem, studiorum labore fatigatam, recreare præstet cessatione & quiete, quàm novo meditationis genere gravare.

29. *Lusus Sphæræ, Pilæ, Globi & Globulorum, Trochi, Pyramidum, Disci sive Saltus, ideò*, quia valetudini ludentium conducunt hæc exercitia ludicra, robur corporis augent, agilitatem & concinnitatem membrorum præstant, πολυσαρκίαν sive corpulentiam impediunt, si absit, imminuunt, si adsit.

30. *Ioci hinc Liciti in specie sunt & audiunt: Ioci Pii ideò*, quia Philippi Melanchtonis poëmatio verè pio,

Non

Non Deus est animus, cui recta gaudia mentis
Displiceant, si non pietas violetur, & aequum.
Et certè, sicut ingeniosi est, jocari promtè, ita ingenui, jocari piè.

31. *Ioci Liberales atque Ingenui ideò*, quià in his rerum honestati adhibetur verborum gratia & venus, absque fallendi intentione, quod liberale utique & ingenuum, non arte factum, nedum artibus, à quibus longissimè abest homo urbanus.

32. *Ioci Modesti Impetulantes & Incontumeliosi ideò*, ne, dum relaxare animum volumus jocando, omnem harmoniam solvamus, pervè scommata acerbiora famam proximi lædamus, vel læsi, nedum illæsi. Quòd si animo sedet par pari referre, satius næ satius fuerit, jocum joco pensare potiùs, quàm jacere.

33. *Ioci Eruditi Ingeniosi Elegantes ideò*, quia jocandum quidem πεφυκότως, adeoquè ab eo, quem natura finxit ad jocos, cùm non cujusvis sit, argutè dicta componere, verùm ingeniosi, sed tamen insimul etiam τεχνικῶς, accedente ad naturam arte, alienæquè urbanitatis imitatione: Absque his sit, præstat à jocando abstinere, saltem jocis antè usitatis parcè uti, quàm malè jocari cum asino Æsopico.

34. *Officium Vrbanitatis circa suum Objectum, vel Primarium est, vel Secundarium.*

35. Offi-

35. *Officium Primarium Vrbanitatis est, Ludere & Iocari, sive Iocos Dicere ritè: Secundarium, Spectare Ludos, & Audire ac Ferre Iocos ritè. Vnde quatuor resultant Actus Vrbanitatis, putà, Ludere & Iocari ritè, Spectareque Ludentes, & Audire Iocantes ritè*, adeoque alios, quà ludos, quà jocos, probare, ferre alios, reprehendere alios, probare liberales tempestivos decoros, ferre imperitos intempestivos indecoros & mordaculos, aculeatos, inquam, & dentatos, reprehendere hinc ac rejicere impios, profanos, obscœnos, petulantes, contumeliosos.

36. *Atque adeò, licere, ut Ludere & Iocari ritè, ita Spectare Ludentes & Audire Iocantes ritè*, id verò vincunt, immò evincunt, sequentes rationes. I. Quia uterque, tam ludus, quàm jocus, habens se benè moraliter, est actus urbanitatis, ideoquè æquè licitus uterque, atque actus aliarum virtutum. II. Quia ludi & joci ingenui maximarum rerum momenta in se continent, tristes affectus diluendo, frangendo iram & odium, dissolvendo tędium suavi risu, conciliando amorem ac benevolentiam in congressibus, quà publicis, quà privatis, harmoniamquè, sive suave temperamentum vitæ, servando. III Quia ad hominem dextrum, valentem dexteritate ingenii, pertinet ea agere, dicere, spectare, audire, quæ sunt hominis ingenui & ingeniosi: Talis autem suo loco atque ordine est vir urbanus, dex-

42. *Respectu Personarum ludunt & jocantur benè*, qui in ludendo & jocando ingeniosè distinguunt inter personas, habitâ ratione dignitatis, ætatis, sexus. Aliter quippè jocandum, si quis magistratus, aliter si Theologi, aliter si Politici, aliter si præceptoris, aliter si parentis personam sustineat. Neque enim quilibet ludi & joci quoslibet decent, neque apud quoslibet, alii senes, alii juvenes, privatos alii, magistratus alii, viros alii, mulieres alii. Præterea, aliter ludendum & jocandum inter familiares, aliter inter ignotos, aliter cum æqualibus, aliter cum inferioribus.

43. *Respectu Loci & Temporis ludunt & jocantur benè*, qui competenti loco ac tempore. Est quippè φορτικώτατον, tum ludere & jocari, cùm aut sacra peraguntur, aut luctui indulgetur, aut de rebus gravioribus seriò deliberatur, atque, ut verbo absolvam, cùm tempus locusquè seria requirunt: Sicut &, si v g ad amicam, laborantem febri, quis veniat lusum & jocatum, eosquè, qui è longinquo itinere modò advenerunt, invitet ad deambulandum secum, vixquè incipientem dormire excitet è somno, atque ad ludendum & jocandum provocet, quales committunt solœcismum moralem.

44 *Respectu Quantitatis hinc spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui loco accessorii, & diludii, non principalis, eam rem habeant, utrumqs

facientes parcè, & minùs frequenter, saltem rariùs quàm crebriùs, serio vincente ludicrum, cibo condimentum, non contrà, ludicro serium, condimento cibum.

45. *Respectu Qualitatis spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui licitos spectantque audiuntquè, hoc est, honestos, decoros, verecundos, liberales, elegantes, impetulantes, adeoquè Terentianos potiùs, quàm Plautinos.

46. *Respectu Finis spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui honestæ recreationis, & ingenui oblectamenti ergò, spectantur audiunturquè.

47. *Respectu Modi spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui modestè, & cum temperamento domestico, alios probando, ferendo alios, reprehendendo alios, nunquam jaciendo & jaculando, nisi urgente necessitate. Sicut enim hystrix non ejaculatur spinas suas, nisi cùm provocatur aut urgetur, item vir urbanus jocos.

48 *Respectu Personarum spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui sine scandalo proximi id faciunt, haud faciunt autem, qui præbent efficacem causam lapsus sive ruinæ eo ipso, quòd spectant libenter ludos, audiuntquè jocos, quia propè est, ut, quæ quis patienter spectat vel audit, ea tacitè probare videatur.

49. *Respectu Loci & Temporis spectant ludos & audiunt jocos benè*, qui loco & tempore commodo, putà, in conviviis, nuptiis, festivitatibus, aliisque congressibus, reficiendi & recolligendi animi causâ institutis.

50. Ut

50. Ut breve faciam: Quamvis ad urbanitatem aliquid conferat natura, quæ finxit quosdam narratores atque imitatores facetos, tamen necesse est, ut ad τὴν δύναμιν φυσικὴν, facultatem naturalem, accedat exercitatio sive ars, urbanitatisquè alienę imitatio. Ludendum quippè & jocandum πεφυκότως naturaliter, sed & τεχνικῶς artificialiter.

51. *Extrema Vrbanitatis duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Scurrilitas, in defectu Rusticitas.* Opponitur quidem aut coöpponitur veriùs, urbanitati quandoque etiam incivilitas in capiendo cibo & potu, quo sensu poëta lusit in Urbanum quendam minimè urbanum.

Diceris Vrbanus, sed non urbanus haberis,
Cùm ceu vacca bibas, & suis instar edas,

verùm minùs civiliter & propriè.

52. *Scurrilitas* est vitium morale, quo quis in communi conversatione, eàq; ludicrâ, se patitur superari à ridiculo, hoc est, à re, quæ parit risum, atq; ita quidem superari, ut nec sibi, nec aliis, parcat, dummodò ridiculum afferat in mediũ r. suquè omnia dissonent, ad eum ferè modum, quò intemperans se patitur superari à voluptate. Sicut enim hic in voluptate plura sibi, quàm patitur recta ratio, indulget, ita ille similiter in ludis & jocis ampliùs sibi permittit, quàm eadem compatitur ratio, proferendo nugas aniles, sales insulsos, facetias invenustas & frigidas, Sardosquè venales. Id nominis

Fortiter absumtis urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret
Impransus, non qui civem dignosceret hoste,
Quilibet in quemvis opprobria fingere sævus.

56. *Rusticitas* est vitium morale, quo quis in conversatione ludicrâ nemini studet placere dictis vel factis, nec ipse ludere jocarive, nec aliorum, symbolam urbanitatis conferentium, ludos & jocos ferre. Atque hæc rusticitas propria est hujus loci, contrà ut distincta ita distinguenda ab eâ, quæ à naturâ, senectute, morbo, calamitatibus gravioribus, occupationibusquè crebrioribus, quæ necessaria magis, quàm voluntaria, excusabilisquè, siquidem non sit talis datâ operâ. Id nominis accepit à rusticis, quorum propria inamœnitas insuavitas insulsitas, aliena quæ est ab omni ludorum & jocorum genere, etiam honesto & licito, qualis notatur in Anaxagorâ apud Græcos, qui nunquam risisse, ac ne risus quidem vestigium præ se tulisse ullum, perhibetur, in M. hinc Crasso apud Romanos, quem præ acrimoniâ & acerbitate animi semel tantùm in vitâ risisse ferunt.

57. *E duobus his Extremis Scurrilitas deterior est Rusticitate in comparatione,* eò quòd, qui in ludicris deficiunt, minùs peccent, in vitæ humanæ regimine, quàm qui excedunt. Cùm enim ludus sit utilis propter delectationem & quietem, delectatio

autem & quies non propter se intendantur, nisi fortè ab ignavis, quibus semper feriæ, sed propter operationem, ideò defectus ludi minùs videtur esse vitiosus, quàm excessus, vitiosus tamen, quia inordinatus, & extra medium, extra, inquam, cœli solisquè viam.

CAPUT XLII.

De Iustitiâ Universali, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Universali.

§. 1. *Iustitia, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic dicta, vel quasi vistitia, quòd vim sistat, vel quasi juristitia, quòd cuique jus suum sistat, verè si rem, falsò si nomen attendas. Deducitur quippe à justo justitia, sicut à malo malitia, ipsum porrò justum à jure, idquè iterum à jubendo. Quid enim aliud jus, quàm naturæ, populi, ejusvè, qui vicem gerit populi, jussum? Græcè loquentibus Δικαιοσύνη audit, tracto nomine à δίχα, quod valet bifariàm, sive divisim & duatim, mutato χ in κ, εὐφωνίας ἕνεκα, cur, nisi quòd ὁ δικαστὴς rem quamlibet in duas medietates secet, verè διχαστὴς hoc nomine. Quid, si dicamus, δικαιοσύνην nihil aliud esse, quàm δικαίου σύνησιν, justi intelligentiam internam, & disciplinam externam, eamquè vel generalem, vel specialem.

2. *Sin Rem sive Realitatem ejus spectes*, ut sic Iustitia est Habitus, Virtus, inquam, (putà Moralis, sive Acquisita More,) quâ homines propensi sunt ad res justas gerendas, quâque

res justas gerunt, & volunt etiam gerere, constans, inquam, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi, quarum definitionum altera Aristotelica, Ulpianica aut Simonidéa veriùs, altera, utraque justitiæ universalis, aut justitiæ in genere.

3. Sed juvat ἀναλύειν. *Definitio utraque constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

4. *Genus Iustitiæ Universalis secundum Aristotelem est Habitus, aut Virtus veriùs, eaq; Moralis, secundum Simonidem verò & Ulpianum Voluntas, aut adjunctus habitus voluntatis veriùs.*

5. *Ac justitiam verâ re esse virtutem moralem*, id liquet inde, quòd & ipsa suo loco sit habitus electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine, quòdquè bonum faciat habentẽ, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. *Eandem Iustitiam quoque quoquo modo esse voluntatem*, semel per metonymiam causæ pro effectu, sive in sensu causali, quoniam ex actibus voluntatis promanat, iterum per metonymiam subjecti pro adjuncto, sive in sensu subjectivo, pro adjuncto habitu voluntatis latè sumtæ, id iterum liquet hinc, quòd actum justitiæ, per quem definitur & specificatur habitus, conve-

niat esse voluntarium. Ut enim justitia non sit voluntas, rectitudovè voluntatis essentialiter, est tamen causaliter, dum facit, ut quis alteri non tantùm velit jus suum tribuere, sed tribuere constanter, sive, cum proposito habituali deliberato firmo, tribuere perpetuò, sive semper, atq; in omni eventu, non semel bis tervè, quod etiam homini injustissimo competere potest, cùm nemo tam injustus esse queat, quin interdum velit illud, quod justum est. Quid ergò? Ut genus vacillet in definitione Ulpianicâ justitię quoad τὸ ῥητὸν, sententia tamē verissima est, quòd videlicet justitia sit firma προαίρεσις, constans, inquam, & perpetuum propositum voluntatis humanæ, suum cuique tribuendi positivè, putà bonum, & intribuendi, hoc est, non tribuendi negativè, putà malum, positivè bonum, tribuendo jus, negativè malum, abstinendo ab injuriâ, oppositâ juri.

6. *Differentia Specifica Iustitiæ Vniversalis sumitur ab Objecto ejus, & Adjuncto Officio circa illud Objectum.*

7. *Objectum Iustitiæ Vniversalis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæquatum conflatur.

8. *Objectum Internum Iustitiæ Vniversalis non tam sunt Affectus*, cogendi in gyrum rectę rationis, circa quos justitia occupatur per

ac-

accidens, eò quòd reliquæ, virtutes morales subjectum ejus, hoc est, hominem justum domi præparent, ne vel commoveatur metu potentiæ alterius, fiduciâvè gratiæ & honorum, quò minùs cuiq; jus suũ dicat, vel cupiditate voluptatum & pecuniæ se patiatur expugnari, offâ libidinis aut massâ auri objectâ, liventis, quoniam tot habet insidiatores, vel transversus abripiatur irâ odiovè, à viâ justitiæ in avia injustitiæ, quorum illud præcavet fortitudo & magnanimitas, istud temperantia & liberalitas, hoc mansuetudo, *quàm Actiones Internæ Immanentes*, à quibus omnem bonitatem moralem accipiunt actiones externæ transeuntes, quæ ideò bonæ, quia illæ:

9. *Objectum Externum Iustitiæ Vniversalis, universè vel Negativum est, vel Positivum.*

10. *Objectum Externum Negativum Iustitiæ Vniversalis est Ius, quod, vocãt, Oeconomicũ*, Metaphoricũ sive Similitudinariũ veriùs, quam verũ, continens præcepta seu regulas de officio œconomico personarum domesticarum, quod quæque sibi invicem debent, suoquè jure à se invicem exigere possunt, v. g. uxor à marito, ut rei familiari det foris operã acquirẽdo, maritus ab uxore, ut eidẽ rei familiari det domi operã custodiendo, curãdoquè negocia domestica, similiter liberi à parẽtibus, alimentationem, institutionem, educationẽ, defensionem, parentes à liberis, pietatem, reve-

reverentiam; obedientiam, servi à dominis alimentationem & stipendia, domini à servis; operas & obsequia, quæ officia domesticorum domestica juris similitudinem quandam habent, sed similitudinem scilicet, veri magis, quàm veram. Verâ quippè re, maritum inter & uxorem; parentes & liberos, dominum & servos, non datur simpliciter jus, eò quòd, quæ sibi invicem debent, hæc debeant à naturâ potiùs, quàm ab hominum instituto, exquè lege pietatis potiùs, quàm justitiæ, nec ut alienis, & prorsus distinctis, sed tanquam sibiipsis, non magis, inquam, inter eos datur jus simpliciter, quàm injuria simpliciter-dicta, quæ nullius ad seipsum, & sua, quare nec mariti in uxorem, quæ una cum eo caro, unitate consentaneâ & conjugativâ, nec parentum in liberos, qui pars quædam parentum, saltem aliquid parentum, usque dum adoleverint, & ex potestate eorum exierint, nec domini in servos, ut qui sint possessio & res domini, totiq̃ue adeò ejus, Philosophãdo Oeconomicè, at benè interim datur ut jus ita injuria Philosophando Ethico-Politicè, quomodo saltem hactenus injuriæ locus, si injuriæ, ergò & juri, inter præallegatas personas, in quantum uterque, & maritus & uxor, & pater & filius, & dominus & servus, homo, & aliquid secundum se subsistens, atque ab aliis distinctum, maritus ab uxore, pater à filio, dominus à

ſervo, maritus v g repudians alia perſona ab uxore repudiatâ, pater paciſcens cum filio, alia perſona à filio, qui-cum paciſcitur, dominus verberans alia perſona à ſervo vapulante. Ut enim filius, patrem occidens, non videatur peccare contra juſtitiam præcisè, dum facit contra debitum filii, & jus paternum, cùm ſic ſolùm peccet contra pietatem, tamen hoc ſtante, neque interim obſtante, peccat contra juſtitiam ἐν πλάτει, quatenus ſine legitimâ autoritate hominem interimit. Eſt enim in hoc facto duplex malitia, altera contra juſtitiam, ratione ſubſtantiæ perſonæ, quæ læditur, altera contra pietatem, ratione circumſtantiæ ejuſdem perſonæ.

11. *Objectum Externum Poſitivum Iuſtitiæ Univerſalis eſt Ius, quod vocant, Politicum, ſive id, quod juſtum eſt, tribuique cuiq; debet,* voce politici acceptâ latè, in eo ſenſu, quo hominem appellitamus animal politicum, & hactenus civile, quę differunt. Politicum quippè Gręcis id dicitur, quod hominibus, ſocietate quâdam inter ſe devinctis, eſt commune, ut vendere, emere, locare, conducere, civile contrà Latinis, quod ſuæ cujusque proprium eſt civitatis, quomodo civilis olim Romæ fuit toga, in Græciâ pallium. Dico, ſive id, quod juſtum eſt. Cùm enim jus modò propriè ſumatur, pro naturæ, populi, ejusvè, qui vicem gerit populi, juſſu, impropriè verò, modô per metony-

miam adjuncti, vel pro juris scientiâ, regulâ, inquam, sive normâ, cuique id, quod suum est, tribuendi præscribente modum, adeoquè directivè & activè, ut cùm jus à Celso definitur, quòd sit ars boni & æqui, vel pro loco, in quo jus dicitur, veluti cùm dicimus, aliquem in jus vocare, modò per metonymiam causæ, pro potestate jure concessâ, ut in definitione itineris, cùm iter dicitur esse actus eundi ambulandi homini, actus verò jus, id est, potestas agendi, vel jumentum, vel vehiculum, modò per metonymiam subjecti, pro eo, quod juri propriè dicto sive legibus conveniens atque consentaneum est, quodquè cuique tribuitur, adeoquè passivè & objectivè, sola omnium ultima significatio est hujus loci, siquidem jus spectetur, ut præstandum tamen, quomodo objectum fuerit justitiæ formaliter, eâquè prius, quia à jure sive justo justi nuncupamur nominaliter, & inde porrò justitia, non ut præstitum, quomodo effectum fuerit justitiæ, eâquè posterius realiter, jus sive justum prius justo, & hic justitiâ Grammaticè, sive derivatione Grammaticâ, concretum abstracto, justitia contrà prior justo Logicè, sive derivatione Logicâ, abstractum concreto.

12. *Ius Politicum* dicitur, quod obtinet inter homines liberos, numero aut proportione æquales, vitæquè communione junctos, ut iis omnia suppetant, quæ ad vitam

sunt

sunt necessaria. Inter homines liberos, quia inter servos, quemadmodum nulla civitas, ita nec jus: Inter æquales, quia æqualitas maximè propria juris, adeò, ut inter quos est communis libertas, si tamen non sit æqualitas, nullum verè sit jus, ut inter maritum & uxorem, patrem & filium, quia jus inter eos propriè, inter quos lex, quæ nulla inter maritum & uxorem, patrem & filium: Et quidem numero vel proportione, numero, in populari Republicâ, eâquè liberiori, proportione in aristocratiâ & regno: Vitæquè communione junctos, quia inter liberos, æquales, & civitatis communione junctos, solùm est legis communio, quare & juris, quoniam id propriè ab omnibus justum dici consuevit, quod legibus est consentaneum, legibus definitur, estquè legitimum, quo fit, ut, quibus lex data, iis quoque jus datum esse videatur, interquè eos solùm sit legis communio, qui se mutuò lædere atque injuriâ afficere possunt: Ut iis omnia suppetant, quæ ad vitam sunt necessaria, qui finis societatis in genere, & hujus societatis in specie.

13. *Estquè vel Naturale, vel Positivum sive Legitimum.*

14. *Ius Naturale* est; finitore Aristotele, quod ubiq; & semper eandem vim obtinet, idquè naturâ suâ, non quia ita decretum vel non decretum est. Ut ita tres ejus sint notæ famosę, una loci, quòd omnibus in locis eādem vim &

poteſtatem habeat, non aliam Romæ, aliam Athenis, aliam in Europâ, aliam in Aſiâ, altera temporis, quòd ſit perpetuum, non aliud olim, aliud nunc, aliud poſthâc, tertia, quòd ſuâ vi & per ſe valeat, non quia ita hic vel ille ſtatuit, Lycurgus aut Solon, adeoquè veritate, non opinione, obligando obligans omnes homines in latitudine, ſi minùs in actu ſecundo, quomodo obligat adultos tantùm, ſed habiles, minimùm in actu primo, quomodo obligat ipſos etiam pueros infantes, naturale, ratione cauſæ & originis, Politicum ratione uſus, utroque modo immutabile, non quaſi ab omnibus & ſemper præſtari ſoleat in vitâ communi, cùm non obſervetur apud eos, atque ab iis, qui rebus non ita utuntur, ſicut à naturâ eſt comparatum, apud beſtiales, inquam, homines, ſed quia omnes, idquè ſemper & ubique, ſuo loco obliget ad illud præſtandum, obedienter & directivè bonos, hoc eſt, ſecundum naturam viventes, inobedienter & coactivè malos, hoc eſt, contra naturam viventes, utroſque in in foro interiori ſive conſcientiæ, cuique ut dictantis ita reddentis ſuum jus, atque vel excuſantis, vel accuſantis, abſolventis vel condemnantis.

15. *Ius Poſitivum ſive Legitimum* eſt, finitore eodem Ariſtotele, quod ab initio, hoc an illo modo fiat, nihil refert, cùm verò

verò constitutum est, tunc refert. Et hujus juris tres sunt notæ famosæ. Prima, quòd juris positivi sive legitimi hæc sit vis & natura, ut, priusquam decreto est sancitum, sit ἀδιάφορον, hoc est, nullam vim obligatoriam habeat, citraquè culpam servari possit, vel non servari, postquam verò semel sancitum est, non item sit ἀδιάφορον sive disobligatorium. Ita v g in vestibus possum ego pileum, qualemcunque velim, gerere, est ἀδιάφορον, at si constituatur lex, ne quis pileo holoserico utatur, post constitutionem non est ampliùs ἀδιάφορον. Secunda, quòd jus positivum & legitimum per se, suâquè vi, haud valeat, sed θέσει, πάξει, νόμῳ, ut quòd ab hominibus suam habeat ut originem ita autoritatem, qui illud constituerunt, adducti probabili aliquâ ratione, desumtâ, vel ex lege naturæ, vel ex aliquâ circumstantiâ: Ex lege naturæ, quæ v g docet, fures esse puniendos, cui lex positiva addit modum pœnæ, damnando eos ad duplionem triplionem quadruplionem, latomias, triremes, fustuarium, exilium, laqueum, sequens in eo constituendo probabilem rationem: Ex aliquâ circumstantiâ, ut cùm frumentum tanto vel tanto precio venditur, ob rei frumentariæ facilitatem vel difficultatem, aut in testamento condendo tot vel tot adhibentur testes, propter aliquas circumstantias, v g, sex-

sept em-

feptem numero, quod, antequam certus numerus lege determinaretur, utique fuit ἀδιάφορον. Tertia, quòd jus positivum & legitimum præsupponat honeſtatem, quam habet ex jure naturali, tanquam hypotheſis ex theſi, referaturquè ad utilitatem eorum, quibus fertur, unde & τὸ δίκαιον κατὰ σύμφερον audit, ut intendi, ita remitti, ut exaſperari, ita mitigari valens, aut etiam, ſiquidem ſit ex uſu Reipublicæ, planè abrogari, ſaltem mutari, etiamſi omnes circumſtantię, cum quibus antea obligabat, eædem maneant, cùm ideò dicatur jus poſitivum, quia in ponentis eſt poteſtate, rationabiliter tamen.

16. Quid multis? *Ius Poſitivum ſive Legitimum à Iure Naturali differt:* I. Origine, altero exiſtente à Deo & naturâ, altero ab hominum voluntate arbitrio & autoritate. II. Objectis, altero exiſtente generis, altero ſpeciei. III. Certitudine, altero exiſtente αὐτοπίςῳ, ſaltem ἀξιοπίςῳ, altero πιςικῷ. IV. Amplitudine, altero exiſtente eôdem ubique, ſi minùs de facto, minimùm de jure, altero aliâs alio alibi, ad ſimilitudinem menſurarum, quæ hic majores, illic minores, & dierum ac noctium, quæ in diverſis regionibus diſſimiles, cùm contrà ignis ubique urat, & in Græciâ, & in Perſiâ. Ut ita alterum omnibus in terris, omni loco & tempore, eandem vim ac poteſtatem habeat, alterum verò apud

alias

alias atque alias gentes sit aliud, ac ne apud easdem quidem semper idem, sed nec obligatorium semper, cùm non antè obliget, quàm fuerit sancitum. V. Duratione, altero existente firmo fixo immutabili, altero verò mutabili & variabili. Jura quippè civilia non ubique sunt eadem, quia non eadem est omnium civitatum ratio, sed varia & multiplex. Apud alios namque viget democratia, cujus multa rursus sunt genera, apud alios monarchia, cujus item, apud alios aristocratia, cujus item: Cùm ergò varientur civitates, ut varientur harum jura necesse est, cùm leges civitatibus, non civitates legibus, accommodatas esse conveniat.

17. *Officium Iustitiæ universalis circa suum Objectum, vel Primarium est, vel Secundariū.*

18. *Officium Primarium Iustitiæ Vniversalis est, Æquitatem Naturalem Colere atque Exercere Ritè.* Ut enim jus naturæ nullam correctionem aut laxationem admittat in thesi, tamen admittit in hypothesi, circumstantiis personarum temporum locorum & rerum sic postulantibus, quæ si negligerentur, factum contra jus naturale futurum foret quibusdam in casibus. Hinc fit, ut leges naturæ inferiores à superioribus subindè mitigentur, ubi ambæ servari nequeunt, lex, v g, suum cuique tribuere, à lege, neminem lædere, in materiâ depositi, reddendi prodigo vel furioso, quarum illa infe-

inferior, hæc ſuperior, lex, non occides, quæ ſecundæ tabulæ, à lege, diliges Deum ſupra omnia, quæ primæ tabulæ, in hiſtoriâ Abrahami, quarum illa iterum inferior, hæc ſuperior, Deo legem ponente, non ſibi, ſed hominibus. Ut enim id hâc majore, non occides, ne Deus quidem diſpenſare poſſit, tamen in minore facere eſt potis, ut homicidium non ſit, per quemcunque tandem executio fiat, quod ſine ejus indultu alioquin tale foret.

19. *Officium Secundarium Iuſtitiæ Univerſalis eſt, Æquitatem Moralem, dicam, an Civilem, colere atque Exercere Ritè*, univerſalem ſententiam legis, ad caſus non expreſſos, ſecundum rationem utilitatis, & finem legiſlatoris, accommodando, extensâ v g. pœnâ parricidæ, in matricidam, ob rationis identitatem, ideoquè & juris, benignevè interpretando, ejuſquè mentem potiùs, quàm verba, reſpiciendo, remiſſâ contra legem, ſi peregrinus conſcenſit murum capital, eſto, pœnâ capitali peregrino, conſcendenti muros civitatis, ut hoſtes dejiciat, quem peregrinum, ſi adeſſet legiſlator, æquè abſolveret, ac vir æquus bonus, vicem ejus ſubiens per ejus abſentiam, exacto & ſtricto jure neglecto, eò quòd circumſtantiæ loci temporis perſonæ, ipſaque adeò legiſlatoris mens, mitigationem requirant in hoc particulari caſu, regulamquè Leſbiam ſive plumbeam flexibilem & applicabilem, non At-

Atticam inflexibilem , atque uno tantùm applicabilem modo, hoc est, ad casus expressos & determinatos, non indeterminatos, determinatione procedente ex jure naturæ, quod vir æquus bonus rationabiliter sequitur, illius principia præsupponens, & hinc deducens conclusiones illis correspondentes, pro re natâ ne v g, nostro in argumento maleficium patiatur, cui debetur beneficium, contra omnem rationem, quare & jus rationale, quo cum pugnat jus summum, non quidem ratione constitutionis, quomodo quò magis est summum, hoc est perfectius, sed ratione interpretationis, cùm v. g in calumniam & sycophantiam vergit, facitquè jus pendere ex verbis, cùm non verba veniant in judicium, sed ea res, cujus causâ verba in leges conjecta sunt, quas scire, non est earum verba, sed vim & potestatem tenere, executionisquè, sumtum pro jure rigido & stricto sine mitigatione, quam legislator admitteret propter aliquam circumstantiam, & probabilem causam, vigorem ejus, dicam, an rigorem suspendendo.

20. *Sic descripta Iustitia Vniversalis, quà Objecto, utroque tam Negativo quàm Positivo, differt à Virtute Vniversâ*, quòd idem habitus, quatenus ad exercitium boni actus inclinat subjectum sive habentem, præcisè virtus dicatur, eaquè nuda, atque in se spectata, quatenus verò refertur ad alterum

rum, huicquè deservit, virtute suâ alios, totamquè Rempublicam beans, præcisè justitia dicatur, illic consideratus ut κτῆμα, hîc ut χρῆμα: Quæ differentia in distinctione, non reali sive re, sed rationali sive ratione, modo, inquam, considerandi, non essendi, quasi toto esse differant, consistit. Nullam quippè aliam virtus universa à justitiâ universâ essentiam habet, at benè existentiam & operationem, illâ agente domi, hâc foris & foràs, nullâ liberalitate, magnificentiâ nullâ, fortitudine & mansuetudine nullâ existente, nisi erga alios, idquè per imperium & causalitatem justitiæ universalis, tanquam virtutis architectonicæ, omnibus imperantis, adinstar principis.

21. *Extremum Iustitiæ Vniversalis est Injustitia Vniversalis in Excessu pariter & Defectu, unum idemquè re vitium, differens interim ratione*, contrà quàm fit in aliis virtutibus. Cùm enim aliarum virtutum extrema, v. g. audacia & timiditas, diversis operationibus committantur atque contrariis, unicâ autem operatione impossibile sit agere secundum audaciam & timiditatem, quæ sunt excessus & defectus fortitudinis, adeoquè duo sint vitia distincta, differentia inter se, & re, & ratione, injustitia, una & eadem res, unicâ operatione conficit, & plus, & minus, excessum, inquam, & defectum, qui sunt idem re, differunt ratione. Etenim, qui

v. g.

v. g. aufert, & plus habet, & alicui aufert, cui verò aufertur, is minus habet, & aliquid perdit, quo fit, ut una eademquè ablatio faciat plus habere eum, qui aufert, & ſimul minus eum, cui aufertur, ſicquè injuſtitia, unum re vitium, conficit utrumque extremum, differens inter ſe ratione tantùm, prout ſubit rationes pluris & minoris, exceſſus & defectus, quia licet ſit eadem res injuſtitia, tamen eſt alia ejus ratio, ut eſt plus, alia verò, ut eſt minus. Cùm ergò opponitur juſtitiæ injuſtitia, hęc ſubit vicem duorum extremorum, non vitiorum vitioſorumvè habituum, quorum extremorum alterum eſt plus habere de bonis, putà, divitiis & honoribus, & minus de malis, putà, laboribus & damnis, alterum verò minus habere de bonis, & plus de malis,

22. *Injuſtitia Vniverſalis* eſt vitium morale, quo non præſtatur obedientia legibus, humanaquè ſocietas turbatur, ſicut contraria juſtitia univerſalis, vi contrariorum, virtus moralis, quâ præſtatur obedientia omnibus legibus, ad publicæ ſocietatis conſervationem, illa *ἀνομία* Græcis, hæc *ἐννομία*. Univerſalis namque injuſtitia ita ſe habet ad cætera vitia, ut univerſalis juſtitia ſe habet ad cæteras virtutes: Quare, ſicut hæc idem eſt, quod univerſa virtus, cæteras virtutes ambitu ſuo complectens, ita illa idem, quod univerſum vitium,

cætera

cætera omnia vitia ſub ſe continens, hoc cum diſcrimine interim, quòd juſtitia univerſalis in uno numero homine, ſive uno individuo, eſſe poſſit, eò quòd virtutes non contrarientur inter ſe, non item univerſalis injuſtitia ſecundum totam ſuam latitudinem, cùm vitiorum mutua contrarietas id non permittat, de quorum ratione & conditione eſt, ut inter ſe diſſideant, atque ita diſſideant, ut ſimul ſe compati nequeant, eò quòd malum ſeipſum deſtruat, quod ſi integrum, intolerabile. Sic v g unus idemquè homo ſimul avaritiâ & prodigalitate, audacia & timiditate, nimiâ lenitate ſive lentitudine & crudelitate, laborare nequit, cùm unum illorum vitiorum alterum ſuâ naturâ pellat, non in eodem genere tantùm, ſed in diverſo, v g, ambitio avaritiam, hæc ebrietatem. Accedit, quòd cùm omni virtuti duo repugnent vitia, qui uno horum laborat, ille nequeat ſimul laborare altero, v g, ſimul eſſe timidus & audax, avarus & prodigus, quo fit, ut non neceſſe ſit, vitia inter ſe ſororio vinculo eſſe connexa. Quæ res tamen non impedit, quò minùs hâc ratione injuſti dicantur, qui omnibus vitiis oppleti ſunt, quia tantum vitiorum tunc intelligitur, quantum cadere in unum hominem poteſt.

23. *Objectum Injuſtitiæ Univerſalis ſic eſt Injuria, ut Iuſtitiæ Univerſalis Ius*, eſtquè illa nihil aliud, quàm damnum, quod invito à volente immeritò infertur. Cùm autem triplex

plex sit damnum, unum, quod ab invito fit, alterum, quod à spontè agente, tertium, quod ab eligente & volente, quorum illud ἀτήχημα Græcis, casus fortuitus Latinis, istud ἁμάρτημα Græcis, culpa Latinis, hoc ἀδίκημα Græcis, injuria Latinis, non quodvis horum damnorum injuria, sed ultimum: Non primum, quia ἀτύχημα, sive casus fortuitus; qualis, qui humano captu prævideri nequit, aut, si maximè prævideatur, nequit impediri, est, si quid à nobis fiat παραλόγως, inopinatò atque inexpectatò, sive, per ignorantiam probabilem, & contra saltem præter rationem quodammodò, ut si venator feram persequens, hominem in vepreto delitescentem, Cephalus v g uxorem suam Procrin, pro ferâ jaculo conficiat, quo in casu, non solùm præter voluntatem agentis, sed præter opinionem atque expectationem omnium, damnum illatum est, neque quicquam, nisi per accidens, attulit, qui occidit, cùm injuria fiat à volente & sciente: Non secundum, quia ἁμάρτημα sive culpa est, si quid committatur vel omittatur, μὴ παραλόγως sive inopinatò atque inexpectatò quidem, absque malitiâ tamen, hoc est, affectatâ ignorantiâ, sineque adeò animo nocendi, id quod multis modis accidere potest, ignorando, quem, quo modo, quâ re seu organo, & cujus rei causâ, læseris, ut, si quis ex fenestrâ, in viam publicam, quà transire solent homines, jaculatus præte-

reuntem

reuntem percusserit, qualis quidem nolens hominem percussit, causam interim aliquam attulit læsionis, eò quòd in viam publicam telum emisit: Non primum, inquam, aut secundum, verùm tertium atque ultimum, quia ἀδίκημα sive injuria est damnum, cùm quis nocet sciens, atque eo animo, ut noceat, sive id fiat fraude, sive vi, quarum utraque à proposito ac studio nocendi proficiscitur, utraque etiam invito infertur, sed vis scienti, fraus ignoranti, consultò interim ac cogitatò utraque, non item similiterquè, cùm quis irâ, amore, aliovè animi impetu concitatus, sine deliberatione ullâ, alteri nocet, qui ἀδικεῖ μὲν, neque interim ἄδικός ἐστι, eò quòd non ex proæresi, atque ex malitiâ, seu habitu vitii, peccet, verùm διὰ πάθος, per affectum, qualia ἀδικήματα sunt ἀπροαίρετα καὶ ἀπροβούλευτα, ut horum causæ, τὰ πάθη, putà, quæ ut sint ἑκούσια propriè, quia cum scientiâ, & quia voluntas ea frenare, & potest, & debet, tamen ἀκούσια impropriè, quia horum non est autor is, qui irâ, aut aliâ animi perturbatione commotus, quid fecit, sed is, qui lacessivit. Atque hujus rei signum est, quòd ii, qui injuriæ postulantur, quam non intulerunt deliberato animo, sed justâ irâ provocati, confitentes factum soleant se tueri ipso jure, cùm, qui deliberato animo alicui intulerunt injuriam, non se jure, sed facti negatione, soleant defendere.

24. *De hoc Objecto Injustitiæ Universalis, sive Injuriâ, disputatur in Peripato, tum ratione Subjecti Ferentis Injuriam, hoc est, Injuriati, an videlicet volenti eâ queat fieri, tum ratione Subjecti Inferentis Injuriam, hoc est, Injuriantis, an videlicet quis eam sibi queat facere, atque ita simul esse, & Injuriatus, & Injurians?*

25. Quod attinet primum nodum, *An videlicet volenti possit fieri injuria propriè dicta*, hunc solvunt Moralistæ, distinguendo Voluntatem inter Rectè Compositam, Regulatam, Solutam, Absolutam, Plenam, Expressam, Injuriamquè in Sensu Formali, & Voluntatem Defectu Laborantem, Erroneam, Ligatam, Conditionatam, Semiplenam, Tacitam, Injuriamquè in Sensu Materiali.

26. Priori concipiendi modo injuriam fieri posse negant volenti, tum quia contrariorum contraria sint attributa, facere verò & pati injuriam sint contraria, quare, si illud voluntarium, hoc involuntarium, tum quia injuria sit spontanea & malitiosa læsio, nemo autem se spontè & malitiosè lædat, lædivè velit, cùm nemo intendens ad malum operetur, injuria autem sit in malis, tum quia nemo appetat simpliciter sui destructionem, appeteret autem, appetendo injuriam, conjunctam cum boni alicujus privatione, majori

minorivè pro re natâ. Quod si ita, cùm Glaucus Homericus dat arma aurea accipitquè ferrea ab hospite Diomede, eo ipso haud passus est injuriam, quia dedit spontè, inquè potestate ejus fuit, non dare. Permutatio quidem ipsa fuit injusta, permutanti interim non est facta injuria, quæ nolentis, non volentis, & à faciente, non patiente. Ex quibus perspicuum, posse quem injustam rem perpeti volentem, ut tamen nullam accipiat injuriam. Ut enim omnes, qui perpetiuntur injuriam, etiam perpetiantur rem injustam, tamen non contrà, qui perpetiuntur rem injustam, etiam perpetiuntur injuriam, quia fieri nequit, ut accipiatur injuria, ubi nemo est, qui eam intulit, ut si v. g. ignorans quis alium percutiat, qualiter percussus non accipit injuriam, eò quòd percussor illam non faciat, quippè ignorans, quamvis injustum interim, & ille faciat, & hic patiatur.

27. Posteriori concipiendi modo injuriam fieri posse affirmant Volenti, Voluntate Defectu Laborante, sive eclipsin moralem patiente, propter perturbationem nimiam, quomodo armiger Saulis haud dubiè injuriam intulisset homini desperabundo, si ipsum, cædem sui præcipientem, trucidâsset, licet eam non appeteret sub specie injuriæ: Voluntate Erroneâ, sivè ea sit simplicis & puræ negationis, quomodo Josephus haud dubiè fratres suos magnâ affecisset injuriâ, si in voluntariâ eo-

rum

rum ſententiâ, contra ſeipſos dictatâ, acquieviſſet, ſive pravæ diſpoſitionis, ut ſi quis furioſo petenti cultrum porrigeret, eoquè ille ſe vel alium læderet: Voluntate hinc Ligatâ, vel Naturaliter, ut ſi puer vellet omne, quod ſuum eſt, alteri largiri, & is oblatum acciperet, qui injuriam utique hactenus pateretur volens, vel Moraliter & Civiliter, ut ſi quis alteri volenti manum detruncaret, cùm nemo ſit dominus membrorum ſuorum, ita ut de iis poſſit pro ſuo arbitrio diſpenſare: (Ut enim ceſſio juris locum habeat in iis, in quibus jure noſtro cedere poſſumus, v. g. de famà, honore, & bonis externis, quorum ſumus domini, quia ſunt diſpoſitionis noſtræ, tamen non item in iis, quorum non ſumus domini, ſed cuſtodes tantùm, ut vitæ & membrorum, in quibus jure noſtro cedere haud poſſumus, aut, ſi cedamus, ceſſio eſt invalida, permanente toto jure in vigore, ut ſi quis interficeret Titium volentem, aut eo volente adulterium committeret cum uxore ejus, bis malè, quia neutro jure valuit cedere, nec alter ſic ceſſo uti, utroque peccante, quia alter voluit, quod velle per leges non licet, alter verò fecit, quod facere per leges non licet: Voluntate inſuper conditionatâ, ut, ſi ſub certâ conditione quis perſolvat uſuram ultra ſortem egeſtate preſſus, quò præſenti neceſſitati ſubveniat, idquè volens noleus, qualis injuriam patitur,

 quia

quia ita vult, ut mallet ſimpliciter ſortem reſtituere absque uſurâ, ſaltem tali uſurâ, ſiquidem gratis uſurarius,licitâvè uſurâ,pecuniam mutuari vellet, ſicut &, qui latronibus pecuniam dat volens, quò vitam redimat, etſi volens eam det, quia non cenſetur viator ceſſiſſe jure ſuo,ſi quo modo involuntariè,renitenteque ac reclamante affectu conſentiat, inductus ad id ab eo, qui læſurus eſt, interveniente ex unâ parte voluntate, ex alterâ verò doloſâ perſuaſione,deteriore exiſtente violentâ coactione,jam verò is, qui decipitur, pro nō volente habetur, cui ideò fit injuria ex hoc capite: Voluntate prçterea Semiplenâ,putà,cùm volens non habet voluntatem integram ſupra totam actionem cadentem, ut cùm martyres volentes martyrium patiuntur, quò lucrentur cœlum, nolentes verò, ne martyriſantes in æternum pereant, atqui, cùm volens non totaliter ſed partialiter,quid vult, alioquè fine & modo vult læſionem, quàm ipſi infertur, v g, martyres, ut veram religionem ſanguine ſuo confirmarent,tū δογματικῶς,tū παραδειγματικῶς, martyriſantes, ut eam ſtirpitùs extirparent,excruciatis & excarnificatis confeſſoribus ejus, hactenus injuriam patitur, quoniam, ne cui injuria fiat, non ſufficit voluiſſe quid ex parte, verùm omni ex parte: Adhuc Voluntate Tacitâ, ſi v g invidus volens patiatur leviuſculum damnum,quò alteri noceat, Titiuſvè ſibi velit Sempronium furari equum, quò ei ſuf-

ſuſpendium adjudicetur, qui Sempronius, ſi optata Titii exequeretur, næ ille injuriam pateretur volens, ut non voluntate expreſsì, ſaltem tacitâ: Denique in ſenſu materiali, non formali, ut cùm avarus, ſuum defraudans genium, opes multas corradit, qui injuriam quidem ſibiipſi infert volenti in ſenſu materiali, ſi nudus actus, absq; conſideratione intentionis ad ulteriorem finem, perpendatur, at nō in ſenſu formali. Quamvis enim, quòd defraudat genium ſuum avarus, in ſe, & in rei veritate, injuria ſit, tamen injuria ipſi non videtur eſſe, eò quòd defraudatio illa genii avari ingenio ſit conveniens, qui ideò injuriam ſibi infert, non formaliter, ſive ſub ſpecie injuriæ, & cum propoſito nocendi, ſed materialiter tantùm.

28. Quod attinet ſecundum nodum, *an videlicet quis ſibi ipſi poſſit facere injuriam propriè dictam, nominatim Ἀυτοφόνος ſive Propricida,* hũc ſolvũt Moraliſtę, negãdo quẽ ſibi poſſe facere injuriã, tũ quia, qui facit injuriã, & ſpõtè faciat, & conſultò, & prior, & alteri, habendo plus, at, qui injuriã patitur, & invitus patiatur, nulloquè, ut id patiatur, conſilio adhibito, & poſtquam illata ea fuerit, & quidem alteri, habendo minus, jam verò nemo idẽ ſimul poſſit eſſe volens & invitus, conſultò & pręter cõſilium, priùs ac poſteriùs, in ſe quaſi in aliũ & ad alterum agere, habereque ſimul plus & minus, quorũ illud in lucro, hoc in dãno eſſe ſolet, eodemquè adeò tempore inferre ſimul & pati

malum, quæ συναδύνατα, immò ἀσύστατα, tum quia, si quis sibiipsi posset facere injuriam, tum aut contra universalem justitiam eam sibi illaturus sit, aut contra particularē, non cōtra illam, quia, qui universaliter est injustus, is peccet contra aliquam legem, nulla autē sit lex, de non faciendâ sibi injuriâ, atque ut maximè esset, sic injuria legi fieret & Reipublicæ, non injurianti, cùm volens patiatur, quicquid patitur, non etiam contra hanc, quia hæc sit πρὸς ἕτερον, nemo autem à seipso sit ἕτερος, tum id facturus quis sit secūdum certam aliquam speciem injuriæ, putà, furando, adulterādo, decipiendo, id quod fieri nequeat, cùm nemo possit rem suam furari, nemo cū suâ ipsius uxore adulterium cōmittere, nemo ædium suarum parietem perfodere, depositum sibi reddere nemo.

29. *Quòd si quis sibi nequit facere injuriam volens, ergò nec αὐτόχειρ ἢ αὐτοφόνος sive Proprìcida*, quia sicut justitia semper est ad alterum, ita & injustitia, & per consequens injuria, saltem externa, quâ spontè alicui, contra illius voluntatē, nocetur, non perindè interna, quâ quis adversus potiorē & nobiliorē sui partē, putà rationem, in eodem supposito est injurius, licet interim hoc stante, neq; tamē obstante, hic talis injuriā faciat Deo, in quantū est aliquid Dei, scilicet imago ejus, faciat naturę, in quantū est creatura rationalis, faciat Reipublicę, in quantum est pars ejus.

C A-

CAPUT XLIII.

De Iustitiâ Particulari in genere, in specie verò Iustitiâ Distributivâ, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Prosopoleptica.

§. 1. *JUstitia Particularis, si Rem sive Realitatem ejus spectes, non Nomen sive Nominalitatem*, quâ de actum capite antegresso, est Virtus (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Distribuendo & Commutando, inter Plus & Minus, ita hominem instruens, ut nec de externis bonis, hoc est, præmiis, honoribus, muneribus, pecuniis, & id genus aliis, sibi sumat plus, & minus alteri relinquat, nec de malis, hoc est, oneribus & pœnis, minus sibi & plus alteri tribuat, quàm par est, jureque illi debetur. Contrà ut distincta ita distinguenda à justitiâ universali. Ut enim in eâ contineatur materialiter, non secùs ac linea in lineato, principium in principiato, elementum in orto ex elementis, unitas in multitudine, ita, ut qui est justus justitiâ universali, etiam sit justus justitiâ particulari, differt tamen ab eâ formaliter, cùm justitia universalis nihil sit aliud, quàm συμμέλεια καὶ συμφωνία omnium virtutum, quod non item dici potest de justitiâ particulari, quæ tantummodò occupata est circa ἰσότητα æqualitatem, tribuendo cuique, quod suum est.

2. *Iustitia Particularis subdividitur in Διανεμητικὴν, Distributivam sive Assignativam, & Διορθωτικὴν ἢ Ἐπανορθωτικὴν Correctivam, Commutativam vulgò.* Cujus bimembris divisionis hæc ratio bimembris: Una, quòd justitia particularis versetur circa bona fortunæ, ea autem sint, vel publica, vel privata, cumquè illorum nullum sit commercium, permutatio nulla, sed potiùs donatio ac divisio, hinc fit, ut, quæ in rebus publicis cernitur justitia, meritò Græcè sit dicta διανεμητικὴ, quâ munera & onera distribuuntur inter eos, qui ejusdem civitatis, aut omninò societatis vel familiæ sunt participes, horum verò sit aliquod commercium, hinc fit, ut, quæ in privatis rebus cernitur justitia, meritò Græcè sit dicta διορθωτικὴ ἢ ἐπανορθωτικὴ, quâ fraudes privatorum in commerciis, rebusquè contrahendis, corriguntur, illic spectatâ personarum ratione, hîc rerum æquatione: Altera, quòd eadem justitia particularis ordinet, vel totum ad partes, hoc est, id, quod commune, ad singulas personas, quem ordinem dirigit justitia distributiva, distributrix quę est secundum communem proportionalitatem, vel partem ad partem, hoc est, unam privatam personam ad aliam, quem ordinem dirigit justitia commutativa. Sicut enim vel totum cum parte comparari potest, vel pars cum aliâ aliquâ parte totius, ita etiam, vel Respublica cum privatâ perso-

sona conferri potest, vel persona privata cum quâlibet aliâ personâ privatâ. In utroque ordine certa quædam officia continentur, quorum, quę à Republicâ singulis privatorum pręstanda sunt, à justitiâ distributivâ, quæ singuli singulis præstare debent, à justitiâ commutativâ præscribuntur.

3. *Justitia Distributiva sive Assignativa; si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, denominationem suã accepit à distribuendo & assignando, quòd unicuique suum distribuat & assignet, præmiã pro meritis, Remunerativa inde, supplicia pro demeritis, Pûnitiva inde vulgò: *Sin Rem sive Realitatem* ut sic est virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Distristutione Rerum Communium, quæ inter eos dividi solent, qui unius Reipublicæ communione sunt conjuncti, servatâ Proportione Geometricã: Vel sic: Justitia Distributiva est virtus moralis, quę in distributiõne rerum externarum, pro factis, cuique id, quod suum est, tribuit secundum proportionem geometricam.

4. Juvat *ἀναλύειν. Definitio hac constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

5. *Genus Justitiæ Distributivæ est Virtus Moralis*: Quì de re? Quia enim & ipsa suo loco est habitus *προαιρετικὸς* electivus, habẽs requisita virtutis moralis, rectã rationẽ pro principio agẽdi, mediocritatẽ inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine, bonũ faciens

tius communitatis omnes ferre tenentur, unde fit, ut quicquid non debetur cuiquam, tanquam de communibus bonis, neque ferendum imponitur, ut publicum & commune onus, illud non distributivæ sed commutativæ sit justitiæ, sive pręmia spectes, sive pœnas: Præmia, ut si Respublica stipendium alicui persolvat, certisvè beneficiis compenset operam peculiariter sibi prǽstitam, putà, si rem in bello quis strenuè gesserit, conjurationem detexerit, consiliumvè egregium principi dederit, non erit hic actus justitię distributivę, verùm commutativę, quia distributio est nuda attributio eorum, quę totius sunt ad partes, persolutio autem stipendii, collatioquè hujusscemodi beneficiorum, compensatio quædam est & merces, nec ideò cuiquam contingit, quia civis est, sed quòd labore & industriâ suâ id commeruit, quorsum vel in aristocratiâ luculentius beneficium conferri videas nonnunquam plebejo, quàm nobili, licet in distributione communium pręmiorum nobilis plebejo illic pręferri omninò debeat: Pœnas, quia harum irrogatio non distribuit malum aliquod omnibus civibus commune, quà civibus, quoniam non ut onera ita pœnæ inter cives omnes distribui solent, ut singuli partem, auferant; tanquam de publico, ejusquè aliqua portio omnibus cedat, cumquè his irrogantur, non irrogantur, quà civibus, cùm nemo ideò supplicio

afficiatur, quia civis, ſed quia facinoroſus, nemoquè ut ſic in Republicâ viveret impunis, (ut enim civis ſit, qui punitur, non tamen ideò punitur, quia eſt civis, ſed quia hoc aut illud deliquit, quod puniri Reipublicæ intereſt,) neque cùm irrogantur, ſecundum dignitatem ſeu perſonam & locum irrogantur, quem inter cives quis tenet, qui ut multis de cauſis cuiquam contingere poteſt, ita etiam merita hîc variant, quia ſecùs, pro eodem delicto, nobilis & liber acriùs, ignobilis & ſervus mitiùs puniendus eſſet, ſicutquè onera opulentorum ſunt majora, ita eorundem pœnæ majores eſſe deberent, contra juris regulam. Quid multis? Ut inflictio pœnarum, vindicatioquè injuriæ factæ, ad diſtributivam juſtitiam pertineat ratione irrogationis & executionis, ipſa tamen adæquatio, culpam inter & pœnam, eſt actus juſtitiæ commutativæ.

II. *Objectum Externum Poſitivum Iuſtitiæ Diſtributivæ ſunt Res Communes, ad univerſam Rempublicam pertinentes*, ceu ſunt, Pecuniæ & Reditus Publici, Honores, Magiſtratus, Dignitates, Victus Publicus, Sepultura Publica, duobus verbis, *Munera & Onera Publica. Munera Publica.* Quoto enim dignitatis gradu, v g, capitaneus eſt ſuperior locumtenente, toto etiam gradu præda capitaneo aſſignata ſuperare debet prædam locumtenenti attributam. *Onera Publica.* Quotocumque divitiarum gradu ſuperior eſt mercator-

tor ſartore, toto etiam onera publica illius, ampliora eſſe convenit hujus oneribus, Titii, v g, poſſidentis poſſeſſionem mille florenorum, Sempronii, poſſidentis poſſeſſionem centum florenorum, illo in cenſu annuo pendente tres florenos, hoc tres aſſes.

12. *Officiũ Iuſtitiæ Diſtributivæ circa ſuum Objectum eſt, Tenere Medium inter Nimium & Parum, ſecundum Proportionem Geometricam,* ſpectatâ dignitate perſonarum, inter quas fit diſtributio, hoc eſt, loco, quem inter cives quęque earum tenet, & precio rerum diſtribuendarum, non tam perſonas perſonis, aut res rebus, æquando, quàm perſonarum & rerũ convenientiam efficiendo, cũ certo quodã perſonarum ac rerum, ſi fas ita loqui, coäſpectu & correſpectu, ut ſi arma Neſtoris, habentia ſe ut 6, in præmium cedant Ajaci, habenti ſe ut 4, arma verò Achillis, habentia ſe ut 12, in præmium Ulyſſi, habenti ſe ut 8, quæ diſtributiæ ter juſta, tum quia, ut Ajax ſe habet ad Ulyſſem, ita ſe habent arma Neſtoris ad arma Achillis, & Ajax cum armis Neſtoris ad Ulyſſem cum armis Achillis, utquè idem Ajax ſe habet ad arma Neſtoris, ita Ulyſſes ſe habet ad arma Achillis, & Ajax ac Ulyſſes ad arma Neſtores & Achillis incluſivè. Eſt autẽ Proportio Geometrica, (ut hoc obiter addã, immò verò nõ obiter,) quãdo ita numeri progrediũtur, ut, quoties primus eorũ cõtinetur in ſecũdo, toties tertius contineatur in quarto, & ſic deinceps,

qualis proportio in his numeris, 2. 4. 6. 12. Sicut enim se habent 2. ad 4, ita se habent 6 ad 12, & ut binarius bis continetur in quaternario, ita senarius bis in duadenario. Ut ita proportio Geometrica observet rationem qualitatis, hoc est, rationis comparationem, spectetquè similitudinem, non æqualitatem, consuetudine mensæ Romanæ.

13. *Sic descripta Iustitia Distributiva, quà Objecto, & quà Officio circa illud Objectum, differt ne differt à Iustitiâ Commutativâ.* I, Functionibus sive actionibus. Etenim justitiæ distributivæ proprium munus, distribuere bona & mala inter eos, qui in civili societate versantur, pro dignitate conditione & merito personarum, v. g. pecunias, præmia, honores, horumquè contraria, ignominias, pœnas, supplicia, justitiæ verò commutativæ munus, in rerum permutatione servare æqualitatem, II. Subjecto agente. Etenim justitia distributiva propriè pertinet ad eos, qui personam publicam gerunt, ut sunt magistratus, vel veri, vel similitudinarii, justitia verò commutativa ad privatos homines, qui inter se contrahunt III. Objecto, sive materiâ circa quam. Etenim justitia distributiva personarum rationem habet, distribuitquè bona & mala, præmia & onera, pro harum dignitate & conditione, justitia verò commutativa id operam dat, ut in commutationibus,

pactis,

pactis, rebusquè contrahendis, quisque suum consequatur, ita ut commutatione factâ utraque pars æqualem portionem ac proportionem habeat. IV. Objectorum formalibus, hoc est, modis tendendi in objectum. Etenim justitia distributiva tendit in rem quodammodò debitam, cùm non semper civi tantum detur præmii, quantum suâ dignitate meretur, justitia verò commutativa tendit in rem tanquam absolutè debitam. V. Formâ seu mediocritate, tam absolutâ, quàm relatâ. Etenim justitia distributiva servat medium rationis, proportionemquè geometricam, respectu personarum, justitia verò commutativa medium rei, proportionemquè arithmeticam, respectu precii rerum, quæ permutantur.

14. *Extremum Iustitiæ Distributivæ est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitia Prosopoleptica,* vitium quæ morale, quo præmia & pœnæ inæqualiter, hoc est, æqualia inæqualibus, aut æqualibus inæqualia, distribuuntur, quando solvendum est debitum, tantum, v g, ubi præmiorum res agitur, datur Ajaci, quantum Achilli, Achilli, quantum Ajaci, ubi verò pœnarum res agitur, non tantum Sejo furi diviti, eum absolvendo, quantum Titio furi pauperi, eum suspendendo, quo jure, quâvè injuriâ. Ut ita committatur prosopolepsia, sive acceptio personarum, & injustitia prosopoleptica, (accepto nomine personæ,

non

non in prædicamento substantiæ, pro individuo per se subsistente intelligente atque incommunicabili, sed in prædicamento accidentis, pro qualitate personæ, sive conditione & statu, non histrionico & comico tamen, hoc est, ficto, sed vero,) tam in præmiorum collatione, si circumstantiæ, quæ sunt extra finem illum, ob quem conferuntur honores & præmia, respiciantur, ut si in honore doctoræ conferendo spectetur ætas personæ, cognatio, amicitia, non eruditio, officiorumque publicorũ distributione, ut si oculus flectatur in conditionem officio nihil profuturam, v g, in opes, staturam, formam, quàm in pœnarum irrogatione, cujus finis, ex asse satisfacere parti læsæ, hoc est, actori, non attentis divitiis familiâ potentiâ rei, & si qua sunt generis ejusdem, quod ubi fit, justitiæ distributivæ lanx non est in æquilibrio, sed disquilibrio.

CAPUT XLIV.

De Iustitiâ Commutativâ, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Commutativâ.

§ 1. *Iustitia Commutativa sive Correctiva, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, hoc nominis accepit à commutando & corrigendo, ab illo materialiter, eò quòd verseur circa commutationes & contractus, mutuasque obligationes moderetur, ab hoc for-

formaliter, eò quòd, si quid in rebus contra hendis peccetur, id corrigat, quò fraus omnis absit, damnumquè sarciatur, unâ parte tantum dante secundum ęqualem compensationem, quantum ab alterâ gestit accipere, ne, si altera usque minus acciperet in commutatione, ad paupertatem redigeretur, commutatioquè minùs foret diuturna: *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic est Virtus; (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Contractibus, secundum Proportionem Arithmeticam.

2. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hac constat Genere, & Differentiâ Specificâ.*

3. *Genus Iustitia Commutativa est Virtus Moralis:* Quâ de re? Quia enim & ipsa suo loco est habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine., bonumquè facienshabētem, opusquè ejus rectum & perfectum dans, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis.

4. *Differentia Specifica Iustitia Commutativa sumitur ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum.*

5. *Objectum Iustitia Commutativa & ipsum, vel Internum est, vel Externum,* ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale atque adæquatum conflatur.

6. Ob-

6. *Objectum Internum Iustitiæ Commutativæ, non tam iterum sunt Affectus, quàm Actiones Internæ inde prodeuntes*, uti notatum capite præcedenti, præquè declaratum præquè cedenti, quæ vide.

7. *Objectum Externum Iustitiæ Commutativæ universè, vel Negativum est, vel Positivum.*

8. *Objectum Externum Negativum Iustitiæ Commutativæ sunt Contractus Publici, & Pœnæ Publicæ. Contractus Publici*, tam quoad formam, cùm sint actiones publicæ, non privatæ, quàm materiam, quæ & ipsa publica, hactenus fori distributivi; non commutativi, cui subjiciuntur tantùm res, in quas juris quidquam alicui est, alio quàm publico nomine, ut si Respublica quid emat à privato, quo in casu illa cogitur solvere precium juxta proportionem arithmeticam, ęquè atque quilibet privatus, quoniam ęquè contrahit ac privatus, uti &, si solvat stipendia pro præstito servitio iis, quorum operam peculiariter conduxit, quoniam omne salarium compensatio quædam est operæ, quam ex contractu quis præstat, cùm distributio publicorum bonorum, nec ex contractu fiat, nec ad quidquam compensandum, verùm ideò, ut ejus, quod jam antea est communitatis totius, singuli partem possideant. Dico, alio quàm publicò nomine, ut si Respublica contrahat fœdera, vendat regalia vetera, vendat privilegia atq; officia

officia publica, reditus publicos, quæ venditio actus justitiæ distributivæ esse videtur, non commutativæ, cum præcisione, sive in rigore. *Pœna hinc Publica*, centesimatio, vicesimatio, decimatio, exauroratio integræ legionis, pœna universitatis in qualitate universitatis, ceu sunt, multa, publicatio bonorum, privilegiorum ademtio, æquatio murorum, reductio & redactio urbis in agrum pascuum, supplicium sumtum vel de universis, vel de solis capitibus, hoc est, ducibus & ductoribus, qui actus justitiæ distributivæ, si minùs ratione adæquationis, spectantis æqualitatem culpam inter & pœnam, quæ fori commutativi, minimùm ratione executionis, quæ fori distributivi.

9. *Objectum Externum Positivum Iustitiæ Commutativæ sunt Res Privatorum, sive Contractus, qui inter Privatos ineuntur,* vocabulo contractus sumto, non strictè, pro unâ contractuum specie, obligatione putà ultrò citroquè factâ, ita ut utrinque nascatur obligatio, ceu sunt, emtio & venditio, conductio & locatio, quomodo qui vendit, ex eo quòd vendidit, obligatus est ut tradat, sicut & qui locat, ex eo, quòd locavit, altero obligato, ut precium persolvat, id quod in aliis contractibus non ita fit, v. g. in mutuo, in quo petens centum coronatos mutuò, est obligatus, ut reddat, mutuò dans non

item,

item, stipulationequè, in quo contractu, promittens centum coronatos, est obligatus ad persolvendum, alter non item, non, inquam, strictè pro obligatione ultrò citroquè facti, permutationevè, cùm res pro re datur, equus pro bove, commerciovè, inter v. g. furem, & eum, cui quid furto aufertur, raptorem, & cui quid eripitur, inter quos nemo facilè dixerit intercedere commercium, nisi latiùs vocabulum commercii, quàm vulgò, accipiat, sed latè & laxè, pro quâlibet obligatione, sive ex contractu nascatur, sive ex Quasi-Contractu, sive ex Maleficio, sive ex Quasi-Maleficio, quò & JurisConsultos Contractus vocabulum videas interdum porrigere, cùm contrahere fraudem, contrahere delictum, dicunt.

10. *Ut ita Contractus, circa quos vertitur & versatur Iustitia Commutativa, tanquam circa Objectũ Externum Positivũ, universè sint Contractus Voluntarii, vel Quasi-Voluntarii, & Involuntarii sive Inviti, vel Quasi-Involuntarii, sive Quasi-Inviti.*

11. *Contractus Voluntarii* dicuntur obligationes ex contractu, cùm utrinque est animus contrahendi, resquè aliqua ex consensu utriusque partis tranfertur in alienam personam, cum ratione debiti. Dico, cum ratione debiti. Si enim omninò transferatur, non modò quoad usum, sed

etiam

etiam quoad dominium, absque ullâ ſpe compenſationis, actio liberalitatis erit, non juſtitiæ commutativæ. *Fiuntquè, vel Re, vel Verbis, vel Litteris, vel Conſenſu. Contractus re* perficiuntur, qui non conſiſtunt in conventione ſolâ, ſed requirunt rei traditionem, ceu ſunt, Mutuum, quò referenda eſt Uſura, Commodatum, Depoſitum, Pignus. *Contractus verbis* perſiciuntur, qui requirunt certam verborum formulam, ceu ſunt, Stipulatio, Promiſſio, Fidejuſſio. *Contractus Litteris ſive Scripturâ* perficiuntur, qui ante ſcripturam rati non habentur, nec niſi confecto à notario publico inſtrumento, ceu ſunt Nomina. *Contractus Conſenſu* perficiuntur, qui non requirunt certam verborum formulam, & in quibus ſufficit conſenſus, quovis modo exteriùs utrinque explicatus, ceu ſunt, Emtio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Mandatum.

12. *Contractus Quaſi-Voluntarii* dicuntur obligationes ex quaſi-contractu, quales, qui naſcuntur ex Negociorum Geſtione, Rei communione, Tutelâ, Aditione Hereditatis, Solutione Indebiti.

13. *Contractus Involuntarii ſive Inviti* dicuntur, obligationes ex maleficio, fiuntquè unâ parte invitâ, non ratione ejus, qui eos ſuſcipit, ſeu agentis, qui ſciens & volens agit, ſed

ratione

ratione ejus, in quem suscipiuntur, seu patientis, cui vel ignoranti vel nolenti fit injuria. Suntquè, vel Clandestini, vel Violenti. Contractus Involuntarii Clandestini dicuntur, qui per dolum nolentibus inferuntur, ceu sunt, Furtum, Adulterium, Veneficium, Lenocinium, Servi Alieni Corruptio, Cędes Dolosa, Falsum Testimonium. Contractus Involuntarii Violenti dicuntur,qui per vim nolentibus inferuntur, ceu sunt, Verbera, Vincula, Cædes, Rapina, Mutilatio Corporis, Convicium, Contumelia.

14. *Contractus Quasi-Involuntarii sive Quasi-Inviti* dicuntur obligationes ex quasimaleficio, quales, qui nascuntur ex Venæ Sectione,& Medicamenti Exhibitione,Malâ magis quàm Malitiosâ, adeoquè per Vitium Artis potiùs quàm Moris, Domesticâ hinc Dejectione vel Effusione, per Incuriam magis quàm Injuriam &c.

15. *Officium Iustitiæ Commutativæ circa suum Objectum est, Tenere Medium inter Nimium & Parum, tam in Contractibus Voluntariis, quàm in Involuntariis sive Invitis, secundum Proportionem Arithmeticam, nullo habito personarum respectu per se,ut quæ damni tantùm differentiam intueatur, personis verò utatur ut æqualibus.*

16. *In Contractibus Voluntariis.* Quòd si enim v. g. arma, vinum, frumentum, vestes, & aliæ res, vendantur, justitia commutativa mercis

mercis & precii summam efficit æqualitatem secundum proportionem arithmeticam, quicunque tandem sint contrahentes, consul an lictor, dives an pauper, amicus an inimicus, cognatus an alienus, civis an hospes.

17. *In Contractibus hinc Involuntariis sive Invitis.* Quòd si enim, (ut maneam in hoc circo & circulo,) homo aliâs probus, si non moraliter, saltem civiliter, defraudet bipedum nequissimum, non minùs nec minor hæc fraus & injuria, quàm si pessimus defraudaret optimum, ideoquè ex eo res pœnâ digna, non minùs punienda in istâ personâ, quàm in alterâ. Si enim personæ dignitas non vetat, quòminùs sit delictum, quod delictum aliâs per se est, nec eadem impedire potest, ne pœnâ sit dignum, quam aliâs commeretur, servatâ proportione arithematicâ culpam inter & pœnam. Est autem Proportio Arithmetica, (ut hoc obiter addam, immò non obiter,) cùm numeri ita progrediuntur, ut æqualis inter omnes sit distantia, ita, ut quantum primum superat secundus, tantum tertium superet quartus, qualis proportio in his numeris, 2. 4. 6. 8. Quantum enim distant 2 à 4, tantundem absunt 6 ab 8, & ut binarius à quaternario superatur duabus unitatibus, ita senarius ab octonario. Ut ita proportio Arithmetica observet rationem quantitatis, hoc est, numeri intervallum, spectetquè æqualitatem, facta factis, res rebus, sine personarum delectu

delectu exæquans, consuetudine mensæ Homericæ.

18. *Sic descripta Iustitia Commutativa, quà Objecto, & quà Officio circa illud Objectum, differt à Talione Absolutâ, ut qua diversa sit ab omni Iustitiâ, quà Distributivâ, quà Commutativâ. A Iustitiâ Distributivâ diversa & Talio Absoluta*, quia in eâ habetur ratio personarum, secundum proportionalitatem rerum ad personas, ut, quò quisque, qui læditur, est major dignitate aut meritis, eò sit is, qui lædit, graviùs puniendus, graviùs v. g. is, qui principem aut magistratum, patrem aut matrem, verberavit, quàm qui servum, majorique contrà præmio afficiendus, qui v. g. patriam servavit, cui servatori quæ par gratia referri potest à servatâ patriâ; quid contrà pativè aut recipere potest ab eâdem, secundum legem talionis absolutę? Nihil in rigore, ut cujus talionis tenor sit, ut idem fiat in te, & tibi, quod tute feceris in alio, & alii. *A Iustitiâ Commutativâ quoq; diversa est Talio Absoluta*, sive, simplex retributio ejusdem pro eodem, citra omnem proportionem, quia neque locum habet in Contractibus Voluntariis, neque in Contractibus Invitis. Non in contractibus voluntariis, quoniam regionum & studiorum diversitas non permittit, ut eadem reddantur pro iisdem, v. g. vinum ejusdem generis pro vino ejusdem generis, & universè res pro re, eò quòd res alterius possit esse

major,

major, quàm tua, quia, inquam, hoc ferre nequit, vel agrorum & regionum dissimilitudo, cùm non omnis ferat omnia tellus, illa vitibus magis conveniat, hîc benè farra vireant, segetes hîc, illic veniant feliciùs uvæ, arborei fœtus alibi, vel diversa hominum conditio & necessitas. Quo enim, sodes, modo, aut jure, cùm sutor ocreas alicui aut calceos dederit, potest is ei dare vicissim ocreas aut calceos, cùm non sit sutor, siquè faber ædificaverit medico domum, quomodo is vicissim ei ædificabit domum? Sed nec in Contractibus Invitis. I. Quia inæqualitas personarum inducit inæqualitatem in delictis ejusdem generis, nec permittit, ut idem quis specie patiatur, quod fecit, recipiendo æqualia, cùm fieri possit, ut quis percusserit hominem in magistratu constitutum, quo in casu non satis erit, si repercutiatur percussor, verùm pœnas ille mihi luet, & plus patietur, fieri quin potest, ut in magistratu constitutus percusserit aliquem ex privatis, qui propterea non ocyùs debet repercuti, pativè eadem, ob geminam rationem, sicut nec, si vel liber servum percusserit, dominusvè famulo dederit alapam, oculumvè quis alteri effoderit, quibus in casibus non datur actio ad paria, ob minorem passionem, majoremvè actionem ejusdem speciei. II. Quia multum interest, spontè quis, an per ignorantiam, malitiosè an incautus, percusserit alium, quibus in casibus si

talio absoluta haberet locum, tunc quod per imprudentiam vel incuriam est factum, retaliari deberet per easdem. Quonam igitur modo imprudentem vel incautum poterit imitari, qui in exequendâ talione, non licentiæ jus habet, nedum decentiæ, sed imprudentiæ & negligentiæ, cùm ictus fortuitus & incautus non cadant sub ejusdem talionis similitudinem cum consulto & cauto. Taceo, quòd acerba atque inhumana talionis sic futura sit executio. Etenim, cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi iterum rumpere membrum per talionem absolutam quis velit, quæro primùm, an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium? Deinde, si quid plus aliterve fuerit commissum, annon res fiet ridiculæ atrocitatis, & annon contraria orietur inde actio mutuæ talionis, adolescente sub manu infinitâ quâdam reciprocatione talionum? III. Quia talionis ea est natura, putà absolutæ, ut quibusdam rebus penitùs adhiberi nequeat, saltem nequeat ad vivum, exactè, atque in rigore, cùm multa sint delictorum genera, quæ sine turpitudine retaliari haud possunt, v. g. adulterium, furtum, perjurium. Unde concludendo concludo, fide dictorum, utut talio jus sit, inquè rebus contrahendis suo loco sit necessaria, non tamen absolutè simpliciter & verè jus esse.

19. *Non item, similiterve differt eadem Justitiâ Talione Analogicâ sive Proportionali,* red-

reddente non idem unicuique, sed aliquid, quod proportione ei respondeat, v g, pro institutione æquipollens precium, pro colaphi inflictione æquivalentem multam, quæ talio ipsissima justitia commutativa, locum habens, tum in Contractibus Voluntariis, tum in Contractibus Invitis. In Contractibus Voluntariis, sive Permutatione Rerum, quæ, si Æquales, tunc simplex ἀντίδοσις per se justa, si Inæquales, quà quantitate, quà qualitate, hoc est, numero magnitudine bonitate, uti ferè fit, quia Respublica non consistit ex iisdem, verùm dissimilibus & specie differentibus artibus artificiis & artificibus, à quibus res quoque fiunt specie differentes, ac proindè inæquales, tum verò, quò eadem sit quantitas, & qualitas, eæ æquandæ, hoc est, ad medium seu æqualitatem revocandæ, absque quâ nulla datur permutatio justa, hoc ipsum quò commodùm fiat, res illas inæquales comparabiles ac commensurabiles esse convenit inter se, si non οὐσίᾳ, naturâ atque essentiâ, quo res animatæ præstant inanimatis modo, musculus v g soli, saltem usu, ad quam rem opus Mensurâ, eâquè, vel Naturali, vel Artificiali.

20. *Mensura Naturalis Permutationis est Indigentia*, quanti res quælibet sit commutanda, definiens naturaliter. Appello mensuram naturalem, quia est orta à naturâ, necessitatis antecedentis explendæ causâ, quoniam nudi & rerum omnium egeni sive indigi na-

ſcimur, eſtquè primò medium, aut principium veriùs, rerum permutandarum, inconſtantiorquè in comparatione ad nummum, eò quòd rerum precia ſint incertiſſima. At cur ita neceſſaria hæc menſura? Quia enim absque hâc nulla futura foret permutatio. Quòd ſi enim homines nihil indigerent, aut non ſimiliter, futurum eſſet, ut ob defectum mutuæ indigentiæ, ſi ego non indigerem re tuâ, cùm tu egeas meâ, ſi, aut nihil, aut non ſimiliter, egerem, futurum, inquam, eſſet, ut nulla inter me & te, te & me, daretur permutatiò, cùm tamen civitates ideò primitùs ſint conſtitutæ, ut, quod mihi deeſt, ab altero ſuppeditetur, & à me iterum, quod illi deeſt.

22. *Menſura Artificialis Permutationis eſt Nummus*, res aptè adæquans, atque ad parilitatem traducens artificialiter. Appello menſuram artificialem, quia hominum ingenio eſt excogitata, lege, inquam, pacto, conventione, inſtituto, neceſſitatis conſequentis explendæ causâ, ſecundariò atque ſucceſſivè ex eo medium rerum permutandarum, rebus contrahendis per ſe inæqualibus æqualitatem inducens, non ut mediator tamen, qui judex, verùm ut communis menſura, conſtantior priori in comparatione, eò quòd hominum pacto valeat, inquè horum, non indigentiæ, ſit poteſtate. At cur ita neceſſaria etiam hæc menſura, ut non in primis, ſaltem in ſecun-

dis,

dis, cur? Quia enim non ſemper fieri poteſt, ut, cùm abs te aliquid conſequi volo, ſemper habeam, quo tu ſimiliter indigeas, ne ergò ea res impedimento foret permutationibus, nummus communi quodam conſenſu ac conventione poſtliminiò ſuffectus eſt in locum indigentiæ, ita ut, ſi mihi opus eſſet aliquâ re tuâ, neque ullam rem haberem, quâ tibi viciſſim opus eſſet, non tamen iccircò oporteret contractum intermitti, ſed poſſem tibi dare nummum, tanquam ὑπάλλαγμα ἢ ἀντάλλαγμα τῆς χρείας, vicarium neceſſitatis atque indigentiæ, ſponſorem, inquam, & fidejuſſorem, ut certò ſcias, quâcunque tandem re, aut nunc, aut poſtea, egueris, te eam, vel à me, vel ab alio, dato hoc tertio interveniente, recepturum. Ut ita nũmi uſus ſit, quò ſuccurrat permutationibus, quoties nõ eſt mutua & æqualis indigentia. Si enim utrinque res venalis datur neceſſaria utrique, non ita, ſaltem non æquè, opus eſt nummo.

23. Quòd ſi partibus contrahentibus hîc non conveniat de æqualitate ſervandâ in contractibus voluntariis, veniendum ad judicem, quò quisque jus ſuum, hoc eſt, reſtitutionem medii, conſequatur, qui judex, intellectâ damni & lucri differentiâ, dimidio lucri damno appoſito, tanquam intermedius inter illum, qui habet plus, & illum, qui habet minus, faciet æqualitatem, vel auferendo ab illo, qui habet plus, & ad-

dendo pro ratâ illi, qui habet minus, ad eum modum, quo quis lineam sex pedum, æquare volens lineæ quatuor pedum, quia discrimen est duorum pedum, unum majori lineæ detractum breviori apponit, differentiamquè componit, vel uni detrahendo solùm & simpliciter, quantum deest alteri, atque hunc processum, non in contractibus voluntariis tantùm observat judex, verùm etiam in contractibus involuntariis sive invitis, dum, quò ad æqualitatem perveniatur, vel ei, qui lucratus est, plusvè habet justo, demit quantum satis est, additquè alteri, qui damnum accepit, justovè minus habet, vel demit simpliciter uni tantùm, quantum is demsit alteri, v.g. homicidæ vitam. Unde judex ab hoc mediationis sive æquationis officio δικαστής Græcis dicitur, quasi διχαστής, quòd rem quamlibet in medietates, sive partes æquales, fecer, item μεσίδικος καὶ μεσίδιος, quasi διὰ μέσον τῆς δίκης ἰών, per medium juris transiens, ipsumquè quin δίκαιον audit inde quasi δίχαιον, verso χ in κ, à Græcanico δίχα, quod valet duatim sive divisim, quasi bifariàm sectum, vel quasi δίαιον, per omnia means, interposito κ euphoniæ gratiâ, quòd cuiquè tribuat, quod suum est.

24. *Extremum Iustitiæ Commutativæ est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitia Commutativa*, vitium quæ morale, æqualitatem in-

con-

contractibus violans, dum alterum ferre damnum, alterum verò facere lucrum, patitur, quo jure, quâvè injuriâ, alterum, inquam, habere plus de bonis, & minus de malis, alterum contrà plus de malis, & minus de bonis, utrumque injustè, sive quis sibi plus bonorum externorum experat, quàm convenit, sive minus malorum externorum, v. g. paupertatis, tributorum, & similium, quàm convenit, licet interim communiter in scholâ morali injustus dicatur appetens pluris, non minoris, eò quòd revertatur penè in idem, cùm quis dicitur appetens plus bonorum, & minus malorum, quia appetens minus malorum videtur esse plus boni appetens, cùm minus malum habeat aliquo modo rationem boni, in quantum est eligibile in comparatione, si de proverbiorum, minima de malis, melius uni malo obnoxium esse, quàm duobus: Unde fit, ut minùs appetens mali, sit plus appetens boni, ideoquè pluris cupidus, quàm æquum est, quare & iniquus, etiam quin transgressor legum, sive sit plus appetens, sive minus appetens, iniquus particulariter, transgressor legum universaliter, eò quòd iniquitas illa se extendat ad omne genus improbitatis, injustitiamquè omnem comprehendat, omni plus appetente existente iniquo & transgressore legum, non contrà omni iniquo & transgressore legum plus appetente, cùm possint esse aliæ spe-

cies improbitatis & transgressionis legum; quæ non sunt injustitia illa particularis, quę est pars vitii, & pars vitii totius, uti doctè disputat Donatus Acciajolus ad Aristotelem lib. 5. Eth Nic. cap. 1.

CAPUT XLV.

De Virtute Heroicâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Feritate Morali sive Voluntariâ, hinc Ignaviâ Stupendâ sive Immani.

§ 1. *Actum adhuc dum à nobis benè multis & multùm, de duobus primis Gradibus Moralibus, Infimo, sive Incipientium, & Medio, sive Proficientium, quorum ille Semivirtus & Semivitium audit in auditorio morali, hic Virtus & Vitium Commune: Restat, ut de tertio Gradu utriusque, putà Supremo, qui Perfectorum, Virtusquè Heroica, Vitiumvè Heroicum audit, in eodem auditorio morali, aliquid commentemur.*

2. *Virtus Heroica, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes,* sic denominatur, vel ratione subjecti, hoc est, hominis herois, quem faciunt hæc tria requisita, sive hæ tres partes essentiales, extraordinarius, putà, impetus ad magni momenti rem incipiendam, extraordinaria hinc constantia, ad eam rem promovendam atq; explicandam, extraordinaria deniq; felicitas, ad eam ipsam rem perficiendam, atq; ad umbilicum deducendam, vel ratione adjuncti, putà ἀπὸ τῦ ἔρωτος, ab amore singulari ultimi

timi finis, ad quem altiùs elevant mentem suā heroës, quàm fieri solet ab hominibus vulgaribus, tanquam orti ex mutuo amoreDeorum & Hominum, quos, siquidem virtutibus excelluissent intellectualibus, Dei immortalis ac fœminæ mortalis filios ferebat antiquitas, sin moralibus, Deæ immortalis, ac viri mortalis, vel ἀπὸ τῆς ἔρας, à terrâ, quòd post magnas terræ eluviones à diis supercœlestibus ex terrà prodiissent, quasi terrestres dii, minimè omnium terreni interim, vel ἀπὸ τῆς ἥρας, à Junone, quasi ἀηρῷοι, Junonis & aëris filii, medii Deos inter & Homines; quemadmodum aër medius cœlum inter & terram, verâ re homines, qui supra communem aliorum sortem & cōditionem elevati actiones inimitabiles producunt, mirandas potiùs, quàm imitandas. Virtus divina appellatur aliter, non quasi Dei sit, cùm ille habeat omnem perfectionem supereminenti modo, sed quòd faciat homines similes quodammodò Deo, sicut opposita feritas eosdem similes reddit feris, non quasi ferarum sit, cùm non valeant ratione, aut electione, & neque vitia habeant, neque virtutes, sed quòd efficiat homines quoquo modo magis feris similes, quàm cætera vitia, quæ reddunt homines quidem vitiosos, at non feras, hoc est, vitam inferiorem humanâ, similemquè vitæ ferarum, viventes.

3. *Sin Rem sive Realitatem ejus spectes*, est

Virtus (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Objectis & Actionibus aliarum Virtutum Moralium, cum Gradu quodam Eminentiæ.

4. Juvat *ἀναλύειν*: *Definitio Constat Genere, & Differentiâ, at non Specificâ tamen.*

5. *Genus Virtutis Heroicæ est Virtus Moralis*, cùm & ipsa sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatē inter duo extrema pro medio, honestatem, verò pro fine, subjectumquè suum, in quo est, benè affectum reddens, opusquè ejus rectum ac perfectū dans, quod proprium virtutis moralis, ubi autem requisita atq; ingredientia virtutis moralis, ibi utique ipsa virtus moralis: *Verùm cum gradu eminētiæ scilicet.* Unde tot ejus species constitui possunt, quot sunt virtutes morales communes, quia in omnibus tenet hic gradus, licet interim potissimùm locum habeat in illis virtutibus communibus, in quibus excellere est difficillimum, v g, in Patientiâ Jobi, continentiâ Josephi, CastitateLucretię, Fortitudine Alexandri, Clementiâ Julii Cęsaris, Justitiâ Minois, neque in his tantùm, verùm etiam in Virtutibus Intellectualibus, v g. Sapientiâ Salomonis, Prudentiâ Socratis, Arte Aesculapii, ipsis quin virtutibus Spiritualibus, v g. Fide Abrahami, verùm ita, ut maximè propriè interim tribuatur virtutibus moralibus. Cùm enim feritas virtuti heroicę opposita

sit

sit in moribus, ad eosdem & virtus opposita erit referenda. Quid, quòd eos, qui intellectualibus virtutibus excellunt supra vulgus, divinos potiùs quàm heroas appellemus, divinum v g Platonem, Divum Thomam.

6. *Differentia Virtutis Heroicæ, at non Specifica,* (cùm nihil hîc occurrat discriminis, nisi secundum magis & minus, adeoquè quoad accidentia tantùm, essentiam haud mutantia,) *illa verò sumitur perindè ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum.*

7. *Objectum Virtutis Heroicæ, & ipsum, sicut aliarum Virtutum Moralium Communium, vel Internum est, vel Externum,* ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale atque adæquatum conflatur.

8. *Objectum Internum Virtutis Heroicæ, sicut cæterarum virtutum moralium communium, sunt Affectus,* hoc cum discrimine interim, ut cùm in virtute communi omnia sint tepidiora & lãguidiora, in virtute heroicâ contrà omnia sint vividiora, & ferfidiora sive ferventiora, eò quòd impetus heroum sint heroici, hoc est, magni, ut qui virtutis communis mediocritatem excedant, quò fit, ut, cùm delinquunt, modum communem potenter transeant, cumquè circa magna occupentur, magnis sæpè excidant ausis.

9. *Objectum Externum Virtutis Heroicæ universè, & ipsum, vel Negativum est, vel Positivum.*

10. *Objectum Externum Negativum. Virtutis Heroicæ sunt Objecta Virtutum Moralium Communia, spectata communiter.* Dico, spectata communiter, quia circa idem quidem specie objectum occupatur utraque virtus, tam communis, quàm heroica, at non eâdem, vel quantitate, vel qualitate, sed actionibus intensioribus hæc, remissioribus illa. Ita, v g, idem specie fortitudo communis & heroica habet objectum, eademquè utriusque est definitio essentialis, utraque est moderatio formidinis & confidentiæ, appetitui irascibili competit utraque, honestas quin actiones intendit utraque, nihil hîc differentiæ aut discriminis, nisi secundum majus & minus, magis & minùs, id quod sufficit.

11. *Objectum Externum Positivum Virtutis Heroicæ sunt eadem Objecta Virtutum* Mora*lium Communium, spectata cum Gradu Eminentiæ; & Ratione Magnitudinis Objecti pariter, & Operationis circa illud. Ratione Magnitudinis Objecti*, quòd virtutis communis commune, sine gradu, virtutis heroicæ idem cum gradu, nec hoc quovis, sed heroico. Ecquale enim objectum virtutis heroicæ, annon magnum cujusque virtutis, supra communem humanæ naturæ cursum? *Ratione Magnitudinis Operationis*, eò quòd illa occupetur circa actiones humanas communes atque ordinarias, hæc circa eminentiores,

tiores, quæ propter raritatem atq; excellentiam divinæ appellari solent, ut & ingenia divina, usitatum quæ excedunt modum, Ecquales enim, cedò, sunt operationes heroum, annõ intensioribus actionibus omnia agunt? Ob summam, credo, animi magnitudinem, facultatemquè res maximas intrepidè aggrediendi, constanter sustinendi, feliciter exequendi, quæ est in eis, quas operationes ideò non ad universales Dei actiones: sed nec ad singulares, at benè ad speciales, refert Wendelinus, motus hoc argumento, quòd, si universali tantùm actione, influxuvè indifferente, has excitaret Deus, jam non plus ad eas collaturus sit, quàm ad gregariorum militum fortitudinem, vel aliam quamcunque virtutem communem.

12. *Officium Virtutis Heroica circa suum Objectum est, Tenere Medium in his Operationibus inter Nimium & Parum.* Cùm enim mediocritas omnis virtutis moralis sit forma, ab heroicâ virtute ea abesse nequit, ut quæ sit & ipsa virtus, verùm præstantior communi, ex eoquè præstantiores edens operationes, intra modum tamen. Est quippè etiam hîc

--- *Modus in rebus, sunt certi denique fines,*
Quos ultra citraquè nequit consistere rectum.

13. *Sic descripta Virtus Heroica, quà objecto, eoquè tam Negativo, quàm Positivo, quà Adjuncto Officio circa illud Objectum, differt, & à Virtutibus Moralibus Communibus in genere, & à Ma-*

a Magnificentiâ ac Magnanimitate in specie.

14. *A Virtutibus Moralibus Communibus in genere*, gradu perfectionis, putà, quòd virtus moralis communis sit perfecta in suo genere, & suà mediocritate, infra virtutem heroicam consistente, virtus verò heroica perfecta absolutè, ad eum modum, quo equus perfectum animal ratione sui, licet interim non sit perfectum animal ratione hominis, quoquè adeò tepor differt modo à fervore, qui collatus cum summo frigore, est calor, at collatus cum summo calore, est frigus.

15. *A Magnificentiâ & Magnanimitate in specie*, quę & ipsę in aliquâ magnitudine quidem sunt positæ, at non in magnitudine heroicâ, cùm illa magnitudo planè sit necessaria ad constituendam essentiam virtutis in iis personis, quibus magnificentia aut magnanimitas competit, quæ tum demùm heroicæ audiunt, quando gradui communi sive populari additur gradus heroicus, differens in eo à communi, quòd abesse possit à quâlibet virtute, manente tamen naturâ atque essentiâ ejus, v. g. à justitiâ communi, manente eâ, quod non item tenet in magnificentiâ & magnanimitate, quibus sublatis remanet liberalitas & modestia, non magnificentia & magnanimitas communis.

16. *Extrema virtutis Heroicæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu opponitur ei Feritas Moralis sive Voluntaria,*

in

in defectu Ignavia Stupenda sive Immanis, non ut vitia simplicia tamen utraque. Verà quippè re virtus heroica non mediat inter duo vitia, sed duas immanitates, v. g. fortitudo heroica audaciam inter immanem, ut si quis ruptis scalis è pinnaculis murorum in medios hostium globos desiliat, & timiditatem immanem, ut si quis murem aut pulicis morsum timeat. Sunt, qui in excessu & defectu simul huic opponant feritatem, eò quòd & illi ferarum sint similes, qui ad omnem veri & boni honesti sensum obstupescunt, quasiquè obbrutescunt, verùm, si penitiùs rem introspexeris, deprehendes, feritatis appellationem excessui magis competere, quàm defectui, qui ideò exprimendus nominatim.

17. *Feritas Moralis sive Voluntaria* est, non tam vitium morale, quàm immanitas, ac pravitas vitio communi major, quâ quis excusso rectæ rationis jugo, omniquè tantùm non humanitate abjectâ, horrenda & immanissima quæque, cumquè naturâ humanâ pugnantia, patrat, non ex infirmitate animi vel corporis, cum Ajace apud Sophoclem, & Hercule Furioso apud Senecam, educationevè, consuetudinevè, eàquè, tam universali in integris populis, v. g. Barbaris, qui matribus commisceri solebant, crudis quin etiam vesci carnibus, item Achæis & Heniochis, qui dapibus humanis, quàm particulari, in quibusdam hominibus, v. g. Phalaride, qui suum fertur

tur comeſſe filium, matremquè immolatam, mulierequè anonymâ, quæ perhibetur gravidarum alvo exeſectâ infantes ſanguinolentos devorâſſe, ſed ex ſolâ libidine peccandi, ortâ ex frequenti actionum ſummè vitioſarum exercitio. Ὑπερβολὴ τῆς κακίας Græcis, Summa atque Extrema Malitia Latinis, Apoſtolo gentium Ἐπαλγησία, Dedolentia, quaſiquè Depudentia, cùm quis ita dedoluit atque depuduit, manu per frontē ductâ, ut ad omnem honeſtatis ſenſum occalluerit & obduruerit. Ejus ſpicæ; Tyrannis Habitualis, Peccatum Sodomiticum, ſive Belluina Intemperantia, Atheiſmus, Epicureiſmus, locumquè habet hæc feritas potiſſimùm in iræ audaciæ atque injuriæ vitiis, diſtincta ab his gradu, non ſpecie. Nomen accepit à ferâ, ſumto vocabulo feræ, non pro animali irrationali, ſed pro homine, ad feram beſtiam ſimilitudine vitiorum quàm proximè accedente, humanam tamen naturam non prorſus exuente, hoc eſt, non negativè, ſed privativè. Atque hinc ortum duxiſſe videtur fabula de Minotauris & Lycaonibus, qui ob depravationem ex variis feris proſeminati finguntur à poëtis, item μετεμψύχωσις Pythagorica animarum humanarum, migrantium in corpora ferarum & jumentorum.

18. *Atque hæc Feritas Moralis ſive Voluntaria, à vitioſitate quæ eſt, non tantùm Feritate Morboſâ, ſed omni vitio Morali Communi, deterior*

rior est in comparatione. Feritate Morbosâ ea est deterior, qualis in maniacis & phreneticis, quia hæc agit sine ratione, illa cum ratione, licet corruptâ: Jam verò illud malum, quod est cum ratione, videtur esse deterius eo, quod non est cum ratione, cùm atrocior sit excessus, qui ἐκ προαιρέσεως proficiscitur, quàm qui ἄνευ προαιρέσεως, quo videmus modo, homicidium à latrone commissum, capitale esse, quia cōmissum κατ' προαίρεσιν, non itē, commissum à furioso, quia commissum ἄνευ προαιρέσεως; illud cū ratione, hoc sine, licet interim terribilior sit altera feritas in uno tertio, eò quòd illud, à quo ratio disjungitur, sit terribilius eo, à quo non disjungitur, cùm magis perhorrescamus ea, quæ immanitate quâdam, licet minùs gravia mala sint, nobis immittuntur, quia propter terrorem majora videntur. *Omni vitio Morali Communi quoque ea est deterior*, quia opposita virtus heroica omni virtute communi est melior, jam verò regula est topica, id esse deterius, quod præstantiori opponitur. Sed & ideò deterior, quia rationis usum non excludit, sed depravat, cùm sit depravatio rectæ rationis.

19. *Ignavia Stupenda sive Immanis* est, non tam vitium morale, quàm immanitas ac pravitas vitio communi major, quâ homo ineptus ad omnem virtutis impetum domi redditur, ad omnem honesti sensum stupens, instar porcorum caprorum & asinorum

rum, ac ne semel quidem suspiciens cœlum, cujus supinitatis nomine olim malè verò, immò bis malè, audiverunt Sybaritæ, quorum hæ allegantur leges: Nemo nostrûm frugi esto: Gallus gallinaceus in urbe ne habetor. Etc.

CAPUT XLVI.

De Amicitiæ Necessitate & Principiis in genere.

§. 1. QUamvis amicitia propriè loquendo virtus non sit, cùm magis videatur esse affectus, quàm habitus, tamen cum eâ multum næ multum habet cognationis, & ideò rectè proximè ab eâ ponitur. Nam & medietas sive mediocritas est inter duo extrema, & cadit in bonos viros, estquè operatio multarum virtutũ, medium quin, utut secundarium, felicitatis comparandæ fruendævè, hactenus necessaria, voce necessarii sumtâ, non presè & compresè tamen, sed largiter. Est autem necessarium presè sumtum, sine quo homo, quoad esse primum, quod vitâ definitur, vivere nequit, ut respirare, sicut necessarium largiter sumtum, sine quo homo sanæ mentis, quoad esse secundum, quod positum est in communibus studiis, v g, esse Philosophi in Philosophãdo, feliciter vivere nequit. Amicitia est necessaria non priori modo, cùm sine amicis vivere possimus, sed posteriori, quia vivere quidẽ possimus, at minùs cõmodè. Unde nemo

mo vitam sine amicis sibi optandam ducit, etiamsi cæterorum omnium bonorum copiâ sit instructissimus.

2. *Atque adeò Amicitia en Necessaria, quà Privatim, quà Publicè: Privatim, tam Divitibus, quàm Pauperibus, tam Pueris & Adolescentibus, quàm Viris & Senibus: Publicè quin etiam Rebuspublicis.*

3. *Divitibus necessaria est amicitia*, tum ad κτῆσιν domesticam, sive custodiam rerum suarum, quæ absque amicorum præsidio servari vix possunt, magnæ præsertim, quæ quò majores, hoc majori periculo obnoxiæ, ob majores insidias, tum ad χρῆσιν moralem sive beneficentiam, quâ sublatâ nullus penè hujus εὐετηρίας, hoc est, copiæ foret usus, qui ἐνέργεια, immò anima amicitiæ.

4. *Pauperibus necessaria est amicitia*, πρὸς τὴν καταφυγὴν, ad perfugium, quia unicum in adversis præsidium atque asylum amici.

5. *Pueris necessaria est amicitia*, πρὸς τὴν τροφὴν, ad alimoniam, alimentorumquè subministrationem, καὶ παιδείαν, disciplinam atque institutionem.

6. *Adolescentibus necessaria est amicitia*, πρὸς τὰς καλὰς πράξεις, καὶ τὸ ἀναμάρτητον, ad studium honestarum actionum, sive rectè factorum, & fugam malè factorum.

7. *Viris necessaria est amicitia*, πρὸς τὰς καλὰς πράξεις, ad præclaras res gerendas, agendasquè viriliter.

Seni-

8. *Senibus necessaria est amicitia* πρὸς τὴν θεραπείαν καὶ βοήθειαν, auxilii atque observantiæ causâ, ut qui propter imbecillitatem corporis, se & sua curare, resquè obire nequeant, ideoquè amicorum obsequio & subsidio indigeant.

9. *Rebuspublicis necessaria est amicitia*, ut quæ civitates contineat, statumquè earum tueatur. Unde civitatum ac legum conditores & fundatores, majorem amicitiæ, quàm justitiæ, rationem habere videas. Operam quippè dant, ut cives inter se sint amici & concordes, quæ concordia si adest, non magis inter amicos existunt injuriæ, quàm inter Deos, ubi autem nullæ injuriæ, ibi nec justitia. Quid multis? In omni fortunâ opus amicitiâ, in adversâ auxilii & levamenti causâ, in secundâ consilii & temperamenti moralis, sed universè interim magis in adversâ, quia in eâ nescio quomodo magis egemus amicis, eò quòd molestior in adversâ fortunâ sit solitudo, adversitates non levans, sed aggravans.

10. *Principia Amicitiæ quod attinet, illa vel Prima sunt, vel Secunda, sive Proxima Primis.*

11. *Principium Primum Amicitiæ adversus alios est Philautia*, hoc est, amicitia, quæ cuique secum, sua cujusque, inquam, secum amicitia, eò quòd omnis amicitiâ adversus alios, ex eâ, quæ cuique secum, manet, juxta formulam vulgarem, tam te amo, quàm meipsum, licet ipsa illa amicitia interim non

sit

sit amicitia propriè dicta, quæ requirit disjunctionem naturalem in conjunctione morali, sive adunatione, vel assimilatione rei amantis cum re amatâ, quæ conditio hîc deficit.

12. *Principia Secunda sive Proxima Amicitiæ, vel Interna sunt, vel Externa, illa Benevolentia & Concordia, hæc Beneficentia & Conversatio sive Convictus*, ex quibus illa animos conjungunt amicorum, hæc corpora eorundem.

13. *Benevolentia* est principium internum amicitiæ materiale, quoniam ex eâ, tanquam dispositione, oritur vera amicitia. Quemadmodum enim amoris initium est ex aspectu formosæ mulieris, cùm nemo amore capiatur, nisi quem delectat formæ venustas, ita initium amicitiæ est propensa & benevola voluntas, quâ affecti sumus erga alterum: Et quemadmodum aspectus ille non est ipse amor, sed amoris initium, ita benevolentia non est ipsa amicitia, sed origo ejus, quoniã ex eâ, accedente consuetudine, paulatim proficit amicitia, non est, inquã, benevolẽtia ipsa amicitia, licet ab eâ nõ magis sejũgi possit, quàm calor ab igne. At qualis Benevolẽtia? Aperta, nõ occulta, quoniã benevolentia quoq; est: potest occulta, altero alteri benè volente, etiãsi factis illud nondũ declaret, immò nequeat declarare: Tum mutua, quia alioqui sequeretur, etiã odium esse inter

inter amicos, si inter se non amarent mutuò, sed alter duntaxat, amicitiamquè esse posse etiã inter ignotos, quos inter esse potest benevolentia, cùm sæpenumerò benè velimus, quos nũquam vidimus, quorumquè virtutes & rectè facta ex aliis vel fando tantùm audivimus, quorumvè de eruditione humanitate moderatione præclarè sentimus, non item amicitia, quam nemo contrahit cum ignoto, verùm cum eo, cujus animum mores & studia apprimè novit: Demùm efficax, actuosa, officiosa, negociosa, non ociosa, ignava, iners, qualis mera & simplex benevolentia, quæ vult quidem alteri benè, sed vult tantùm, facere autem posthabet, tum subitò existit, uti videre est in ludis & spectaculis, ubi adversus ἀγωνιστὰς statim surgit benevolentia spectatorum, & studium aliquod superficietenus, sed non adjuvandi, omnibus erga eos existentibus benevolis, nemine interim his opem ferente, ac ne cupiente quidem ferre, contrà quàm se habet res in amicitiâ, quæ, conjuncta cum ardenti atque efficaci studio juvandi amicum.

14. *Estquè vel Theoretica, vel Practica.*

15. *Benevolentia Theoretica* est, quâ alicui bona volumus & cupimus: *Practica*, quâ voluntatem ratificare atque exequi studemus. Atque hæc ad amicitiæ generationem requiritur, quia ex eâ proximè oritur amor amicitiæ, simplici benevolentiæ superad-

dens

dens contentionem ac desiderium fruendi eo, juvandiquè eum, erga quem benevolentia concepta est.

16. *Concordia* est principium internum amicitiæ, nihilquè est aliud, quàm mutus, ut cogitationum, ita animorum, consensio, eaquè constans, pertinens ad privatam vel publicam eorum, qui concordes sunt, utilitatem, de rebus, quæ tales sunt, ut per nos cogitari effici comparativè queant.

17. *Estquè & ipsa, vel Theoretica, vel Practica.*

18. *Concordia Theoretica* est simplex ὁμοδοξία, sive, opinionũ consensus & concentus, consistens in identitate opinionum speculativarum: *Practica* verò animorum congruẽtia & correspõsus, consistens in consensu & concentu mentis, quoad actiones mora- Ex his illa non semper de necessitate amicitia, cùm possit esse inter ignotos, immò inimicos, & quoad diversas disciplinas humanas, & quoad religionem, cujus diversitas, nec tollit amicitiam naturalem, nec amicitiam civilem, in conversationibus commerciis & contractibus civilibus consistentem, quam diversæ regionis & religionis hominibus imperat necessitas, cùm nõ omnis ferat omnia tellus, præsertim si necessaria vitæ adminicula, nonnisi ab illis, & per illos, nancisci possimus: Hæc semper de necessitate ejus, ut quæ sit tantùm inter notos & amicos,

cos, virtutequè mediante contrahatur semper inter ejusdem amicitiæ membra.

19. *Beneficentia* est principium externum amicitiæ, nihilquè est aliud, quàm motus animæ appetentis, ad merendum benè de illis, quos diligimus. Neque enim satis est, animo benè velle amico, quod benevolentiæ, & unà cum eo sentire ac facere, quod concordiæ, sed oportet, quoties occasio datur, animi propensionem re & factis ostendere, quod beneficentiæ.

20. Hic loci quæstionem, non alienam ab hoc loco, instituit Philosophus, nominatim hanc: *Utri magis ament in comparatione, Benefactoresnè Beneficiarios, an Beneficiarii Benefactores?* Requè ultrò citroquè ventilatâ, concludit, quòd hi illos I. Quia naturaliter homo magis amet opus suum, quàm opus hominem, v g parentes liberos, quàm hi parentes, susceptorem verò benificiorum esse opus benefactoris sui. II. Quia jucundius quid in accipente reperiat is, qui dedit, nempè τὸ honestum, quàm in dante is, qui accepit, nempè τὸ utile. III. Quia amare magis conveniat agenti, quàm patienti, hoc est, danti, quàm accipienti beneficium, cùm amare sit actionis, amari verò passionis. IV. Quia chariora sint laboriosa & difficilia minùs laboriosis & difficilibus, & per consequens τὸ dare beneficium, τοῦ accipere beneficium.

21. *Con-*

21. *Converſatio* & ipſa eſt principium externum amicitiæ, nihilquè aliud, quàm familiaris conſuetudo cum eo, cui benè cupimus, quemquè amamus efficaciter. Dico, familiaris conſuetudo. Neque enim ſufficit, velle cui benè, & facere, ſed inſuper requiritur, ut amicè cum eo converſemur, non tam in voluptatibus unà fruendis & fruiſcendis, compotationibus, concœnationibus, colluſionibus, quàm in animi actionibus communicandis, honeſtisquè colloquiis ac ſermonibus miſcendis, in convivio, quę vox exprimit convictum cum Latinis, in ſympoſio, quæ vox exprimit bibendi ſocietatem cum Gręcis, malè ab utrisque, ſiquidem amicorum converſationem coepulationibus concœnationibus & compotationibus definiverunt tamen, & non vitæ conſuetudine, quam amantes adamant maximè. Sicut enim erωticè amantibus aſpectus, ita & areticè amicis, ſi fas ita loqui, conſuetudo ſeu convictus chariſſimus, maximequè expetendus.

Caput XLVII.

De Amicitiâ, ejusquè Summâ Diviſione in ſpecie.

§. 1. Ex ſuperioribus talis extrui poteſt definitio amicitię: *Amicitia* eſt mutua quorundam, aperta, atque efficax benevolentia: Mutua, quia, niſi adſit amor mutuus, non tam

amicitia hæc benevolentia fuerit, quàm simplex benevolentia, aut amor quidem, ast non amicitiæ, cujus proprium, in amore mutuum facere, hoc est, amico in amore bonâ fide respondere: Aperta, quia alioqui sequeretur, etiã inter ignotos dari amicitiam: Efficax, quia alioqui foret ignava & otiosa, atqui decet amicũ amico benè, non tantũ velle, sed etiam facere, neque id suâ, verùm amici causâ. Quid enim aliud amare, à quo nomen amicitiæ ductum, nisi velle quem bonis affici quàm maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat?

2. *Estquè illa universè, vel Arbitraria, vel Necessaria.*

3. *Amicitia Arbitraria* est, quæ ex voluntario delectu nascitur.

4. *Estquè triplex numero, pro triplicitate Objecti, Honesta, putà, Vtilis, & Iucunda.* Quot enim sunt amabilia specie distincta, tot quoque sunt species amicitiæ: Atqui tria sunt amabilia specie distincta, honestum videlicet jucundum, & utile: Ergò! Ubi notandum incidenter, amabile honestum & jucundum se habere in hoc ternario sive ternione amabilium, ut finem, utile verò, ut medium: Notandum deinde autem, honestum includere materialiter, & jucundum, & utile, in amicitiâ perfectâ, ad eum modum, quo corpus materialiter includit lineam & superficiem, à quibus tamen formaliter differt.

Ami-

5. *Amicitia Honesta* est, quæ ex virtute, sive honestatis causâ, contrahitur inter bonos viros. *Estquè ea Perfectissima, Stabilissima, Rarissima, denique Ἀνεγκλητος καὶ Ἀδιάβλητος, non obnoxia suspicionibus criminationibus & querelis in comparatione. Perfectissima*, tum quia amat id, quod est simpliciter amandum, putà, virtutem sive honestatem, tum quia hîc amici se invicem amant propter seipsos, quod perfectionis. Neque enim utilitates aut voluptates spectant, sed ipsissimam virtutem, & ob hanc solam se inter se amant. *Stabilissima*, tum quia ex virtute, fonte stabilissimo & perenni, tum quia, quæ in amicis requiruntur, in hâc junctâ reperiuntur omnia, nempè bonum honestum utile & jucundum. *Rarissima* hinc ideò, quia pauci dantur viri boni, quos inter solos tamen est hæc amicitia. Quæ causa, quare in hâc amicitiâ *πολυφιλία* non habeat locum, tum quia fieri nequit, ut multi tam exactè explorentur ac cognoscantur, atque heic opus; tum quia vera amicitia in summo gradu est posita, excellentiæ autem non in multos, sed in unum ferè, ut summum, cadere solent, tum quia multos summo amore complecti æquè difficile, ac multas adamare amasias pari intensi amoris gradu, tum quia multos eidem placere valdè non est facile, placere autem debemus amicis, tum quia, qui ubiq; est, ille nusquam est, nullusquè amicus, cui multi amici, amoris

vi in multos distractâ evanescente, non secùs ac flumine in varios rivos deducto, tum quia convictus multorum, seu cum multis, συναδύνατον, cum multis, inquam, versari, & se tanquam in multas partes dividere ac distrahere, & tanquam scortum cum multis rem habere, hoc tantùm non ἀδύνατον, quoniam si v. g. ex multis unus roget ad cœnam, alius ad funus, alius, ut in foro sibi sis advocatus, alius vocet ad nuptias, ad iter alius, aliò alius, pecuniam mutuam roget alius, alius vestem, omnes eodem tempore, nemo par omnibus esse potest, sicut nec ex animo dolere & lætari simul, id quod tamen in amicorum multitudine sæpè usuvenire necesse est, ut quia aliorum res prosperæ, aliorum verò adversæ, uno eodemquè tempore, & lætandum sit, & dolendum, quin immò in perpetuis agendum doloribus & angoribus, cùm fieri vix possit, ut in magnâ amicorum multitudine nemo sit in calamitate, quorsum Hesiodus, næ salubri præcepto, voluit, ut neque nulli essemus amici, neque multis, ὅδὲ ἄφιλοι, ὅδὲ πολύφιλοι, ἀλλὰ φιλόφιλοι. *Denique* Ἀνέγκλητ☉ καὶ Ἀδιάβλητ☉, *nullis suspicionibus criminationibus & querelis obnoxia*, tum quia de iis, quos longo jam tempore spectaveris, non facilè credas crimina aut calumnias afferentibus, tum quia in veris & verè amicis omnia reperias, quæ desiderare possis, quæ res nullum locum relinquit injuriis, ex qui-

quibus alioqui querelæ & crimina nasci solent.

6. *Amicitia Utilis* est, quæ utilitatis causâ contrahitur. *Estque ea Amicitia Imperfecta, Instabilis, Frequens, &* Ἐγκληματική, *suspicionibus, inquam, & calumniis obnoxia in comparatione. Imperfecta* hactenus, tum quia est inter eos, qui seipsos non propter se, sed propter aliquid aliud, amant, non simpliciter amandum, tum quia est amicitia tantùm similitudine quâdam, eâtenus amicitiæ nomen merens, quia ut boni, quos inter vera amicitia, inter se utiles, ita & hanc amicitiam constituat utilitas, tum quia in hâc non omnia φιλητὰ concurrunt, verùm τὸ utile tantùm. *Instabilis* hactenus, quia res, ex quâ hæc amicitia conglutinatur, est fluxa & mutabilis: jam verò qualis causa talis effectus. Quamvis verò hæc amicitia sit instabilis in comparatione ad honestam, duobus tamen modis fieri potest, ut fiat stabilior: Primò, si paria inter se faciant amici, hoc est, par reddant, non aliud, v g utilitatem pro utilitate, non voluptatem, & si ex eâdem causâ, si v g, homines utiles utilitatem alter ab altero capiant ejusdem rei ratione, hoc est, ex commodis uterque mutuis: Secundò, si inter eos sit similitudo morum, quâ ut paritur & paratur amicitia, ita retinetur & conservatur. Namsi longâ consuetudine inter se periclitati al-

ter alterius mores adamare cœperit, quia inter se congruunt, certè hi non faci-lè postea discedent ab amicitiâ, ob studiorum similitudinem, quæ parens & conservatrix amicitiæ. *Frequens*, ut in quâ locum habeat πολυφιλία, saltem faciliùs, quàm in amicitiâ ex virtute, tum quia utilitatum studiosi innumerabiles, tum quia ad hanc amicitiam contrahendam non opus multo & longo tempore. *Denique* Ἐγκλημαϊκή, *suspicionibus querelis & calumniis obnoxia*, partim ob exigui temporis consuetudinem, partim, quia sicut ibi nullæ querelæ, ubi nulla, quæ desideres, ita contrà querelæ, ubi aliqua, quæ desideres, hoc plures & majores, quò plura & majora desiderantur. Hinc videas in amicitiâ utili statim solere existere querimonias, quando analogia non eodem modo servatur utrinque, & uterque sibi plus tribui postulat, quàm ei ab altero tribuitur. Id quod fit tribus modis. I. Cùm non est æqualis ἀντιφίλησις, alterquè conqueritur, se non tantundem redamari, quantum ipse amat. II. Cùm non sit æqualis ἀντίδοσις, retributio officiorum & beneficiorum, adeoquè datur quid pro quo. III. Cùm non fit ἀντίδοσις per eam rem, quam alter expetebat. Id enim perindè est, ac si nulla facta esset retributio. *Ad hanc amicitiæ speciem referas licet Amicitiam* Ξενικὴν *Hospitalem*, quia hospites amicitiam inter se colunt commodi vel adjumenti alicujus causâ.

7. Ami-

7. *Amicitia lucunda* est, quæ voluptatis causâ contrahitur. *Estquè hac Amicitia & ipsa Imperfecta, Instabilis, Frequens, & Ἐγκλημαλική, suspicionibus querelis & criminationibus obnoxia. Imperfecta* tum quia & ipsa est inter eos, qui seipsos, non propter se, sed propter aliquid aliud, amant, non amandum simpliciter, tum quia est amicitia tantùm similitudine quâdam, eatenus amicitiæ nomen merens, quia ut boni, quos inter vera amicitia, inter se jucundi, ita & hanc conglutinat jucunditas, tum quia in eâ non omnia φιλητὰ concurrunt, verùm τὸ jucundum tantùm, eò quòd non facilè reperiantur, qui sint amici propter jucundum & utile, hoc est, qui propter utrumque simul, vel ament, vel amentur. *Instabilis*, quia similiter res, ex quâ hæc amicitia coalescit, est fluxa & mutabilis. Neque enim eadem adolescentibus, quæ pueris juvenibus senibus jucunda, sed nec faceti semper chari, nisi fortè in conviviis, in vehiculo, in itinere, in congressibus seriis & gravioribus non item: Quo fit, ut cùm jucunda facilè mutentur, amicitia quoque ex iis conciliata & ipsa mutetur facilè, nisi quòd duobus modis possit fieri stabilis, si videlicet paria inter se faciant amici, hoc est, par pari reddant, non aliud, v g, voluptatem pro voluptate, non utilitatem, & quidem eandem, atque ex eâdem causâ, ut si faceti voluptatem alter ab altero capiant

ejusdem rei ratione, hoc est, ex facetiis uterque mutuis, & non ὁ ἐραστὴς amator voluptatem quidem ab ἐρωμένῳ amasio, hic verò contrà utilitatem & munera ab illo, si deinde inter eos sit similitudo morum. Nam si longâ consuetudine inter se periclitati, alter alterius mores adamare cœperit, quòd inter se congruant, certè hi non facilè postea discedent ab amicitiâ, ob studiorum similitudinem, quæ parens & conservatrix amicitiæ, mutuiquè convictus, quem tollit absentia, sed non ipsam interim amicitiam, saltem perfectam, cujus usum tantùm interrumpit, nisi diuturnior fuerit. Tunc enim non usum tantùm, sed ipsam quoque amicitiam extinguere videtur, juxta proverbia: πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν: Longè habitantes amici non sunt amici. Nam sicut à vivendo & conversando simul oritur amicitia, sic dissolvitur à contrario, ut omnis habitus, qui sicut augetur ab eisdem operationibus, à quibus oritur, ita corrumpitur à contrariis. Sed videtur scilicet. Ut enim amicitia tollatur absentiâ quoad actum, usumquè vitæ quotidianum, tamen non item quoad habitum, qui etiam esse potest inter dormientes, quare & absentes, præsertim quoad operationes amicitiæ interiores. *Frequens hinc*, ut in quâ locum habeat πολυφιλία, saltem magis, quàm in amicitiâ ex virtute. Ex virtute autem? Immò & ex utilitate,

tum

tum quia ſtudioſi voluptatum plures, quàm utilitatum, tum quia ad hanc amicitiam contrahendam non opus longo tempore, ſed ſufficit exigua ejus conſuetudo. *Denique* Ἐγκλημαπκὴ *quidem & ipſa, ſed minùs in comparatione.* Nám vel uterque amicus ſuavis alterius conſuetudine delectatur, & ſic neuter habet, quòd queratur, vel ſi alterutri alterius cõſuetudo minùs ſit grata, licet illam intermittere, non ſic in amicitiâ utili ſe res habet, in quâ uterque plus appetit, quàm alter vult aut poteſt præſtare. Quo loco notandum in tranſitu, amicitiam hanc jucundam propiùs accedere ad amicitiam perfectam, quàm utilem, tum quia convictu gaudet, quem maximè amat vera amicitia, tum quia liberalior eſt, & magis ingenua, ut quæ amicitiam voluptate non quæſtu metiatur, ut altera illa, tum quia eam captant beati, non item eam; quæ ex utilitate. *Ad hanc Amicitiæ Speciem reducas licet Amicitiam* Ἐρωτικὴν *Amatoriam*, quæ eſt amantium & amaſiarum, inquè adoleſcentibus ferè hoſpitatur, in quibus affectuum incendia, & voluptatum deſideria, maximè reperiuntur, partes quæ ſunt amicitiæ amatoriæ.

8. *E dictis amicitiæ ſpeciebus ſola amicitia honeſta eſt amicitia per ſe, amicitia verò utilis & jucunda amicitia per accidens, ſive ex eventu:* Illa per ſe, quia ii demùm verè ſunt amici, qui ita inter ſe amant, ut alter alteri bona, quæ vult, eâ re velit, quia amat, nullam

aliam ob causam: Hæ per accidens, quia hîc amici, vel utilitatis, vel voluptatis causâ, inter se amant, ubi autem alter alteri bona, quæ vult, non eâ causâ vult, quia amat, sed quia utilitatem aut voluptatem aliquam cupit, certè hi amici non per se, sed ex eventu, ut cùm pauper amat divitem, indoctus doctum, non quia, quem amat, sibi sit charus, sed quia id, quod ab eo expectat, divitias, putà, aut eruditionem. Sic homines facetos amamus, non tam propter ipsos, quàm propter facetias.

9. *Amicitia Necessaria* est, quæ non ex arbitrario delectu, sed ex quodam jure societatis nascitur.

10. *Estquè duplex, Naturalis & Civilis.* Ex societatis jure utraque, sed non æquè, quoniam altera earum ex societate tota pendet, alterius verò etiam aliæ sunt causæ, putà, sanguinis necessitudo, & morum ac humorum similitudo.

11. *Amicitia Naturalis* est, quam naturæ vinculum conciliat.

12. *Estquè vel Συγγενικὴ Cognata, vel Γαμικὴ Nuptialis, vel Συμπαθητικὴ, Sympathetica.*

13. *Amicitia Συγγενικὴ sive Cognata* est inter eos, qui sanguinis propinquitate se invicem contingunt.

14. *Estquè vel Πατρικὴ Paterna, vel Ἀδελφικὴ Fraterna, vel Συγγενικὴ in specie sic dicta.*

dicta, quas inter paterna fons, è quo manant & promanant reliquæ.

15. *Amicitia* Πατρικὴ *sive Paterna* est, quæ est inter Parentes & Liberos, qui, licet parentum sint quædam veluti pars, ideoquè à Jurisconsultis habeantur pro unâ quodammodò personâ, illis diligentibus hos tanquam sua membra, eò quòd liberos amando videantur seipsos amare, quia sunt quasi alteri ipsi, non planè ipsi & uni tamen, sed alteri, quia reverà separati, eo modo, quo amicus est alteripse; his contrà illos naturaliter redamantibus, tanquam ortus sui principium, à quo post Deum, non tantùm habent τὸ esse, sed etiam τὸ benè esse, amore parentum, quo prosequuntur liberos, formaliter alio existente ab amore liberorum, quemadmodum amor pecuniæ alius ab amore honoris, hic à voluptatis, formaliter.

16. *Amicitia* Ἀδελφικὴ *sive Fraterna* est, quæ est inter Fratres erga seinvicem. Cujus amicitiæ causa ταυτότης, generis communio, educatio, ætas, mores, studia: Generis communio, quia ex eodem nati stipite, idem sanguis, eadem stirps, unde & ipsi sunt quodammodò una eademquè persona, quamvis inter se ipsi interim sint diversi, non tam ratione sui tamen, quàm parentum: Educatio, cujus quanta, & quàm amica atque amicabilis vis sit, notum vel ex collactaneorum amore & redamore: Ætas,

quâ mediante fit, ut æqualis æqualem amet, inæqualem verò oderit, natu major v g frater natu minorem: Mores, quorum similitudo sicut copulat amicitiam inter sodales, ita & inter fratres, nisi quòd in fraternâ amicitiâ, conjunctam habente sodalitiam, omnia sint majora & aptiora: Studia, quæ mores ferè sequuntur, non κατὰ τὸ ἀεὶ, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tamen.

17. *Amicitia* Συγγενικὴ *in specie sic dicta* est, quæ est inter reliquos, præter Fratres, Cognatos, putà, Patrueles, Consobrinos &c. Ejus eadem, quæ fraternæ amicitiæ, origo. Nam quia ab iisdem majoribus descendunt, ideò se inter se amare solent: Et quia horum alii aliis ferè sunt propinquiores, alii verò remotiores ab autore generis, ideò amicitiæ inter hos varii existunt gradus, ut alios inter arctior sit amicitia, quò propior autor generis, vel laxior, quò idem remotior, quoquè plura & perfectiora sunt φιλητὰ, ut cùm præter vinculum & nexum sanguinis, ætas & morum similitudo accedit.

18. *Amicitia* Γαμικὴ *sive Nuptialis* est, quæ est Maritum inter & Uxorem, quoslibet vè Affines, Conjugalis aliter. Et ipsa secundum naturam, tum quia homo animal συνδυαστικὸν μᾶλλον ἢ πολιτικὸν, ad uxoriam conjunctionem propensior, quàm ad civilem, naturaliter, quæ absque eâ consistere nequit, jam verò, quæ magis necessaria, eadem ferè etiam

magis

magis naturalia: Tum quia ea hominibus communis cum bestiis, quod autem tale, illud magis naturale: Tum quia liberi sunt commune bonum utrique conjugi naturaliter, vinculumque conjugii, ipsâ communitate id continente, arctiusque devinciente, uti vel illud argumento esse potest, quòd, qui carent liberis, hi non ita se invicem ament, facileque inter hos oriantur dissidia & divortia, vel experientiâ teste.

19. *Amicitia* Συμπαθητική *Sympathetica* est quorundam inter se occulta benevolentia, etiamsi nihil aut parum conversationis his in antecessum intercedat. De hâc accipiendus locus Martialis, cùm ait:

Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

20. *Tantum de Amicitiâ Naturali*: *Amicitia Civilis* est, quæ oritur ex societate civili, neque tam ex naturæ nexu, quàm humanis pactionibus, conglutinatur, cui naturæ opponitur pactum.

21. *Estque vel inter Imperantes & Parentes, vel inter ipsosmet Parentes.*

22. *Amicitia Imperantes inter & Parentes, vel Vera est, vel Apparens.*

23. *Vera iterum, vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica:* Ex quibus illa respondet Amicitiæ Paternæ, ista Conjugali, hæc Fraternæ.

24. *Amicitia Monarchica* est, quam inter se

se mutuò colunt Monarcha & Cives Monarchici, pro dignitate,hoc est, servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Ut enim non idem jus est civi adversus regem, quod huic adversus civem, ita & amicitia non est æqualis. Etenim regem observat & colit civis, tanquam superiorem, non contrà rex civem. *Respondet amicitia paterna.* Ut enim rex subditorum curam agit publicè, ita pater liberorum privatim: Ut rex inter subditos excellit virtute, dignitate, autoritate, item pater inter liberos: Ut rex subditos suos amat, humaniterquè tractat, ut ab iis redametur, item pater liberos eodem fine: Ut rex nihil, nisi quod honestum, subditis præcipit, item pater liberis, instituens eos ad virtutis studium. Appellatione verò parentum etiam cæteri majores, & liberorum quoque reliqui minores ac posteri, intelligendi sunt, in quos eadem illis est potestas, idem jus, quare & eadem cum eis amicitia, putà excellentiæ.

Amicitia Aristocratica est, quam inter se mutuò colunt Optimates, sive Archontes Aristocratici, & Cives Aristocratici, pro dignitate, hoc est, servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Ut enim non idem iterum jus est civi adversus optimates, quod his adversus civem, ob virtutem eorum eminentem, quæ causa hujus amicitię, in quâ, quantò alter alterum virtute & autoritate superat, tantò plus amoris & honoris convenientis accipere

cipere debet, ita & amicitia inter hos non est æqualis. Etenim optimates observat & colit heic civis, tanquam eminentiores, non contrà optimates civem. *Respondet amicitiæ conjugali*; quæ & ipsa κατ' ἀξίαν tribuit præstantiora, dum maritus pro dignitate imperat in iis, quæ virum decent, remquè familiarem parat & curat, maritum contrà observat & colit, familiæquè, maximè ancillis, munia ac pensa dispensat, cibariaquè his, totiquè familiæ, præbet uxor, ex quâ officiorum partitione & descriptione, pro cujusque virtute, quasi aristocratia quædam similitudinaria existit.

26. *Amicitia Democratica* est, quam inter se mutuò colunt Archontes Democratici, & Cives Democratici, pro æqualitate, non dignitate tamen, hoc est, servatâ æqualitate Arithmeticâ, non Geometricâ, quatenus pari heic jure cives sunt, vicissimquè parent atque imperant, æqualibus istactenus personis, æquali amore, æquali officiorum communicatione, æquali virtute, utquè sic paribus, non quasi nihil omninò hîc sit dissimilitudinis morum & fortunarum, dignitatisvè, cùm, qui extra collegium ἀρχόντων sunt, tantisper pro privatis habeantur, sed quòd à potiori fiat denominatio. *Respondet amicitia fraterna*, quoniam fratres & ipsi inter se sunt æquales ferè, virtute, divitiis, honoribus, moribus, studiis, quæ causæ solent esse amicitiæ, licet impares interim sint ætate, cujus distantia si sit major,

major, non ampliùs inter eos est fraterna amicitia, sed paterna.

27. *Amicitia Civilis Vera sic habet, sequitur Apparens: Qua vel Tyrannica, vel Oligarchica, vel Ochlocratica.* Ex quibus illa respondet Amicitiæ Paternæ, sed Tyrannicæ, ista Conjugali, sed Oligarchicæ, hæc Fraternæ, sed Ochlocraticæ sive Anarchicæ. Dico apparens, quia in his deflexionibus amicitia quidem, sed valdè tenuis & exigua, exemplo juris, quod in his, vel est nullum, vel perexiguum: Jam verò in quâlibet societate tantum est amicitiæ, quantum juris, quo cessante cessat amicitia, cujus proxima cum jure cognatio, quod constat esse æquale. Ut ita vel nulla vel exigua admodum hîc sit amicitia, quia nulla vel exigua æqualitas, ideoquè nullum vel exiguum jus, & per consequens amicitia.

28. *Denique Amicitia ipsosmet inter Parentes sive Subjectos est,* quam inter se mutuò colunt Cives Monarchici Aristocratici & Democratici, suoquè modulo, Tyrannici Oligarchici & Ochlocratici.

29. *Estquè illa vel Publica, vel Privata: Publica iterum, vel Δημοτικὴ Concivium, vel* Φυλετικὴ, Tribulium & Contribulium, vel Πολεμικὴ, Castrensium, vel Συμμαχικὴ, Confœderatorum belli causâ: *Privata vel* Ἑταιρικὴ, Sodalium, vel Συστρατικὴ, Commilitonum, vel Συμπλοϊκὰ ἢ Ἐμπορικὴ, Conna-

vigan-

vigantium & Connegociantium, vel Ὁδοιπορικὴ, Comperegrinantium, vel Ξενικὴ Hospitum, quorum alii utilitatem, alii voluptatem, alii utramq; sequuntur. Sed hæ amicitiæ species, videntur potiùs esse species Amicitię Æquiparãtię, quàm Disquiparantię qualis illa, cùm ex amicitiâ ἐν ἰσότητι fit amicitia ἐν ὑπεροχῇ hoc modo, ut ex duobus amicis antea paribus, nunc disparibus, ille, qui remansit in eodem gradu, tribuat excellentiori, quod ei est tribuendum ex officio amicitiæ, consistentis in excellentiâ, ille verò, qui infinitis partibus altero factus est superior, conservet memoriam minùs excellentis, huicquè magis gratificetur, quàm alienis, pristinę amicitiæ recordatione, & præsentis intuitu. Et certè, quid impediat, quò minùs v. g. modestus fœdus amicitiæ ineat cum magnanimo, liberalis cum magnifico, mediocriter doctus cum insigniter docto, gradu non habitu differentibus, non quidem ut par cum pari, sed ut similis cum simili, non obstante inæqualitate, tollente paritatem, non similitudinem, quæ esse potest etiam inter inæquales.

30. Verùm de Societatis naturâ agendum explicatiùs in Oeconomicis & Politicis: Quare manum de hâc tabulâ.

Finis Lib. II. Eth.

Spongia Erratorum.

Pag. 103. §. 5. l. 7. *ἐνεργητικο* pro *ἐνεργητικόν*. p. 130, l. 2. *spectem* pro *speciem*. p. 140 l. 5. *illa* pro *illud*. p. 197. l. 3. *narali* pro *naturali*. p. 264. l. 1. *λέλλειν* pro *κέλλειν*. p. 265. l. 2. dele *cum*. Ib: l. 4. *contentum* pro *contemtum*. p. 269. §. 1. l. 3. *vscant* pro *vocant*. p. 271. l. 1. *sit* pro *fit*. p. 297. §. 5. l. 6. *aiimenti* pro *alimenti*. p. 308. l. 1. *cau* pro *causâ*, p. 321. l. ult: *quadem* pro *quadam*. p. 328. l. 1. *Dialectica* pro *Dialectica*. p. 342. l. 10. *peritus* pro *peritis*, p. 355. §. 19. l. 8. *ἔγγον* pro *ἔργον*. p. 371. l. 3. *quendam* pro *quandam*. p. 384. §. 16. l. 11. *dispara* pro *disparatâ*. p. 397. §. 10. l. 3. *appetus* pro *appetitus*. p. 399. §. 5. l. 4. *tiam* deleatur. Ib: §. 6. l. 12. *viruosi* pro *virtuosi*. p. 429. l. 16. *vettente* pro *vertente*. ib: l. 23. *sumus* pro *simus*. p. 433. §. 5. l. 22. *proficisentibus* pro *proficiscentibus*. p. 439. l. 21. *renum* pro *frenum*. p. 440. l. ult: *sit* pro *sint*. p. 480. §. 5. l. 25. ante 111: *Qui speeie, istis*: p. 485. l. 17. *proprius* pro *propius*. p. 487. §. 2. l. 2. *reanti* pro *renati*. p. 507. §. 2. l. 3. *tè* pro *ritè*. p. 515. l. 10. *perputuo* pro *perpetuo*. p. 530. §. 10. l. 3. *Negativorum* pro *Negativum*. p. 536. l. 19. *quirantium* pro *quiritantium*. p. 549. l. 1. *merenter* pro *merent*. p. 552. l. 20. *pacitum* pro *placitum*. p. 556. §. 47. l. 19. *plugas* pro *plagas*. p. 557. l. 14. *inconsideratquè* pro *inconsideratequè*. p. 589. §. 1. l. 16. Ἐτευθερότης pro Ἐλευθερότης. p. 627. l. 5. *censulatum* pro *consulatum*. p. 635. l. 11 *Dissimulato* pro *dissimulator*. p. 642. §. 6. l. 7. *honere* pro *honore*. p. 649. §. 24. l. 4. omissa in medio vox (*rebus*.) p. 657. l. 23. *Pragmarici* pro *Pragmatici*. p. 663. l. 6. *natuli* pro *naturali*. p. 685 §. 4. l. 13. Ἔρωνα pro Εἴρωνα. p. 713. §. 18. l. 5. *signi* pro *significant*. p. 719. l. 1. *consistat* pro *consistit*. *Denique* p. 773. §. 17. l. 13. *Arithematicâ* pro *Arithmeticâ*.







